
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

KW
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

~~[illegible]~~

(VL. 382) (dit is de
eerste Druk, waarin de
fundamenten nog niet
voorkomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

PETRI POIRET, P.

COGITATIONUM RATIONALIUM DE DEO, ANIMA, ET MALO

LIBRI QUATUOR.

In Quibus

Quid de hiſce CARTESIUS, *ejuſque ſequaces, boni aut ſecus ſenſerint, omniſque* PHILOSOPHIÆ *certiora fundamenta, atque in primis tota* METAPHYSICA *verior, continentur.*



KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'SHAGE.

AMSTELODAMI,
Apud DANIELEM ELSEVIRIUM,
CIƆ IƆC LXXVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO,

D. FRIDERICO LUDOVICO,

Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bavariæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Comiti Veldentiæ & Sponhemii, Marchiæ & Ravenſpurgi; Domino Ravenſtenii, &c.

Tibi, Princeps Serenissime, librum offero, quem, ut ingenue fatear, mortalium nulli aperte, ſed Soli Illi cui omnes omnia debent, tacite conſtitueram dicare, cum ego per totum tempus quod ei componendo impendi, & ultra, veriſſime in animo habuerim nomen meum reticere, ut vel ex ipſo ſtylo patet, qui cum per primam perſonam tanquam de ſe ipſa loquentem (meditantium more) ſit expreſſus, non videtur pati ut Lectori cum modeſtia exhibeat ideam perſonæ ſeſe nomine ſuo deſignantis. Sed cum ii ex amicis, quos perfectiores novi, rationibus poſtmodum urgerent ut nomen profiterer, quanquam non amplius vacaret diſcurſus ſtylum immutare, conſenſi, quia ingenue proceſſum eſt, ſine ſtudio cuivis placendi aut diſplicendi. Quemadmodum autem me eo rationes alienæ impule-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

runt; ſic propria ratio me volentem eo adduxit ut Nominis Tui, Princeps, patrocinio opus committerem, quippe qui favore tuo me meaque complecti ſis dignatus, & ſub cujus ditione atque tutela hæc ortum habuerint. Et quamquam ſcio Te ſolidæ Veritati atque Pietati, quæ ex Sacris oraculis hauriuntur, potiſſimum inhiare, nec videri poſſe apprime opportunum Speculationes Philoſophicas proponere, ubi, poſt caſum Illuſtriſſimæ familiæ chariſſimorum Capitum, Ducatum Tuum Bipontinum vaſtavit militaris furor; attamen, & ipſa Divina revelatio nos vel in mediis calamitatibus ad naturales conſiderationes, imo ad ciconiæ, boum, aliorumque animalium, elementorum, regimina provocat, quibus ad Deum revocati, illum propitium experiamur. Quanto minus igitur importunus cenſeri debebit ſerius (quem & ſacræ paginæ inculcant) ad Mentem noſtram recurſus, in qua ſe Divina Mens non reliquit ἀμάρτυρον; ubi ſolidiora & æternum permanſura bona oſtenduntur, præ quibus cætera ita evaneſcunt, ut cum horum privatio accidit, minus ea tangamus; ubi etiam verorum malorum origo latet, atque ſic detegi poteſt, ut clarum fiat, externas calamitates inter præcipuas non debere annumerari; at bene eas quibus mentes, objectorum & affectuum tumultu, confunduntur & diſſipantur: cui malo ſine mora medendum eſt ſi

ſoluto

ſoluto cadavere cum Æterna Mente ad ſolatia duratura aſpiremus. Hæc in ipſa Mentis noſtræ natura Deus aperta fecit: ad quæ utinam attendiſſent Chriſtiani, qui Naturæ atque Scripturæ dictaminibus jam pariter valedixere, (quod animadvertere & dolere ſoles) quo craſſæ molis collapſuræ cura una occuparentur. Forte ex iis ſolidiora ad ſui inſtructionem deprompſiſſent, quam ſint ea quæ ex Divino Scripturæ Codice male lacerant, pejus interpretantur, & peſſime accommodant atque obtrudunt populis plerique Animarum Ductores, quorum intellectus & conſcientia ne lumine quidem & rectitudine naturali illuſtrantur: nam quamvis hi, cum cæteris qui pro more ſolito ſtudiis incumbunt, dicantur acquiſiiſſe in Scholis *rerum Divinarum & humanarum cognitionem in quantum per lumen naturæ haberi poteſt* (quo pacto ſuam indigitant Philoſophiam) nil tamen revera præter ſteriles Sophiſticationum nugas plerumque ibi coacervant, unde ad omnia cætera corrumpenda, aut jam corrupta in poſterum fovenda, aptiores redduntur, quam ſecus fuiſſent; paucique dantur qui cum ſana ratione inde evadant, etſi maxime eam illuc apportaſſent: qui vero evadunt, & certiora Naturæ rationiſque principia nanciſcuntur, in ſcopulos alios ſolent ut plurimum impingere, nempe ad minuta objecta, quæ ſatius eſſet prætermittere, deſcendunt; totumque vitæ

tempus, vel præcipuum, in eorum ſpeculatione impendunt, dum quod maximum, maximeque neceſſarium eſt, neglectui & oblivioni pernicioſe traditur. A quo mille ſcopulorum mari cum me utcunque Divina gratia cœperit liberare, hanc è naufragio, vel è naufragii periculo, Tabellam Liberatori meo appendo, in qua quæ recta, quæ avia vel devia, quid boni malive in ejuſmodi viis ſit reperire, conatus ſum quantum mihi licuit deſignare, ad cautelam eorum qui ſunt liberioris indolis, & ad veriora aſpirant, nullarum ullius cogitationum mancipia. Quodſi nonnullis profuero, erit quo Auctori omnis boni gratiæ habeantur: Sin minus, ſufficerit mihi candide boni quippiam intendiſſe, atque ea occaſione publice teſtatum eſſe, me ſolidæ & fructuoſæ Veritatis amantem Principem colere dum vere profiteor me eſſe,

Illuſtriſſime Princeps,

Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ

humillimum atque obſervantiſſimum Cultorem.

P. POIRET.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

MONENDA.

MI Lector, ne terrearis libri mole. Magnum ea malum ubi res alibi ſæpe eædem expoſitæ, continuo ſolo verborum augmento incruſtantur, & diverſitate ordinis inverſæ atque interpolatæ, reponuntur. forte hic, ubi de materia non ita vulgari agitur, ſimile quid non reperies. Interim, qui præjudiciis liber eſt, poſſit brevitatis cauſa totum librum primum, & aliquot capita ſecundi, prætermittere: nam magis in deſtruendo quam in conſtruendo impenduntur. non eſt res adeo jucunda lutum removere, quod ibi non ſine tædio, ſed nec ſine neceſſitate imo & coactione factum eſſe ſcio. Philoſophorum quorundam opiniones non alia de cauſa interdum, quanquam raro, retuli, niſi quod ob Nominis celebritatem præjudicia valde noxia faciant apud multos. In tricas Scholaſticas aliquoties deſcendendum fuit, ut qui ab illis impediti, ſolverentur. Nam iſtis præcipue hæc ſcripta ſunt. In cæteris perſonas non ſequor, ſed indicia veritatis à Deo in Mentium intimis inſculpta & ad Deum ducentia non ut in illum qui eſt incomprehenſibilis rationi ſubjicerem, ſed rationem illi, ut teſtimonia ſui quæ in illa reliquit, patefiant ad ejus gloriam. quare eos qui putant non eſſe genuinæ Philoſophiæ ex notionibus rebuſque naturalibus ad Deum noſcendum & amandum erigi, nil moror. Diabolicum ſtratagema! ut omnis ad ſcientiam adſpirans longe à Deo evaneſcat. Illud caſſum reddere hic ſum conatus. De materia aſſumpta ſcripſi quæ cum ea adhuc ignorarem & præjudiciis oppoſitis atque difficultatibus angerer, optaſſem mihi ab aliis oſtendi. Cæterum tenuitatem, vel, ſi vis, barbariem ſtyli, nil curo. Auribus non ſcripſi, nec verborum præſtigiis inhiantibus, iiſque ſeſe paſcentibus, neque etiam contentioſis, qui ex eo quod quædam voces diverſo ſenſu variis in locis ſint adhibitæ, non habent quod vel contradictionem, vel æquivocationem obtendant: cum data ſit opera ut ex ipſo loci

diſcur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

diſcurſu pateat ſenſus vocis non ambiguus. Si quæ præterea difficultates occurrunt, certus ſum eas, ſaltem pleraſque, ex iterata meditatione evanituras. Si quis errores in hiſce demonſtrationibus ſibi detegere videatur, idque vere demonſtret, non refragabor, nam opto amare veritatem ob Divinum ſuum fontem, ſine reſpectu ad me, adeoque & mihi adverſantem: ſed certus ſum ejus potiores partes hic eſſe. Quod ſi Tu, Amice, iſtis ad Deum ferri poſſis, iis ad hunc ſcopum utere: ſin aliæ viæ ſint tibi commodiores, hæc vero tibi non conveniens, alias elige: Sed nolis hæc media, quæ ignorare poſſes, quæque forte præter opinionem tuam vera & bona eſſe poſſint, traducere; ne ita adverſeris plurimis iisque genuinis teſtimoniis quæ hic ſunt de Deo ejuſque mirabilibus. quod ob veritatem ipſam dictum ſit. Bene vale.

Scripſi Annævillæ in Palatinatu Bipontino,
30 Novemb. 1675.

CO-

COGITATIONES RATIONALES DE DEO, ANIMA, ET PECCATO.

INTRODUCTIO.

1. Rei præcipuæ tractandæ dignitas & difficultas. 2. Media diverſa. 3. Quorum poſteriora hujus ſunt loci. 4. Res admittendæ. 5. Excludendæ. 6. Partitio operis in Libros quatuor.

I. SI bene ſapienterque à Sapiente Rege monitum, ne, cum coram Deo loqui animus eſt, feſtinantes in verba diſſolvamur, non dubium eſt quin ubi, non tantum coram illo, ſed & de illo eſt loquendum, cogitata verbaque noſtra ſint maxime ſerio penſitanda, & caute proferenda. In his quippe errare, non leve eſt. Quid enim tribuere Enti Summo, Perfectiſſimoque imperfectiones, (quod ab errore in his non differt) aliud eſſe poſſit, quam ejus Naturam negare, aut in idolum transformare, & dedecore afficere? Sibi aliiſve Deum ſiſtere deformatum, gravius eſt & abſurdius homini, quam ſi ſe ipſum coram Deo male formatum ſiſtat: quod ultimum tamen temeritatis, ut minimum, culpa tenetur.

II. Non dubium eſt quin illi qui Deum debito honore ſunt proſecuti, eum etiam debite agnoverint, & cum ſibi, tum aliis magis ac magis agnoſcendum proponere ſint annixi. Sed inter media quibus hoc promoverent, illa quæ opere & affectu interno conſtant, ab illis quæ ratiocinio & diſcurſu abſolvuntur ſtudioſe diſtinxere, hiſque illa præpoſuere. Deum iſti mente ſua amplexi, ſimili opere aliis admittendum præſentabant, qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quatenus, diſcurſu etiam ſemoto, vitæ agendæ modus (ſignum effectuſque agniti affectu & opere intimo Numinis) talis erat, ut Dei (ejus efficientis & exemplaris) pulcritudinem, decentiam, modumque eum amplectendi, cognoſcendi, & in ea cognitione provehendi certiſſimum propalaret. Cætera, ſi cum his quibus continuo nec interrupte vacabant comparentur, raro & ex intervallo, utpote minus præcipua & requiſita, adhibebant. Imo notabile eſt, eorum diſcurſus, quos reliquerunt paucos, ita nobiſcum comparatos eſſe, ut non poſſint recte capi ab illis, quorum mentes affectus & operatio Numinis Summi non prius tetigere, quique ad illos percipiendos facilem animum ad ſequendum Deum illum clarius poſtmodum agnoſcendum, non ſerio offerunt. Quapropter ubi in priori illa via ſecuritatem omnimodam, in poſteriori contra, ſæpe multum incerti & periculoſi offendere eſt, tum proponenti, tum audienti ratiocinationum diſcurſus: Niſi enim uterque ut mox dictum eſt diſponatur, vel diſponi peroptet, in utroque ratum illud eſt, *In ratiociniis & diſſertationibus ſuis evanuerunt.*

III. Inde tamen non ſequitur nos ita à Deo abduci, ut ratione & loquela circa eum ex principiis innatis verſari non liceat. Quin potius ſic ad componendam mentem excitemur, ut harum facultatum, quas ipſe nequaquam conceſſit in caſſum, uſum habeamus quamoptimum & utiliſſimum. Et cum quidem talem concedere velit ipſe, omnis boni fons, Deus: ut nebulis & nubibus phantaſmatum corporeorum, & his deteriorum, depulſis à quorundam mentibus, quæ per illa in concipiendis rebus ſpiritualibus impediuntur, obruuntur, & nonnunquam importune admodum vexantur, ea ex mentis abſconditis eruantur, quæ tabernaculo menti increatæ in mente creata exſtruendo, vel condecorando, aliquatenus poſſint inſervire.

IV. Animus eſt ea in ſequentibus verbis breviter ſatis complecti, quæ Dei, Entis Summi, ejuſque tum excellentiſſimi operis, animi noſtri, tum adverſarii & hoſtis perpetui, mali ſcilicet, ſive peccati, ideas, ſeu conceptus, quantum quidem fieri poterit, claros excitent. Ad hoc autem non erit neceſſe, ut ſingula quæ in iſtis ſunt, recenſeantur, quod maximi eſſet operis. Ideoque ut limitibus brevioribus circumcingamur, à ſequentibus excludentur; (1) Ubi de Deo, ejus exiſtentiæ demonſtratio ex profeſſo, de qua Carteſianæ meditationes conſulantur, Myſterium Trinitatis, Dei attributa & actiones quæ relationem ad creaturarum ſtatum particularem, ſalutem vel perditionem, involvunt, qualia ſunt decreta, creatio, conſervatio, providentia, amor, miſericordia, & ſi quæ

ſimilia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſimilia, particularius ſpectata in reſpectu ad res quales jam ſe habent: (2) Ubi de mente creata, quia illa non eſt tractatus hujus objectum principale, non agetur de explicandis ſpecialius ejus facultatibus, maxime iis quæ in relatione ad corpus cui unitur, conſiderari debent. (3) Similiter nec in ſpecialibus peccatis enumerandis, nec in modis quibus Deus circa illa agit exponendis, nec in eorum duratione, pœnis, contrariiſve recenſendis, verſabitur opera. Nolim tamen hoc ita rigide accipi, ac ſi nullo modo de iſtis mentio eſſet facienda: nam ſi lucem materiæ præcipuæ affundant, & explicandæ rei inſerviant, forte interdum ea cum illis quæ circa ea notabiliora occurrunt, oculis ſubjicientur, quanquam non ſit de illis ex profeſſo agendi locus.

V. His igitur ita excluſis, aſſumimus Deum, eaque illius attributa, quæ, ſi potentiam quodam ſenſu excipias, ita concipiuntur, ut in iis concipiendis non ſit neceſſario attendendum ad poſitionem actualem creaturarum, præſentemque earum ſtatum, quamvis ex iſtiuſmodi creaturarum conſideratione occaſio oriatur de illis cogitandi. Et hoc modo quæcunque de mente creata dicentur ut plurimum ſunt ſpectanda, quatenus ſcilicet ex ejus inſpectione ſumetur occaſio noſcendi Deum diſtinctius. Ut jam non ſit opus ut diu vagemur extra mentem noſtram,&,quæ in illa ſunt, diverſarum rerum ideas: nam ſeu exiſtant, ſive non exiſtant extra nos, jam perinde eſt; cum ad noſtrum ſcopum ſolæ earum notiones, quarum mens intime conſcia eſt, ſufficiant. De malo ſive peccato ſeorſim ea dicentur quæ cum ante dictis nectantur ſequela & generaliori tractandi modo.

VI. Ea autem ut nonnullus ſervetur ordo ſic diſponentur, ut primo, nebulæ quæ impediunt quominus mens rerum ſpiritualium ideam veram poſſit formare, diſcutiantur; quibus ſuperatis, generalis notio utriuſque mentis, increatæ videlicet, & creatæ, harumque agnoſcendarum cum ſuis perfectionibus imperfectionibuſque, ſi quæ eſſent, via in genere proponetur: Quam tertio, ſequetur ſpecialior Dei & Mentis creatæ deductio; rejectis ad ultimum locum quæ de peccato ſunt dicenda. Atque hæc quatuor totidem Libris comprehenſa, ut Deo placitum fuerit, ſubjicientur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

LIBER PRIMUS

IN QUO

Obſtacula removentur quæ impediunt conceptus Rerum Spiritualium.

CAPUT PRIMUM.

1. *De notitia rerum ſpiritualium ſententiæ quinque.* 2. *Refellitur prima.* 3. 4. 5. *repulſis hujus aſſertionis cauſis tribus.*

I. QUæ rerum ſpiritualium cognitioni offuciæ opponuntur, non unius ſunt generis. Sunt qui nullam plane, ſunt qui meris verbis, ſunt qui ſenſibilibus externis, ſunt qui imaginatione Mentium notitiam acquiri volunt, ſunt qui & puriori cogitatione ſeu intellectu; neque hiſce, qui ſtant à vero, deeſt, quod in ſequentibus interdum videbitur, ſuus nævus, in illis quæ ſæpe ut vera proponunt. Cæteris jam ibitur obviam.

II. Etſi illi qui verba mera, aut ea quæ ſenſibus vel imaginatione ſiſtuntur, pro idea ſeu notitia rerum ſpiritualium obtrudunt, iidem ſint conſequenter cum aliis qui nullam plane earum notitiam aſſeverant, in hoc tamen differunt, quod illi cognitionem earum verbo profitentes, ſua phantaſmata pro ea venditent: hi vero expreſſe eam inficientur. quæ ſententia cum abſurditate impietatem conjungit: ut ne jam dicam id eſſe amplecti principium Atheiſmi, & doctrinæ de Animarum exſtinctione, (quis enim rei planè ignotæ vitam tribuat? alioqui ſi vivere agnoſcitur, jam utique agnoſcitur) imo & omnem veri bonique cognitionem negare. Sufficiat talibus emendandis in mentem revocare ſe conſcios eſſe cogitationis, cogitantes de ſe, vel de chimæra, aut de rebus corporeis, ſi velint; ſe volitionis (ſic liceat actum exprimere) ſe affirmationis, aſſenſus, diſſenſus, & ſimilium conſcientiam habere. Conſcium eſſe alicujus non-nihili cogitantis, affirmantis, diſſentientis, figuram, chymæram ſibi repræſentare potentis, id vero jam eſt rem ſpiritualem aliquatenus cognoſcere. Sed quia in omnibus quæ ſequentur, hi in actu exercito (ut cum ſcholis loquar) repellentur, alios compellabimus, ſi modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

prius notaverimus, quidnam huic ignorantiæ profeſſioni potuerit obſtetricari.

III. Nempe multorum præjudicium eſt, res ſpirituales eſſe incogitabiles, hoc eſt, tales quarum natura non poſſit cogitatione repræſentari, ſed ſit ultra omnem cogitationem. Hinc, quicquid cogitari poteſt, quia cogitatur, & quidem clarè, negatur ideo ab illis eſſe de natura rerum ſpiritualium, ut tandem nihil aliud ſit ipſis natura ſpiritualis quam id quod neque concipitur, neque concipi poteſt: cujus, fateor, non datur notitia; Eodem prorſus modo quo formæ corporum, quas ſubſtantiales vocant, à ſuis defenſoribus finguntur ita incogitabiles, ut quicquid in corporibus clare concipitur, forma eſſe negetur, & nil ſuperſit quam quod noſci nequit, inani formarum nomine, quas etiam ignotas eſſe fatentur, inſignitum. Notare licet (quem modum deducendi hinc inde quædam minus abſtracta interdum ſequemur, ne cætera nimis jejuna, & nullius uſus videantur), licet inquam notare morbi hujus in multis contagium. etenim, vel in Theologicis, ſi quid nova, eaque facili claritate concipiendum exponatur, à quibuſdam ob iſtam claritatis evidentiam ſæpe timebitur ne non ſit ibi veritas, quam tamen adeſſe ſibi perſuadebunt, ubi obſcuritas & terminorum nebulæ rem eandem ita involvent ut non poſſit intellectum iri, ſuperſitque indebito ſtupori locus. Sic in praxi, vita ſimpliciſſima, & quæ ut claræ ideæ à confuſis, ſic à turbæ & calliditatis confuſione remota eſt, nulla vita vulgo habetur. & in univerſum, quælibet clara, plana, facilia & ſimplicia, quæ ob naturalem cum intelligendi facultate convenientiam non multum nec diu faciunt impetum, turbant, vel commovent, pro nihilo reputantur. alia ignota ſupponenda ſunt pro rebus, quæ majora & magis mira poſſint præſumi. Quamvis autem talis ignorantiæ jactatio ideo forte quibuſdam placere poſſit, quod ſinceritatis, humilitatis, & modeſtiæ ſpeciem videatur habere, dum defectus ſuos ita aperte fatetur; tamen, ſi dicendum quod res eſt, verendum eſt ne ea ſit indicium animi tum prophani, non curantis (ut ſacris verbis utar) Deum habere in notitia; tum ſuperbi & ſimul rudis, qui cum ea quæ in ſe ſunt non animadvertat, non tantum non vult cæteris, qui ea noſcunt, inferior videri, vel etiam æqualis, ſed & ſuperior, omnem omnium ſcientiam gaudens conculcare, & cuique dicere, Tu non modo nil ſcis, ut Ego: ſed & ego hoc præ te habeo quod ſciam te & alios mecum nil ſcire, tu vero id neſcias.

IV. Sunt alii qui ideo negant rerum ſpiritualium dari notitiam, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quod eas inſtar corporum noſſe non poſſint. Hi cum in mentium notitiam volunt aſſurgere, ex conſuetudine prava ſibi illico aliquod ſubtile corporeum imaginantur, quod pro natura mentis ſive ſpiritus (nam his vocibus indifferenter utimur) aſſumant. Sed cum abſurda ſine numero vident ex illa ſuppoſitione conſequi, nec plane poſſint in iſtis imaginibus, quibus ſolis veram notitiam adipiſci poſſe putabant, quieſcere; maluerunt profiteri nil de rebus illis poſſe ſciri, quam, ut abſurde alii, iſtas imaginationes pro notitia mentium venditare, quod eſt candoris ingenui; verum enim eſt nullam dari mentium notitiam, eo ſcilicet modo quem ſibi imaginantur, nullamque omnino ſi is ſolus eſſet, ſed aliam, eamque veram ſupereſſe ad eas cognoſcendas viam, pluribus in poſterum dicetur.

V. Denique quidam cum viderent ſe non poſſe intellectu comprehendere omnia quæ in mentibus ſunt, vel eſſe poſſunt, puta omnes perfectiones in Deo, omneſque facultates ac variationes in mente creata, negarunt idcirco illarum dari notitiam. Quo ſenſu fatendum eſt non tantum mentium, ſed & cujuſvis corpuſculi, non dari notitiam, cognitionem nempe ita adæquatam, ut omnium quæ in aliqua re ſunt & eſſe poſſunt conſcii ſimus: nam vel minimi pulviſculi particulas omnes, motus, ejuſque gradus & vias, figuras, poſſibiles quoque, & ſimilia quæ ipſius ſunt determinare ne forte angelus poſſit. Deus quidem ejus notitiam habet adæquatam, cum ſingula, quæ in illo, perfecte noſcat, ſinguloſque modos quibus affici poteſt: ſed cum nulla ſit ratio qua probetur notitias, quaſcunque mens creata de ulla re poſſit habere, æque perfectas eſſe cenſendas atque illa eſt quam Deus de quavis re habet; cumque cognitio Dei ſit adæquata, non eſt igitur cur notitia ulla quam mens creata habet præſumenda ſit adæquata. (Sed de hac re in lib. III. ubi de cognitione Dei). Prout autem, quamvis inadæquate corpora concipiantur, non ſequitur inde, vel ipſis fatentibus, non dari corporum notitiam; ſic neque obſtat ea ratio, quominus aſſerendum ſit, dari de rebus ſpiritualibus notitiam, mediocrem quidem illam, & à principiis primis ad ultimos receſſus non diffuſam, ſed quæ tamen ſit vere notitia, non mera ignorantia. Superbiæ eſt nolle in mediocribus manere, & niſi ſumma tenere tibi concedatur, cuncta faſtidioſe repulſare.

VI. His accenſeri poſſent illi qui ſpiritualia non niſi modo negativo cognoſci ferunt: ſed commodius cum illis agemus alibi.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT II.

1. *Secunda ſententia, quæ eſt partim Hobbii.* 2. *Refellitur ex ſuis hypotheſibus.* 3. *& ex rei veritate.* 4. *ejus cauſæ effectiſque plurimis, ut occurrendum ſit.*

I. INter illos qui opinionem modo rejectam fovent, non parum eminet Hobbes, Philoſophus Anglus, qui non tantum notitiam, ſed & exiſtentiam rerum ſpiritualium negavit, ſtatuens omnia, etiam ipſum Deum, eſſe corpora, ſeu res extenſas & quantas, ut diſerte ait in appendice ad ſuum Leviathan. Hic vir ita pertinaciter errori ſuo, (unde omnis Dei vera notitia atque pietas evertitur) adhæſit, ut omnia ſcripta ſua inde coinquinaverit. Sed cum natura non poſſit ita abjurari, quin vel furcâ expulſa recurrat, hinc eſt quod multis paſſim de iſtis diſcurrat. Verum non una dicit, ſed quaſi palpans in tenebris miſcet diverſa, ut ſi una refutentur alia obtrudat, quæ, ut ex uno hydræ capite amputato, ſeptena renaſcantur. Dicit notitiam diſcurſivam fieri per nominum conbinationes, nomina autem eſſe ſigna cogitationum, cogitationes omnes eſſe, vel ſenſionem, vel imaginationem, & neutra Deum noſci (cujus contrarium aſſerit ubi Deum affirmat eſſe corpus, omnem ſubſtantiam eſſe corpus, nos in Deo moveri ut extenſum in extenſo, quæ imaginabilia ſunt) & nihilominus tribuit Deo nomina. Vult ergo illa eſſe voces inſignificantes quibus cogitatio nulla reſpondeat, cujus claſſis eſſe ait voces *ſubſtantia incorporea, immaterialis*, quæ, & ſimilia (a) non ſemel apud eum reperire eſt. Quæ cum impedimento conſtanter fuerint viro qui ſubtiliſſimus habetur, operæ pretium fuerit, ne aliis etiam remoram injiciant, removere.

(a) Vid. ſuam Logic. cap. II. item Leviath. capp. I. II. III. XXXIV. XLV. & in append. Et breviter de Cive cap. XV. §. 14.

II. Si qui cum ipſo ejuſdem ſint ſententiæ, eos facile eſt ex propriis hypotheſibus convincere. Dari res ſpirituales non negaverit ipſe, ſi moneatur, nil aliud per illas intelligi quam res cogitantes. An vero illæ à corpore differant, necne? alterius eſt loci, ſufficiat hic ex ipſo probare, non eſſe mera verba quæ de illis per ratiocinationem, aliumve modum, noſcuntur: quod ſic conficitur. Primo, dicit verba ſeu nomina eſſe ſigna cogitationum animi. Talia autem ſigna ſeu nomina Deo attribuit plurima. Igitur ejus (Dei, rei ſpiritualis) notitia, non in verbis, ſed in cogitatis conſiſtit. Nec jam refert an cogitata illa Deo ſint ſimilia, nec ne: quicquid id ſit, ultra verba aliquid eſt. Imo, quod pluseſt, cum fateatur Deum non noſci ſenſu, nec imaginatione, ſequitur illud quod in animo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

animo eſt, & nomine ſignatur, eſſe cogitatum ſenſu & imaginatione purius & ſuperius. Secundo, aſſerit, Deum exiſtere, eſſe natura notum: ſed nulla nomina, etiam Dei, ſunt natura nota, ſeu demonſtrabilia, hoc eſt, non patet ex naturæ inſpectione quo ſono deſignandus ſit Deus; & omnia nomina ſunt ex pacto, ut ait. quod igitur de Deo natura noſci poteſt, aliquid eſt præter nomen. Tertio, cum dicat Deum exiſtere eſſe certum natura; alibi vero, nempe in objectionibus in Meditationes Carteſii tertiis, (ubi iis collatis cum cæteris ipſius ſcriptis, patet eum ex animo loqui) concedat incertum eſſe ulla corpora, ulla ſenſibilia, ulla imaginatione efficta, exiſtere; cum de illis omnibus, quæ à Scepticis in dubium revocantur, dicat, *veritatem hujus meditationis agnoſcimus*; ſequitur, illam Dei notitiam quæ certa ipſi eſt, non eſſe in verbis corporeis incertis, ſiquidem eorum ſubjectum, corpus omne, incertum ſit. Ex conceſſis licet, quarto, concludere, dari notitiam non tantum de Deo, ſed & de pluribus rebus quas patet non eſſe corpora, eamque notitiam non eſſe verbalem. Certo noſcit ſe cogitare, velle, nolle (quod & plurimis commune eſt), & interim non noſcit an dentur corpora, ſenſibilia & imaginabilia, adeoque per conſequens, voces & nomina: datur ergo notitia rei abſque corpore & nomine. Imo convincitur dari ratiocinationem abſque ſenſu, imaginatione & nomine, ex ſuis verbis: *Si ſenſus noſtros ſine alia ratiocinatione ſequamur, merito dubitabimus, an aliquid exiſtat, nec ne.* Si ratiocinatio ſit ſequela nominum, nomina imaginationis, imaginatio ſenſuum, quomodo demonſtrabis quædam exiſtere non ſequendo ſolos ſenſus? Ratiocinatio igitur non eſt verborum, quæ ſenſus ſunt, & corporum motorum: alioqui volens hæc probare, tu eadem in anteceſſum per tuam ratiocinationem, quæ ſenſuum eſſet ſequela, præſupponeres; neque etiam eſt imaginationis, quam vocat ſenſum dilutum. Sed de his ad hominem ſatis: imo vereor ne hæc, nonnullis forte tædioſa, eos à ſequentibus, acſi in ſimilium nugarum diſcuſſione conſiſterent, abſterreant. Hæc tamen, quia plurimi cum illo decipiuntur, ideo dicta ſunto. Quæ de cæteris hujus Philoſophi opinionibus circa ſenſualem & imaginariam notitiam poſſent dici, hiſce quoque ſatis ſuperque refutata ſunt, ut non ſit opus ea in ſequentibus de novo recenſere.

III. Nec minus à ſana ratione diſcedunt quicunque in rebus ſpiritualibus nominalem illam notitiam obtrudunt. Cur potius in nomine, in verbis, conſiſtat cognitio ratiocinio, aliove modo, parata, quam in motu linguæ, aut aëris? quam in characteribus, aut atramento, ejuſve

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ad chartam applicatione? Brutum eſt, & Pſittacorum dare ſine mente ſonos, quorum uſus, ni ex eorum occaſione alicujus rei ſis conſcius, nullus eſt. Sed & quoties inter ſomnum, aut etiam vigiliam, abſque verbis reperitur in nobis multorum conſcientia? quæ ipſa, cum à nobis agnoſcatur, utrumque, & rem ſpiritualem, & notitiam non verbalem, exhibet. Et quamvis per verba mentium notitia promoveri aut retardari poſſit, non tamen demonſtratur hanc illis abſolvi, ſed potius aliquid quod in animo eſt, illis notari, quod illis præſentibus ſæpe excitatur, ſæpe quieſcit abſentibus.

IV. Inter ſententiæ hujus cauſas præcipua eſt, quod mens ſibi, ſuiſque actibus, ſatis non attendat; ſed levitate quadam extra ſe quaſi evolans, in externis vagetur: inter quæ degens, cum nil magis audiat commendari ſcientia, præſertim de ſpiritualibus, eam, cùm ob defectum attentionis non poſſit capere, in ſolis, quæ audit, verbis ſubſiſtere putat. Ex hoc fonte eſt quod multi pietatem & ſacra ſua quam ſpiritualiſſima collocent in preculis, ſeu verbis, certo tempore, numero, certoque modo alligandis, pronunciandis, decantandis, vel audiendis; quod infantium mentem conemur ab incunabulis obruere verbis. Sed & doctorum altercationes innumeræ, ſtudium linguarum immodicum, ut quis decem modis nominare poſſit rem ne ſemel quidem cognitam, non aliunde manant. Inde eſt & illud nunquam ſatis deplorandum, quod nulli fere in ſeipſis ſcientiam, in primis mentium, quærant; ſed omnem in libris, & in authoritate verborum humanorum, rixarum fundamentis, latitare putent: non aliud agentes ubi aliquid ſcire cupiunt, quam quod mentem ſuam quærant onerare alienis dictis & vocibus, ſibi nunquam reſtituti per puram, liberam, atque ſolutam meditationem, quæ omnium ſcopus: ad quam etſi extranea iſta interdum conferant, ei tamen ubi iſtis adhæretur, nocent potentiſſime, haud ſecus ac perpetua ſtatio in via impedit quominus perveniatur ad metam. Quæ omnia incommoda ſi quis evitare volet, abſtrahat à verbis omnino neceſſe eſt, idque non modo cum ad propria mentis ſuæ cogitata vult attendere, verum etiam cum ex aliorum ſcriptis aliquem fructum tranquille colligere tentat. Nam cum duas diverſas cogitationes interdum una voce ſignent, aut unam diverſis vocibus, ſæpe videntur eadem in re opponi ubi de verbis ſolis certant: adeoque non tam attendendum eſt verbis, quam cogitatis quæ probabile eſt eos habere, utut non appoſite exprimantur. Et in univerſum fere certum eſt, eos qui de primis cognitis, ideis, differentiiſque diſſentiunt, ſolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

verbis diſſentire, ut facillime id appareret, ſi verborum, quibus utuntur, peterentur definitiones ideam claram in mente excitare aptæ. exempli cauſa: dicit Hobbes non dari ſubſtantiam incorpoream; nos vero, contra: donemus ipſi ſua verba, ſed attendamus ad id quod quiſque in mente habet. Is per ſubſtantiam intelligit corpus, rem extenſam: ſic, do tibi non dari corpus incorporeum. Sed ego per eas voces ſignifico eſſe aliquid, ſeu non-nihil, quod eſt conſcium eorum quæ ſunt in ipſo, quod non negas dari. Dicis hoc ipſum (quod mentem voco) à corpore non differre realiter, alius affirmat: An vis ideam, ſeu conceptum, ſeu attentionem non poſſe haberi de cogitatione, quin eo ipſo habeatur de extenſione, & vice verſa? ut non poſſit unum concipi ſine altero? ut conſcium eſſe alterutrius ſit eo ipſo conſcium eſſe utriuſque? Non dicit. bene: hoc ipſum eſt quod vocamus re & ſubſtantia differre, quam locutionem, niſi ſis indocilis, recuſare non debes, de ejus ſenſu prius edoctus. Quod ſi tu per vocem *mens* deſignare vis corpus, ſeu extenſum, bene concepta male ſive non uſitate exprimis. Atque ita de cæteris. quæ in dictionariis ſic deberent proponi, ut cogitationibus diſtinguendis inſervirent, non vero præter vocum pronunciationem ſubſtitutionemque vix quicquam docerent.

CAPUT III.

1. *Tertiæ opinionis de notitia ſpiritualium per ſenſus acquirendæ, ejuſque ſequelarum abſurditas.* 2. *Senſus non ſunt exemplaris vel efficiens cauſa notitiæ.* 3. *Nec occaſio neceſſaria.* 4. *Eorum hac in re uſus & incommodum.*

I. CUm verba, de quibus modo, ſenſus non abſolvant, etiamſi ad eos referantur, ulterius inquirendum, an in ſenſibus, quos externos vocant, ſit rerum ſpiritualium notitia? De tactu, guſtu & olfactu, (ut populari hac diviſione utamur) non eſt, credo, quod diſceptetur: at de alteris duobus audias, unum eſſe ſenſum diſciplinæ, alterum experientiæ, nil eſſe in intellectu quod non prius fuerit in ſenſu: // Ideam Dei ex ſermonibus aliorum, ex rerum corporalium inſpectione poſſe efformari. Hinc plurimi Dei & cæterarum mentium ideas, eaſdem eſſe putant cum apparitionibus corporeis & viſis illis extraordinariis quæ de Deo aut de Angelis in Sacris facta fuiſſe dicuntur. Quærunt an Deus ſit viſibilis in altera vita? & hanc optime ſibi repræſentare putant ſi ſplen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſi ſplendida, ſi pulcra, ſi exquiſitiſſime ſenſibus accommodata, concipiant. Quare multi mentis ſuæ erga Deum regimen, hoc eſt, Religionem, in apparentibus ſtatuunt, & vel aurium titillationi, vel oculorum delectationi, coloribus, figuris, motibus, materiæ cujuſdam præſentiæ, uſui, vel etiam viſioni, aut tactioni, toti occupantur. quæ inter omnes nationes diverſe obtinentia, mortales ad odium & cædes mutuas diviſere, & à vero Dei regno, cujus ſubjectum primum præcipuumque non norunt, elongavere, ex ignorantia eorum quæ menti utrique increatæ & creatæ ſunt propria, & ſubſtitutione ſenſibilium, quæ impoſſibile eſt non eſſe multiplicia & diverſa, pro intellectualibus.

II. Ut autem hac in re aliquid certi & clari determinari poſſit, ſenſum conſiderabimus quatenus eſt in corpore, ut deinde videamus quid ex illo ad mentem reſultet; & an mentium notitia ſit à ſenſibus. Res una poteſt dici ab alia eſſe, vel tanquam ab efficiente cauſa, vel tanquam ab exemplari, vel tanquam ab occaſione: quibus modis poteſt peti, an Mentium de ſe vel de aliis notitia à ſenſibus procedat? At cum ſenſus in corpore nil ſint præter motum materiæ ſeu organorum, motus autem nil poſſit efficere præter motum ejuſdem naturæ (quæ ſeparatio ſuperficierum eſt) mens vero ſit incapax iſtius recipiendi; patet non modo notitiam non poſſe ullam in mente à ſenſibus effici, ſed & nil prorſus, utut quamminimum fingi poſſit. Quod etiam in mente, illa ipſa, aut aliud efficiens, nil producat depromptum ex ſenſibus corporeis tanquam ſi hi exemplaris vices ſuſtinerent, facile eſt animadvertere: nam ipſa ſenſio, ſeu perceptio, non eſt in corporeis. Imo ideæ extenſionis, motus, figurarum, quæ per ſenſus corporeos venire putantur ut corporum notitiam habeamus, tales ſunt, ut ſi exacte quod res eſt dicere velimus, debeamus judicare rem ſe plane aliter habere in corporibus: alioqui, quia ſola ſuperficies ideâ ſenſuali (ut ſic dicam) ſiſtitur, ſolam ſuperficiem corporibus tribuere deberemus, nullam vero profunditatem, nullum quoque motum niſi craſſa Minerva, nullam figuram vere regularem: nam vera motus inſtrumenta & vehicula, exactæ corporum figuræ, omnino occultantur. Quod ſi nec aliunde nec prius alias multo puriores & ordinatiores haberemus in mente corporum, figurarum, motuum ideas, nil vere de corporibus cognoſcere poſſemus. Quanto minus exiſtimandum eſt, perceptiones quæ in mente ſunt Lucis, colorum, ſonorum, & ſimiles, ut & caloris, doloris, & ejuſmodi, habere inter corporea ſuum exemplar ad cujus ſimilitudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nem ſint formatæ? Igitur nil in mente à ſenſibus, quatenus in corpore ſpectantur, efficitur, nil illorum repræſentatur unde poſſit dici, notitiam, ne illam quidem de corporibus, duobus hiſce modis ab illis provenire. Quod ſi nec corporum notitia, qua ratione notitia de mente ab illis efficeretur, vel ad illorum ſimilitudinem eſſet accommodata?

III. Reſtat ut videamus an ſenſus ſint occaſio notitiæ quam mens de ſpiritualibus acquirit. Notandum duplicis generis ideas in mente ex occaſione ſenſuum excitari: Unas vocabimus primarias, ſeu immediatas, quoniam illæ non ex interventu voluntatis noſtræ formantur, & præcipue ſpectant ad ſtatum corporis noſtri illas excitantis, quatenus id ad ſui conſervationem quibuſdam corporibus, quibus circumcingitur, jungendum eſt, & ab aliis quibuſdam removendum, quod præcipuum illarum eſt officium. Non enim dati ſunt ſenſus corporei, ut patet in brutis, ad veritatis rerum cognitionem, quæ intellectus, non ſenſuum, eſt objectum: ſed ut organorum corporeorum ſyſtema integrum ſervaretur. Hinc ideæ illæ primariæ quæ ab ipſis immediate in mente excitantur, non putandæ ſunt ſchematiſmi rerum: confuſæ & tumultuariæ ſunt perceptiones, quæ pro diverſitate graduum jucunditatis vel moleſtiæ, diverſum arguunt habitum objectorum externorum, alimentorum, ſanguinis, & ſpirituum animalium ad corporis totius compagem, dum externis, lux & colores, ſoni, odores, ſapores, & tactiles, quas vocant, qualitates, melius ideæ; alimentis, ſitis & fames; ſanguini, paſſiones; & ſpiritibus animalibus, eorumve vaſculis, dolores & titillationes vehementiores ut plurimum reſpondent. Horum omnium cum ſenſus corporei nec efficientes, nec exemplares ſint cauſæ, ſed mera occaſio, nil extra quam quod ſimul cum illis ponantur, commune cum illis habentes; cum ea, etſi in mente ſint, non tamen ſint in omni, nec ex arbitrio, neque prorſus in mente divina; patet, ex iis occaſionem noſcendarum mentium haberi non poſſe niſi imperfectiſſime, quatenus inde noſcere eſt mentem eſſe rem videntem, audientem, famem percipientem, dolentem, lætantem, & ſi quæ ejuſmodi. quam inadæquatiſſimam, non naturæ mentis, ſed modorum ejus quorumdam accidentariorum cognitionem, non omnium, ſed quarumdam mentium creatarum, ipſa attentio mentis ad ſe ex corporis occaſione efficit. Nil igitur in his quod ad notitiam naturæ mentis in ſe ſpectatæ, maxime vero increatæ mentis, conferat. Sunt & aliæ ideæ quæ ex occaſione harum priorum, & conſequenter ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſenſuum corporeorum, in mente excitantur, quas idcirco mediatas vel ſecundarias vocare poſſumus: ut cum lumen ex hac charta reflexum oculos diverſimode movens, excitanſque in mente ideas colorum quibus characteres varie repræſentantur, poſtmodum ſequitur idea ſeu cogitatio de Deo, de anima, de aliis: vel cum, ſono quodam audito, mentem ſubit cogitatio, indeque notitia multarum, ut ſæpe fit, rerum: vel cum famem ſentiens cogito conſequenter de mentis meæ inopia, Deique ampliſſima copia: vel cum triſtis aut dolens, attendo ad Dei ſapientiſſimam in omnia providentiam. Et ob has quæri poteſt, quia eæ revera pertinent ad notitiam mentium, & experimur eas ſequi ex coloris vel ſoni perceptione, vel ex alio affectu, cui ſenſus corporeus occaſionem præbuit, num ſpiritualium rerum notitia euſque ſenſibus alligata ſit, ut hi ſint ejus, non cauſa quidem, vel exemplar, ſed occaſio, quæ poni debeat ut ſequens ponatur notitia, quemadmodum de prioribus ideis dictum eſt? Reſpondetur rem omnino ſe aliter habere cum his ultimis ac cum primis. Etenim primæ ſtatim vel invita voluntate, ponuntur poſitis ſenſuum motibus: non ita ultimæ poſitis primis. Quot infantes, plebei, tardi, barbari, verba hæcce, aut ſimilia, audire vel videre poſſunt, in quibus tamen nulla perceptio juſte reſpondeat? Unde confidenter aſſeverare licet, ſi nil magis perfectum quam quod eſt in ſenſibus, earumque ideis, aliunde accedat, neminem unquam poſſe ex his incidere in Dei, mentiumve notitiam: eſſetque veriſimilius nos, ſi audiendi facultate eſſemus deſtituti, ex ſola colorum viſione in ſonorum notitiam devenire, ſiquidem plus analogiæ ſive paritatis fingi poſſit inter colores & ſonos, quam inter res corporeas (vel earum ſenſibiles ideas) & Deum. Aliunde adſint oportet rerum ſpiritualium ideæ, quas attente mens contempletur, multa ſtudio multo in iis detegens, quæ demum labore & induſtria coloribus, characteribus, verbis, ſonis alliget, ut cum per corporea à ſpiritualibus ſit ſæpe evocata & impedita, per ipſa etiam aliquando minus quam per alia impediatur, memineritque hoc modo ſui ad ſe reditus. Id ni foret, in legendo vel audiendo, omnis luderetur opera: verborum externorum plauſtra non inferunt ſua poſitione verba interna, quæ demum vere verba ſunt, quæque nemo hominum alteri loquendo inſinuare aptus eſt, ſed impreſſit ſolus mentium author Deus, ad quæ capienda collecta mente, cæteris relictis, ſerio eſt attendendum.

IV. Ex quibus patet, ſenſus primo & præcipue nos à rebus ſpiritualibus abducere: mentem tamen ſibi attentam poſſe ita illis uti, ut quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

in ea ſine illorum vi ſunt impreſſa & cogitata, poſſit eorum occaſione, non naturali, ſed ſtudio multo acquiſita, iterum in cogitationem revocare. Attendamus igitur principio ad ea quæ in mente ſunt. quod ſi facere datur, multis, iiſque tantis impedimentis liberabimur, ut quæ emolumenta ab iiſdem nos habere credimus, ullius vix fuerint conſiderationis: ut vere Carteſius quinto opponenti dixerit: *Quia tam ingenue interrogas quas putem mentem meam habituram fuiſſe Dei & ſui ideas, ſi ex quo infuſa eſt in corpus manſiſſet huc uſque in eo clauſis oculis, & abſque ullo aliorum ſenſuum uſu: ingenue & candide reſpondeo, me non dubitare (modo ipſam in cogitando non impeditam à corpore, ut neque etiam adjutam ſupponamus) quin eaſdem, quas nunc habet, Dei & ſui ideas fuiſſet habitura, niſi tantum quod multo puriores & clariores habuiſſet: ſenſus enim ipſam in multis impediunt, ac in nullis ad illas percipiendas juvant: & nihil obſtat, quominus omnes homines eaſdem ſe habere æque animadvertant, quam quia in rerum corporearum imaginibus percipiendis nimium occupantur.* Illas igitur ſemoveamus, ſeu imaginatione, ut mox dicetur, ſeu ſenſu, ut jam dictum, ſiſtantur; atque obiter animadvertamus, quod ſi nec corporum notitia ſit à ſenſibus, multo minus ſpiritualis & divina veri & boni cognitio, imo fruitio, cum illorum craſſaminibus nectitur: ut proinde multum abſit quin illis cum exuviis corporis depoſitis, jacturam momentoſam patiamur.

CAPUT IV.

1. 2. *Quarta opinio, quæ eſt Imaginationis duplici nomine ſe omnibus conceptibus immiſcentis, & omnia, etiam divina, conſpurcantis.* 3. *Conſuetudini imaginandi an ex Carteſianis meditationibus obviam iri poſſit?* 4. 5. 6. *Deducuntur inde imperfectiones imaginationis & perfectiones purioris cogitationis.* 7. *Imaginabilia paucis remota.*

I. HActenus repulimus tum eos qui rerum ſpiritualium notitiam ideaſve dari negant; tum eos qui illorum corticem ſeu ſigna, nempe mera verba, amplectuntur, eos denique qui ad ideas quidem, ſed alienas, nempe ſenſibiles, convertuntur. Supereſt ut imaginabiles, utpote quæ plane etiam alienæ ſunt, ab hac tribu abdicemus. Duplici nomine eæ in omnibus noſtris conceptibus ordinarie hoſpitantur: Primo conſuetudine, quæ eis locum & ortum; ſecundo præjudiciis quibuſdam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

dam falſo pro axiomatis habitis, quæ eiſdem nutrimentum & robur ſuppeditarunt.

II. Impoſſibile eſt ut Dei vel mentis creatæ habeatur notitia, ideave diſtincta, quamdiu mens non liberabitur ab ideis imaginariis ſive corporeis, quæ eam ita pertinaciter ab ortu tenent, ut ex conſuetudine, nil reale, nilque perfectum ſine illis concipi poſſe ſibi perſuadeat. Ubivis, in rebus ipſis quas ſpirituales recte aut ſecus arbitratur, extenſionem, ſpatium, ſæpiſſime motum, aliaſque corporeas proprietates admiſcet: qua mixtura omnia corrumpuntur. Quapropter operæ pretium eſt, ut quilibet conatu ſummo, & rationibus undique conquiſitis renitatur tam pertinaci verſus corporea inclinationi, quæ non tantum ſpeculationes philoſophicas, ſed & Divinam notitiam, & cultum religioſum, alieni intruſione conſpurcat & deperdit. Externa idololatria qua ſtatuæ materiales ut ad Deum relatæ coluntur,non aliunde eſt quam ex eo quod in Deo & in mentibus concipiendis, hominis animus ſe ad imaginabilia converterit, inde quas intus finxit imagines non dubitavit externo typo exprimere, ſine quo nihilominus interna fuerit idololatria Deum imaginandi facultate percipere velle, ſive Deum ſub ſpecie humana, aut ſub idea neſcio cujus extenſi ſubtilis omnia permeantis, & ſine nullo terminum habentis effingas. quem errorem inter ſuos confitetur Auguſtinus, quique revera eſt mutatio incorruptibilis Dei in ſpeciem corruptibilis creaturæ: &, ſi eum ad creatam mentem referas, eam repræſentare inſtar tenuis cujuſdam rei ſpatio definitæ, eſt naturæ ejus, veræque adeo Divinæ imaginis, abnegatio.

III. Utile eſſet ad mali hujus expulſionem ut Carteſianarum Meditationum Prima cum parte ſecundæ, attente evolveretur. Nam cum ibi objectiones omnes Scepticorum proponantur iis qui adhuc earum ſolvendarum ſunt neſcii, inde habitum contrahunt priori contrarium, omnes imagines corporum, extenſionis, figuræ, motus, ſpatii, à conceptibus ſuis removendi, ut facilius tutiuſque mentem concipiant extra periculum alieni in ejus idea admiſcendi: quippe qui ne aliena admittant, eo deducentur, ut ad tempus ſupponant nil corporei, nil extenſi, nil ſpatium occupantis, nil moti, verbo, nil ejus quod imaginatione offertur, exiſtere; imo, nullum locum, nullum ſpatium, quo melius importuna phantaſmata in illis volitantia recedant, & mentem ſibi ipſi permittant.

IV. Porro, ſi hæc attente meditentur ex iis patebit, primo, Omnia quæ imaginatione repræſentantur, eſſe dubia & incerta, ob rationes ibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ibi expreſſas, & quamdiu ſola imaginatione uti volumus ad eorum notitiam. Aſſero, nullam veritatem, de re ulla, de mente, de corpore, ejuſque exiſtentia vel eſſentia, demonſtrari poſſe ab ullo quamdiu ſola imaginatione utitur. Tentet id qui volet. Sed & probare ſeu tentare velle, jam aliquid eſt imaginatione ſuperius. Imagines corporeas in phantaſia contemplans illarum quidem conſcius eſt, ſed nec certus eſſe, nec alios certos facere poteſt, eas non eſſe vana ſomnia & figmenta quibus deludatur, niſi ultra illas mentem evehat, & certitudinis ſuæ aliud quærat fundamentum quam nudam illarum in imaginatione præſentiam.

V. Deducetur inde, ſecundo, eſſe in nobis facultatem cognoſcendi imaginatione ſuperiorem. Si imaginatio eſſet facultas ſuprema, non quæreremus ultra illam aſſurgere: nam unde hoc nobis in mentem veniret, ut, tanquam ſuperioris conſcii, illam deſerere cogitaremus, noſque ad ſublimiorem cogitandi modum, qui nec figuras, nec ſpatia, ſimiliaque intueatur, elevare? Sed & velle iſtud negare, aut de illo dubitare, actus iſtius, quam dicimus, facultatis eſt. qua enim figura, quo ſpatio, voluntatem illam cujus es conſcius, quæque infinitis aliis modis variari poteſt, concipis, & tibi præſentem notamque ſiſtis? Nobilem hunc concipiendi modum, ab omni extenſione remotum, non dubium eſt accommodari debere objectis nobiliſſimis, quæ niſi ipſæ mentes fuerint, nulla merentur hoc nomine compellari.

VI. Nec difficile eſt & illud tertium hinc colligere: Dari objecta, eorumque notitiam talem, quæ cum imaginatione, ejuſque objectis, extenſione, ſpatio, motu, nil plane habeant commercii. Facultatem nobiliſſimam illam objecto deſtitui & agere non poſſe, (hoc eſt, nihil quod omnino corporeum ſit poſſe, prætermiſſis imaginabilibus, cognoſcere) axiomatibus innatis adverſatur. Sit potius illa ipſa ſui objectum, & hoc ipſum noſcat. Objecta quod concernit, notandum eſt, pleroſque homines ſibi imponere, putantes ſe concipere aliquid, cum ſæpe nihil concipiant, tametſi verbo aliquid eſſe dicant: verbi cauſa, cum prætendunt materiam ſine quantitate, aut mentem ſine cogitatione cognoſcere, objectum quod illis ſupereſt, nihil eſt. At non ita, cum in concipienda mente quantitatem, extenſionem, ſpatium, motum, & ſimilia, removemus; non ſic tollimus omne reale, ſupereſt aliquid quod non eſt nihil, ſed quam maxime poſitivum & perfectum, nempe aliquid cogitans, dubitans, volens, affirmans, negans, ſciens, amans, gaudens, ecquis omnia ſublimia, præ quibus imaginabilia vix quic-

quicquam ſunt, incerta ſunt, obſcura ſunt, enumeret? Sed hæc ad ipſam notitiam: de qua, ut de facultate & objectis factum eſt, aliquid quoque eſt annotandum: nempe eam non eſſe completæ certitudinis, ubi concipi poteſt objectum ejus non exiſtere; nec ſummæ evidentiæ, ubi in ipſis quæ prætenduntur clariſſima eſſe, ſupereſt obſcuritas: quibus duobus incommodis quæ imaginationi omni adhærent, intellectualis mentium notitia liberatur. Qua enim abſurditate aſſereretur dari triangulum abſque figura vel extenſione, pari contenderetur me dum cogito vel non exiſtere, vel non habere facultates volendi, & ſimiles, eaſque cognoſcendi: cum, ſi hæc negarem, eo ipſo faterer me *velle* negare, & me *noſſe* quid negem: adeo ut notitia intellectualis quam habeo de me cogitante, ab omni imaginatione remotiſſima, ſit ultimæ certitudinis. Non ita de notitia corporum, maxime de illa quæ imaginatione fieri prætenditur. poſſibile enim eſt mihi concipere, me cogitante nulla exiſtere corpora, ſpatia, & ſimilia, vel poſſe ea non exiſtere; ita ut mei de me cogitante cognitio non idcirco fiat incertior: quæ ſuppoſitio nec impoſſibilis conceptu, nec abſurda, ut mox præcedentes, eſt dicenda. Præterea in imaginatione in ſe ſpectata, ſemper involvitur obſcuritas & confuſio: nam cum prætendat ſibi quaſi præſentia ſiſtere omnia quæ in extenſione, figuris, motibus; ea vero, quamquam vel unius corpuſculi, ſint indefinita; neceſſario conatu excidit, & ſi quid amplecti putet, maſſæ ſunt confuſæ quæ illam defatigant & deludunt: cujus exemplum ipſe Hobbes de ſe ipſo præbet in rebus corporeis alioquin clariſſimis & omnium facillimis cognitu, unde patet quam importunum ſit vel in rebus materialibus imaginatione uti & niti. vir enim ille imaginoſus, quia ut cætera, ſic & principia Geometriæ imaginatione voluit metiri, in libello quem de principiis & ratiocinatione geometrarum conſcripſit, ſtatim in ipſo limine lapſus eſt, dum punctum, lineam, ſuperficiem, imaginatione capere volens, tribuit illi partes, iſti latitudinem, & huic profunditatem, unde & plura alia abſurda imaginatur. De intellectuali notitia non ita eſt, præſertim cum illa circa mentes verſatur: quæ concipit, ea vere ſuo modo attingit qualia ſunt, & ut diſtincta ſunt ab aliis quæ non ſunt id ipſum, ut exemplis de re cogitante allatis attendenti cuivis liquet. Neque ad id opus eſt ut omnia quæ in ſuo objecto ſunt capiat, ſufficit ſi quæ pauca attingit, vere qualia in ſe ſunt, & qualiter ſe revera habent, ſuo modo attingat. Quomodo igitur, ut ad rem præcipuam redeamus, id quod parum realitatis poſſidet, quod non eſt plane certum, quod negari poteſt, quod eſt obſcurum, nempe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

omne imaginatum, fuerit fundamentum cognoſcendi id quod maxime reale ſeu perfectum, quod certum, quod inconcuſſum, quod evidens, & diſtinctum? Quomodo imaginata extenſio cum annexis, fuerit notitiæ intellectualium cauſa, medium, vel notitia ipſa?

VII. Quæ omnia ſi bene animadvertantur, non munient tantum viam ad notitiam mentium; ſed & earum naturam ab omni imaginabili alienam demonſtrare apta ſunt, quod hic loci non perſequemur ulterius, cum ſuffecerit ea propoſuiſſe quæ à conſuetudine nos ad imaginabilia vertendi revocarent ad ſublimiora. Quod ſi quis palpabili modo & paucis ab ea declinare velit, conſideret omnem extenſionem partes involvere, partes vero figuras & menſuras, ſpatium autem nullum eſſe quin extenſione præditum ſit, & conſequenter partibus, & menſura, in longitudine, latitudine & profunditate: omnem motum fieri in ſpatio, cujus pars deſeritur acquirendæ alius ergo, & conſequenter omnem rem motam ſimul quoque extenſam eſſe: inſuper, ſi animadvertat tum id omne eſſe corporeum & materiale, tum impertinens eſſe menti tribuere partes, figuram, & menſuram, facile convincetur eo ipſo omnem ſpatii occupationem, motum, & omnia imaginabilia à conceptu de mentibus eſſe exterminanda.

CAPUT V.

1. Imaginationis quæ in rebus ſpiritualibus miſcetur fulcra quatuor. 2. Exponitur primum, Quod nuſpiam eſt, neque eſt. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Deſtruitur multis, & ejus contrarium evincitur.

I. HUjus mali, conceptuum videlicet craſſorum ubi de intellectualibus agitur, radix eſt in habitu corporea unice contemplandi: ſed alimentum & ſuccus quo fovetur, à præjudiciis inde natis ſubminiſtratur, quia illa veritatum, imo axiomatum nomen apud omnes primo obtinuerunt, & apud multos etiamnum obtinet. Inter præcipua hæc ſunt: *Quod nuſquiam eſt, id neque eſſe. Deum ubique eſſe non operatione tantum, neque ſola potentia, ſed & eſſentia, qua etiam repleat terram & cœlos. Mentem humanam jungi corporis totius, vel ſaltem cerebri, extenſioni. Eam cum corpore transferri, & ſic cum illo moveri, quod & cum Angelis interdum commune fiat.* Quamvis autem quæ hiſce reſponſiones debentur & fient, videri poſſint digreſſiones à præcipuo ſcopo, & quidem longiores, & tædioſæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tædioſæ, & non neceſſariæ, cum objectum intellectuale, quale noſtrum eſt, poſſit abſque corporeorum mentione tractari; attamen ſi reputetur, nil in tabula mentis pure ſcribi poſſe, niſi male ſcripta prius deleantur, abſque quo, confuſio fieret major; ſi advertatur, Medicos, etiamſi eorum ſcopus præcipuus & ultimus ſit corpus ægrum nobili ſucco & vigore implere, nihilominus multum laboris & temporis impendere evacuandis humoribus pravis qui debilitatem & morbum cauſantur; non culpabitur adeo ſequens opera, ſiquidem iis offeratur qui debiles, & ad imaginabilia valde propenſi ſunt. Cæteri meliora quærant vel proponant.

II. Redeamus igitur ad prædicta axiomata, (ſic enim ea ex conſuetudine, quanquam immerito, vocabimus) quæ cum univerſalem inducant confuſionem ita profligare animus eſt, ut non ſuperſit, ubi in iis quæ mentes concernunt poſſint ſubſiſtere. Primum, cum cæterorum ſit baſis, etiam primo patietur examen. Vult illud nobis perſuadere, id non eſſe, ſive non exiſtere, quod in nullo ſpatio exiſtit. Hoc ſchola ſic ſua lingua effert: *Quod nuſquam eſt, id neque eſt.* Quod de præſentia quæ fit per modum extenſionis ſeu expanſionis in ſpatio vult intelligi. Hinc eſt quod ejuſmodi opinionis defenſores multum impendant operæ in conſtruendis quibuſdam ſpatiis imaginariis quæ infinita ſint, & ultra mundi limites extendantur, ne cæteroqui Dei præſentia terminetur ſpatiis mundi limitatis, ſitque ipſe limitatus Deus. Nec minus laborant de ſpatio per quod mens in corpore diffundatur. quærunt an illa ſit tota in toto & tota in ſingulis partibus? vel an in una tantum ex illis? Et conceſſo, illam eſſe in omnibus & ſingulis, quo deveniat, ſi ex corporis partibus una reſecetur, anima, quæ prius tota erat inibi? Quod ut ſolverent, imaginati ſunt quandam contractionem, quaſi limax ad ſe in teſta contraheretur. Sed ut craſſa iſtiuſmodi imaginata pulvere ſubtilitatis ſuæ condirent, ea in tres ſeorſim diviſere claſſes quas verborum involucris ſeorſim texerunt. Dixerunt nempe præſentiam, quam & ubietatem vocant, aliam eſſe circumſcriptivam, quam corporibus; aliam definitivam, quam creatis mentibus, ſive animabus; aliam repletivam, quam Deo ſoli tribuunt. nec vero opus eſt ut teramus tempus in commentis & quæſtionibus eorum referendis, cujusmodi ſunt, An Angelus poſſit contrahi in punctum? An Spiritus in momento poſſit moveri? An ab uno extremo ad aliud poſſit ſe conferre non eundo per medium? Ubi erat v. g. anima Lazari poſtea ſuſcitati, dum in ſepulcro corpus ejus adhuc latebat? num forte illa in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

digito deliteſcebat? & ſimiles nugæ. Omnia hæc cuſa ſunt ex falſa illa hypotheſi, quod non eſt nihil id debere eſſe alicubi, hoc eſt, in ſpatio extendi. Hanc autem interpretationem illis non attribui gratis, ſed eſſe juxta illorum ſenſum, ſatis patet ex allegatis quæſtionibus: vel ſi quod tibi tempus terere placet, conſule ipſos. Nonnullus ([a]) qui pro eorum ſpinis ſterilibus utilitatem facilem repoſuiſſe dicitur, Spatium, quod & Ubietatem vocat, inter communes entis affectiones recenſet, & dividit ut ſupra, idque tribuit mentibus & Deo, etiam imaginarium cum reali, addita Regula, *alicubi eſſe eſt omnium entium exiſtentium univerſale attributum. Quod nuſpiam eſt, non eſt.* Quem etiam errorem fatetur ſe erraſſe Auguſtinus, & per eum à Dei notitia remotum fuiſſe, ut videre eſt paſſim in ſuis confeſſionibus, ubi, inter alia, luctam ſuam adverſus imaginabilia ſic deſcribit. ([b]) *Clamabat violenter cor meum adverſus omnia phantaſmata mea, & hoc uno ictu conabar abigere circumvolitantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ: & vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rurſus aderat, & irruebat in aſpectum meum, & obnubilabat eum: ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per ſpatia locorum, ſive infuſum mundo, ſive etiam extra mundum per infinita diffuſum; etiam ipſum incorruptibile, & inviolabile & incommutabile, quod corruptibili, & violabili & commutabili præponebam. Quoniam quicquid privabam ſpatiis talibus, nil mihi eſſe videbatur.* Et paulo poſt: *Ego itaque incraſſatus corde, nec mihimet ipſi vel ipſe conſpicuus, quicquid non per aliquanta ſpatia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale quid caperet aut capere poſſet, nihil prorſus eſſe arbitrabar: per quales enim formas ire ſolent oculi mei,* (hæc radix eſt præjudicii, nempe corporeorum contemplandi & imaginandi conſuetudo) *per tales imagines ibat cor meum: nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipſas imagines formabam, non eſſe tale aliquid; quæ tamen ipſas non formaret; niſi eſſet magnum aliquid.*

(a) Biſterfeld. in Philoſophiæ primæ ſeminario. cap. XII.

(b) Auguſtinus Confeſſ. libr. VII. cap. I.

III. Jam, dictum axioma excutiamus. Concedimus valere illud in omni corpore, qualecunque id ſit vel fingatur: ſi nuſpiam eſt, ſi in ſpatio non eſt, neque eſt: ſpatium enim ab eſſentia corporum inſeparabile eſt, neque ipſa ab illo diſtinguitur, cum ea conſiſtat in extenſione longa, lata & profunda, quæ ipſiſſima ſpatii idea eſt. At ſi ad ſubſtantias incorporeas referatur axioma, fallit profecto: falſiſſimum enim eſt, mentem, ſi nuſpiam ſeu in nullo ſpatio ſit, non exiſtere. neque opus eſt ad ejus falſitatem detegendam, veritatemque ei oppoſitam agnoſcendam, ut multum exacta & exquiſita mentium notitia prius imbuamur: ſufficit vel communiſſima omnibus mortalibus notio, qua intelligimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

gimus, Mentem ſive Spiritum non poſſe menſurari vel pede, vel ſpithama, vel ulna: neque poſſe dici hanc mentem, exempli cauſa, eſſe longam aut latam ulnas tres, vel pauciores, pluresve, vel etiam infinitas. Suppone ergo, prout petit falſus canon refellendus, Spiritum ſeu mentem eſſe in ſpatio aliquo pro lubitu accepto; ſpatium illud præditum erit extenſione nonnulla, cui menſura quædam, parva aut magna, palmus vel pertica, poterit applicari, eaque applicata ſemel aut multoties, ab uno extremo ad aliud perveniet, quo modo illud una, denis, aut centenis abſolvetur menſuris; vel primæ quæ ſe ſiſtit ſpatii parti eadem applicata, & quaquaverſum in infinitum reduplicata, undiquaque extremum non inveniet: quale concipiunt ſpatium in quo Deum eſſe fingunt. Utraque hypotheſeos ſuæ neceſſaria ſequela abſurda eſt, & ultima Deum non decet, ex qua quippe ſequeretur Dei eſſentiam ſpatio coëxtenſam vel decempeda menſurabilem fore, hac ſolum cum exceptione, non poſſe eam dum menſuraretur ita emetiri, ut ad finem perveniatur, quippe quæ eo carere intelligitur, quam etiam ob cauſam infinita ſpatia ſibi eſſe imaginatos non diffitentur. Imo quidam [a] eo devenerunt, ut ſibi perſuaderent ſpatium quod in ſe omnia recipit, quodque omnium rerum locus eſt, etiam æternum eſſe, & eſſe ipſum Deum quatenus eſt immenſus, ſive ipſam Divinam immenſitatem, quæ habeat diverſas partes virtuales, quibus diverſe applicentur & inſint corpora locata (quod ſane eſt valere vel poſſe menſurari & dividi), quæque cum neque ſit punctum, neque in puncto, habeat extenſionem virtualem infinitam. Sed omittamus in poſterum exemplum illud de Deo, ne illo cum tantis abſurdis compoſito ludere videamur: quamquam abſurda ejuſmodi cogitata non proferamus alio fine, quam ut, iis expulſis, quæ Deo digniora & decentiora ſint ſubſtituantur. Pergamus igitur, ſuppoſita in ſpatio mente creata. Ergo ſpatium tale, certa menſura definitum, à mente creata, cujus ſubſtantia ibi præſens prætenditur, replebitur aut totum, aut quoad partem, aut ita plene ut etiam ſe ulterius diffundat ſubſtantia ſpiritus ad certos uſque terminos, quos ultra non conſiſtet, ſed præciſe aliquo uſque ſe extendet, tantum extenſionis, vel, ſi mavis, coëxtenſionis habebit: itaque cum ſpatio commenſurabitur, dividetur cum eo in partes, duas, quaternas & ſic conſequenter: quod cum abſurdiſſimum merito habeatur, fatendum eſt, illud, unde neceſſario fluit, axioma, de ſpatii neceſſitate ad Entium & Mentium exiſtentiam ne ſint nihil, etiam abſurdiſſimum eſſe. Nec eſt quod verbis dicant, mentis ſubſtantiam in ſpatio eſſe, neque

(a) Vid. Derodon in Phyſica contracta. cap. de loco.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tamen extendi aut menſurari cum eo: nam & in ipſis verbis eſt repugnantia, & nova abſurditate priorem cumulant. etenim fatentur, *τὸ in ſpatio eſſe*, vel ſpatium ipſum, eſſe de eſſentia & natura rei ſpiritualis, (certe (extra genus cauſæ efficientis,) id abſque quo aliquid non eſt Ens, vel ceſſat eſſe Ens, eſt maxime de ejus eſſentia) vel dicant, ſi malint, eſſe proprietatem inſeparabilem. agnoſcunt iidem eſſe ſpatio ſive eſſentiale, ſive proprium, ut ſit extenſum, menſurabile, diviſibile, in partes binas, ternas, & ſimiles. Unde ſequitur, ſiquidem ſpatium à ſubſtantia ſpirituali ſit indivulſum, ipſam rem ſpiritualem, ſeu Mentem, extendi, menſurabilem, diviſibilem in partes binas, ternas, plures, eſſe: nam quod neceſſario & naturaliter cujuſdam rei eſt particeps, hoc ipſo omnium eorum quæ rei illi ſunt eſſentialia & propria particeps devenit. niſi abſurde hoc primum cognitum in prioris abſurditatis gratiam inficientur. Sed & quæ ſuperius de illis ſunt allata, ut quæ ſpirituum contractionem & ſimilia concernunt, ipſorum hac de re cogitata ſatis ſuperque recludunt, quanquam ea verbis conantur utcunque diſſimulare.

IV. Præterea non ſolum mentis in ſpatio præſentia, de qua hactenus, ſed etiam præſentiæ illius initium, ſeu ingreſſus in aliquod ſpatium per alterius deſertionem, & ipſius præſentiæ duratio, falſi convincere poſſunt & abſurdi axioma illud cui innituntur hæc imaginata. Si enim ſupponam mentem nondum eſſe in hoc certo ſpatio, ſed in contiguo, unde velit exire ut ſe ad hoc ſequens conferat; quomodo quæſo exitum & ingreſſum hunc concipies, niſi tribuendo Spiritui partes ſimul cum extenſione diviſibili? Dicas velim in quo ſit ſpatio in illo tempore, vel ſi recuſas, momento, dum mutat ille ſpatium prius ut aliud repleat ubi? Tunc enim, aut erat in nullo: quod ſuppoſitum deſtruit; aut totus erat in priori, vel totus in poſteriori: quod non eſt mutare, ſed manere, & jam antea mutaſſe; reſtat ut concipiant, (etiamſi id verbis negent, quia id craſſius eſt quam ut aperte dicatur) illam mentem partim eſſe in uno, partim in altero ſpatio, & quaſi ſucceſſive ab uno ad aliud promoveri. Et hoc ipſum eſt tribuere partes menti, ſaltem in conceptu, ſive concipere mentem diviſibilem; quod aperte abſurdum eſt.

V. Idem de duratione ejus in ſpatio dici poteſt, eo quod nullius ſit uſus. Ad quid, amabo, ſpatium pro Mente? quod vinculum, quæ neceſſitas, hanc illi alligat, ſive ejus operationes, ſive naturam ſpectes? Num per ſpatium ſubſiſtunt operationes mentis? Num quid ſpatium, ejuſque extenſio earum ſunt vel objectum neceſſarium, vel ſubjectum,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

vel principium, vel conſervans cauſa? Quod ſi naturam illius ſpectes, quid eſt in illa, plane ſpiritualis & incorporea ut eſt, quod ſpatium requirat ad hoc ut incipiat vel continuet exiſtere? Quid eſt illud in toto mentis apparatu, quod neceſſariam, vel aliam omnino involvat relationem ad ſpatii occupationem? Quin potius, quid magis adverſum notitiis quæ omnibus de natura mentium ſunt communes, quam effata ſimilia, mentes eſſe diviſibiles in parte, eſſe extenſas & menſurabiles vel palmo, vel pede, aliave extenſa menſura? Quæ concluſiones neceſſario fluunt ex axiomate, *Omne quod eſt, alicubi ſive in ſpatio eſt:* quod in falſa ducens ipſum falſum eſt.

VI. Peti etiam poteſt, an Cogitatio, meditatio, judicia affirmantia aut negantia, amor, cupiditas, odium, & ſi quæ ſimilia, ſint nihil? Si non ſunt nihil, in quo igitur ſunt ubi? quod ſpatium, & quantum tenent? Et cum omne ſpatium ſit diviſibile cum eo quod in illo eſt, ut probatum, poſſitne ſerio dici aut concipi, judicium aliquod, exempli gratia, eſſe longum aut latum tot menſuras? amorem occupantem tantum ſpatii altum eſſe mille pedes; diviſum autem cum ſpatio in partes duas, reſtare utrinque quingentos, & plura ejuſmodi? Non igitur, cum hæc à ratione ſint aliena, in ſpatio ea ſunt: neque tamen ſunt nihil. Nec eſt quod objicias, eſſe ea facultates, operationes, & accidentia mentis, non autem ſubſtantiam ipſam: Axioma vero de ſubſtantia loqui, non de illis. Nam primo, ipſa cogitatio, mentiſque facultates intellectus & voluntas, ab ea realiter non diſtinguuntur, ſed ſunt ipſa ejus ſubſtantia, quod infra pluribus oſtendetur: ſi igitur hæ non ſunt in ſpatio, nec etiam ipſa mens. Secundo, non poteſt ſane concipi operationes, quas actus ſecundos vocant, alicujus rei quæ per naturam ſuam in ſpatio eſt, ipſas non eſſe in ſpatio, præſertim cum in re agente ſubſiſtunt, & ſunt immanentes, quales ſuperius recenſitæ. quomodo quæſo operationes quæ ſubſiſtunt in re cujus natura vult ut ſit in ſpatio, ipſæ ſpatium cum eis quæ ſpatio ſunt competentia, non requirent, non involvent? Denique de omnibus accidentibus, modis & variationibus quæ rem aliquam afficiunt, affirmatur, ea quorum ſubjectum eſt in ſpatio non poſſe abſque ſpatio concipi, nec ſine diviſibilitate: atque ita eſt de omnibus quæ corpori accidunt; & in univerſum, eſt de natura omnis modi & accidentis ut non poſſit concipi abſque eo quod eſt ita de eſſentia ejus ſubjecti, ut hoc nihil eſſet ſine illo, nam accidens eſt ipſius entis, ſive naturæ, ſive ejus quod rei eſt eſſentiale, mutatio quædam, vel, ſi mavis, variatio quædam ſubſtantiæ.

VII. Eſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VII. Eſſent vero fortaſſe nonnulli qui modos vel accidentia rei ſpatioſæ, dicerent ſpatioſa & diviſibilia eſſe quidem, verum per accidens, non per ſe. De quibus nugis, ſiquidem eis ſit reſpondendum, dici poteſt, eas, ſi ad præſens negotium applicentur, nimis abſurdas videri; nam judicium, amorem, aliaque, eſſe ſpatioſa vel in partes diviſibilia per accidens, durius eſt quam ut dicatur; & præterea, loquela eſt ſecum dupliciter pugnans, aliquid eſſe ſpatioſum & diviſibile per accidens. Idem enim eſt ac ſi dicerent, Rei ejus poſitionem & exiſtentiam poſſe eſſe ſine ſpatio ex natura ſua, quod pugnat cum iis quæ ſuppoſuere prius: ſed & contradicens eſt, dari diviſibile per accidens: nam cui accidit ut dividi poſſit, id talis fuit naturæ ut ei potuerit accidere diviſio: fuit igitur ex natura diviſibile. poteſt equidem ſine pugna quid dici per accidens diviſum, ſed non diviſibile. Itaque, quod concludimus, cum mentis plurima ſine ſpatio & diviſibilitate concipiantur, quæ ita concipi non poſſent, niſi eorum ſubjectum imaginario iſto ſpatio careret, corruit falſiſſimum axioma de omnium Entium ſpatio.

VIII. Addemus & illud à conſideratione exiſtentiæ ſpatii deſumptum. Quæro, an ſpatium, quale tribuunt Menti Increatæ & creatæ, ſit merum nihil, an vero aliquid reale in ſe? Nihil eſſe dici non poteſt, cum ſit extenſum, diviſibile, menſurabile, multis modis terminandum, & tale, ut de illo infinita demonſtrari poſſint, atque etiam circa figuras in eo poſſibiles. Sane de nihilo non poſſunt talia affirmari quæ maxime ſunt poſitiva. Adde quod, ſi ſpatium nihil eſſet, etiam non exiſteret, non eſſet: meliori enim jure dixeris, *quod nihil eſt, neque eſt*; quam, *quod nuſpiam eſt, neque eſt*. Mens igitur nulla in eo eſſet, eo quod id non daretur. Igitur eſſe aliquid fatendum eſt: de quo iterum quæro, an illud à Deo ſit creatum? an vero exiſtat à ſe, & independens ſit, & initio carens? Certe poſterius hoc aſſeret nemo qui Deum ut par eſt venerari conabitur: reſtat igitur prius, illud nimirum à Deo eſſe creatum. At, quod ſpatium occupabat Deus, mens æterna, antequam creatum eſſet ab illa ſpatium? Ubi erat? Itane erat nihil cum in ſpatio nondum exiſtente & creato non erat, ſiquidem, quod *nuſpiam eſt, neque eſt?* Sed cum maxime fuerit, & nullibi fuerit, num quid præterea potuit creare, nempe mentes ponere, (res cum ipſius natura convenientes, ſaltem eatenus ut ſint ſine ſpatio) cum ſpatia nulla eſſent? Nonne nunc corpora ſpatiaque cuncta, ſervatis tamen mentibus, in nihilum redigere poteſt? Quod autem hic potentiæ divinæ medio utamur, id nil impedit quominus res diſtinguantur: ſi enim res una abſque alia ſeorſim poni poteſt, à qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

à quacunque potentia id fiat, omnino ab illa diverſa eſt, nec ullo nexu neceſſario cum ejus exiſtentia nectitur. Et hactenus quidem contrarium axiomati prætenſo, multa eſſe, omnes nempe mentes, quæ ſpatio non egeant, demonſtratum eſt. Omnia vere perfecta, & realia in ſpatiis ponere, quærere, nec ultra ſpatioſa omnia ſcandere, quaſi nil præterea eſſet, mentis eſt in materia demerſæ, diviniorisque mundi multum neſciæ. Mirari interim ſubit quam ciſcumſpecte cudat vulgus axiomata, dum mentibus ſpatia tribuit, aufert vero tempus: cum contrarium, ubi de mentis ſtatu in quo jam illa eſt, agitur, ſit prorſus veritati congruum.

CAPUT VI.

1. *Secundum Imaginationis in ſpiritualibus mixtæ fulcrum, ſcilicet obſcura phraſis, quod Deus creaturis etiam corporeis ſit præſens ratione eſſentiæ.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Quid de ea ex proprietate vocum ſit ſentiendum? exemptis ſcrupulis quatuor.*

I. CUm axiomata cætera, quæ initio præcedentis capitis ſunt propoſita, huic, quod modo deductum eſt, innitantur, jam eo fulcro remoto, proſtata videntur, & revera ſunt. Quoniam tamen modis diverſis, quique magis urgere & vigere putantur, ſunt allata; cumque non videatur rationi congruum negare mentes corporibus, ſaltem quaſdam quibuſdam eſſe præſentes, unde idea ſpatii, quod à corpore eſt indivulſum, iterum cum mente miſcetur; utile fortaſſis erit, ſi ſequentibus confuſionem eam conemur evitare. Secundum proponebatur his ſimilibuſve verbis: *Deum ubique eſſe præſentem*, hoc eſt in omni ſpatio, non ratione operationis tantum, neque ſola potentia, ſed & *ratione eſſentiæ ſuæ*. Quam ſententiam omnes quidem quoad verba videntur amplecti: hinc celebris apud omnes verſiculus *Enter præſenter Deus eſt & ubique potenter*, at de ſenſu litigant. Qui ſaniori Philoſophia ſunt imbuti verbis illis ſenſum jungunt nobiliorem, & omni ſpatioſa præſentia ſuperiorem. Cæteri eſſentiæ per omnia præſentiam neſcio quam, quaſi per diffuſionem ſeu expanſionem immenſam, omnia permeantem, terram & cœlos replentem, & ultra ſeſe diffundentem, imaginantur; voluntque Deum debere omni ſpatio extenſo, locatoque, prius præſentem ratione eſſentiæ ſuæ concipi, quam ratione ſuæ operationis. Nos axioma illud obſcurum & improprium eſſe putamus quoad verba; quoad ſenſum quem hī

poſteriores ei annectunt, ipſum falſum eſſe oſtendetur. Nec eſt cur quis hic offendatur in limine, ac ſi à rebus tolleretur Dei præſentia: abſit ut Dei præſentiam, qua omnibus adeſt, vel ejus verum modum, negemus. reputare debes aliud eſſe ipſam rei veritatem, aliud opiniones quas de illa ex præjudiciis foves, quaſque auſit forte aliquis examinare, & recuſare ſine temeritate vel crimine. Interim, ne quis fervore Zeli, quaſi Deus impeteretur, patiatur prius ſe abripi, quam lumine qualicunque affundi, ei aſſideat æſtum hunc ſuis lacrymis temperaturus Auguſtinus, qui errorem communem, olimque ſuum, ſic deplorat mox poſt ultima verba quæ in capite præcedenti ſunt relata ([a]) *Ita etiam Te, vita vitæ meæ* (Deus) *grandem per infinita ſpatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem; & extra eam quaquaverſum, per immenſa ſine termino, ut haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia, & illa finirentur in te, tu autem nuſquam. Sicut autem luci ſolis non obſiſteret corpus aëris hujus, qui ſupra terram eſt, quominus per eum trajiceretur, penetrans eum non dirumpendo, aut concidendo, ſed implendo eum totum; ſic tibi putabam non ſolum cœli, & aëris, & maris, ſed etiam terræ corpus pervium, & ex omnibus maximis, minimiſque partibus penetrabile, ad capiendam præſentiam tuam, occulta inſpiratione intrinſecus & extrinſecus adminiſtrantem omnia quæ creaſti. Ita ſuſpicabar, quia cogitare aliud non poteram, nam falſum erat: illo enim modo major pars terræ majorem tui partem haberet, & minor minorem.* Et interpoſitis paucis hæc diluens, addit: *non autem es ita. Sed nondum illuminaveras tenebras meas.* Et alio in loco ([b]): *Conſtituebam in conſpectu ſpiritus mei univerſam creaturam, quicquid in ea cernere poſſumus, ſicut eſt terra, & mare, & aër, & ſydera, & arbores, & animalia mortalia, & quicquid in ea non videmus, ſicut firmamentum cœli, inſuper & omnes Angelos, & cuncta ſpiritualia ejus; ſed etiam ipſa, quaſi corpora eſſent, locis & locis ordinavit imaginatio mea: & feci unam maſſam grandem diſtinctam generibus corporum creaturam tuam, ſive quæ revera corpus erant, ſive quæ ipſe pro ſpiritibus finxeram. Et eam feci grandem, non quantum erat, quod ſcire non poteram, ſed quantum libuit, undiqueverſum ſane finitam. Te autem Domine, ex omni parte ambientem & penetrantem eam; ſed uſquequaque infinitum: tanquam ſi mare eſſet ubique & undique per immenſum infinitum ſolum mare, & haberet infra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen; plena eſſet undique ſpongia illa ex omni ſua parte ex immenſo mari: Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creavit, & bonus eſt Deus atque his validiſſime longiſſimeque præſtantior; ſed tamen bonus bona creavit, & ecce quomodo ambit atque implet ea.* Pauciſque de malo interjectis, de iſtis omnibus addit:

(a) Confeſſ. lib. VII. cap. I.

(b) Capite 5. ejuſdem libri VII. Confeſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

addit: *Talia volvebam pectore miſero; ingravidato curis mordaciſſimis de timore mortis: & non inventa veritate*, &c. Similia ſunt cogitata quibus vulgo Dei præſentiam ſibi repræſentant, niſi quod dicant, Deum quoad eſſentiam eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatii, mundi, corporum. At, quid hoc aliud eſt quam multiplicatio Dei, etſi unus eſſentia dicatur? Plane quemadmodum ſpatii, & materiæ, ſive corporis eſſentia, quæ una eſt & numeratur, concipitur tamen tota in toto, & tota in qualibet parte ſpatii & materiæ ſive corporis: ut etiam tota aquæ maris natura, quæ non niſi una eſt, concipiebatur ab Auguſtino in toto mari illo, & in tota ſpongia, eademque tota in ſingulis ſpongiæ partibus. Hanc ſequelam negaverint licet, non libet tamen eos in quoſque ſpatiorum ſuorum angulos inſequi. Imaginationi in quæſtione de præſentia Dei januam, quam noſtrum ſecundum axioma refutandum pandit, claudere ſatis eſto.

II. Patet ex demonſtratis in capite præcedenti Deum fuiſſe cum nulla eſſent ſpatia, & ſic ejus eſſentiam nuſquam fuiſſe præſentem niſi in ſe ipſa, abſque omni ſpatio. Igitur præſentia in ſpatio non eſt ipſi eſſentialis, ſeu, non eſt de ratione eſſentiæ ejus ut ſit in ſpatio: Ergo in illo plane neque eſt, neque eſſe poteſt, quia nihil eſt nec eſſe poteſt in eſſentia Dei præter ipſam puram eſſentiam. Nil quoque de novo accidere poteſt Deo ratione eſſentiæ: nam quæ accidere Deo concipiuntur ſunt tantum denominationes ab operationibus externis, ſive iis quæ non ſunt in eſſentia ſua. Itaque extra reſpectum ad operationes, (quod quis hoc ſenſu dixerit, non niſi operative,) Deus quibusdam à ſe diverſis præſens non poteſt dici: neque id (eſſe præſentem) dicendum eſt Deo proprie ratione ſuæ eſſentiæ accidere, ſive eum, qui prius ratione ſuæ eſſentiæ nulli rei à ſe diverſæ (cum eſſet nulla) erat præſens, omni rei demum factum eſſe præſentem eſſentiæ ſuæ ratione. Quod erat demonſtrandum.

III. Sed quoniam ex alienæ ſententiæ confutatione, non idcirco affulget lux ad conceptum veritatis oppoſitæ, tota res hic paucis eſt exponenda. Notandum igitur, primo, Utrinque ſubeſſe fundamentum omnium conſenſu ſolidum, nempe, Deum, cum creaverit omnia quæ in univerſo ſunt ſpatia, & quæ eis continentur, cumque cuncta conſervet, regat, gubernet, eis omnibus maxime adeſſe. Hoc ratum eſt. Sed ne huic ſtramineum quid ſuperædificetur, notandum eſt, ſecundo, quid vocibus, *præſentia*, *ubi*, *eſſentia*, poſſit deſignari. 1. Poteſt aliquis adeſſe alicui rei ea tantum ratione ut hæc ſit effectus & operatio externa illius, qui tunc præſens eſſe operative dicetur: & hoc in moralibus ſæpe occur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

rit cum quibus divina maxime congruunt. Quod ſi quis ita rei adſit, ut hæc ſit objectum ejus cogitationis, intelligentiæ voluntatiſque, vel ipſe etiam ab illa re noſcatur, conſideretur, aut ei aliquo ſimili modo referatur, dicetur ille eſſe rei præſens objective, ſed diſtinctionis ergo, ille active, quatenus ſcilicet is de re illa cogitat, res vero quæ viciſſim præſens, aut etiam ille ipſe quatenus ab iſta re cogitatur, vel alio aliquo modo repræſentatur, paſſive. Denique poteſt aliquid ita dici præſens cuidam rei, ut non habeatur reſpectus ad præcedentia, ſed ut concipiatur nexus ejus cum re cui præſens dicitur, & quaſi immeatio in illam. hoc ultimum præſentiam ſubjectivam vocare licet, cui præcipue attenditur in quæſtione, ubi res eſt? 2. Sed & illud *ubi* quæri poteſt reſpectu ſubjecti ſimpliciter, abſque connotatione ſpatii, ut ſi quæratur, ubi eſt negatio, vel diſſenſus? & reſpondeatur, in voluntate; vel reſpectu ſubjecti ſpatium connotantis, quod idem erit ac ſi quæreretur, in quo ſpatio res eſt? 3. De *eſſentia* autem, hic ſufficiet notare, rei eſſentiam, rei attributa eſſentialia omnia, omnes perfectiones eſſentiales, naturam rei, unum & idem eſſe. Quæ omnia ſi quis bene complicet, quid de cujuſque rei præſentia, ſive illa res ſit corpus, ſive mens, ejuſve operatio interna aut externa, (de his enim omnibus quæri poteſt, ubi ſint?) facile poterit determinare, modo ſecundum diſtincta hanc quæſtionem, *ubi res ſit*, qualibet de re variare tentet. quod uno aut altero exemplo, quatenus ad ſcopum hunc utile eſt, declarabitur.

IV. De corporibus non eſt quod dicamus, cum ea, fatentibus omnibus ſint in ſpatio, id eſt, ſecundum rei veritatem, in ſe ipſis: ſpatium enim eſt ipſamet corporis eſſentia, ut bene demonſtravit Carteſius in Principiorum Philoſophiæ Parte ſecunda: ſiquidem demptis ab omni corpore eis quæ ipſi accidentalia ſunt, ſola remanet idea ſpatii, quæ proinde ſola ei eſſentialis eſt. Quæ cum ita ſint, videntur illi qui quærunt, An Mens ſive ſpiritus ſit in ſpatio, idem velle quaſi peterent, an mentis eſſentia ſit in corporis eſſentia, ſive, an perfectiones mentis eſſentiales, ejuſque attributa, ſint in natura, inque attributis eſſentialibus corporum? an hæc ſint illorum ſubjectum? Quod ſua abſurditate ſeſe conficit. Igitur, ut ad res ſpirituales, & quæ Deum concernunt, accedamus, ubi difficultates non parvæ ob præjudicia & phantaſmata corporea, ſi quis quærat, *ubi ſit Deus?* Et in hac quæſtione reſpiciat ad ſpatium, ac ſi quæreret, in quo ſpatio ſit Deus, ejuſve eſſentia? an in omni, vel ſolum in aliquo? quæſtio perabſurda eſt, ut ex hoc & præcedenti capite viſum. Cum idem ſit ac ſi quæreretur,

cui

cui ſpatio jungatur vel inſit eſſentia, ſeu natura, ſeu omnes perfectiones & attributa Dei? vel an Spatium nectatur cum eſſentia, attributisve divinis? quod demum idem eſt ac, an Spatium ſit ipſa Divina eſſentia? Abſurde quæritur de ſubjecto quæſtionis, ut ſcholaſtice dicam, prædicatum toto genere diverſum. perinde quæras de Mente, in qua ſit figura, vel in quo ſapore? Si vero quæſtio, *ubi ſit* Deus ratione eſſentiæ, vel ubi ſit ejus eſſentia? habeat reſpectum ſimpliciter ad ſubjectum, ſive ad illud in quo ſit ipſa eſſentia, reſponderi debet eam eſſe in Deo ſolo: quod & de omnibus ejus attributis, utpote ab ejus eſſentia non diſtinctis, & de operationibus ejuſdem internis, aſſerendum eſt. Hoc ſenſu nulli in toto univerſo creaturæ præſens eſt, ſed ſibi ipſi Soli, Filio, Spirituique æterno. Profecto ſi Deus ratione eſſentiæ ſuæ, quæ omnes ejus divinas perfectiones, internaſque operationes complectitur, ulli creaturæ præſens eſſet, ſive ſpirituali, ſive corporeæ, caperetur Deus à creatura, hæcque poſſideret & in ſe haberet omne id quod Deus in ſua eſſentia poſſidet, eſſet enim eſſentia Dei in illa. Neque locum hic habet diſtinctio de adæquato & inadæquato, quippe quæ cogitationis creatæ conceptui, non autem ipſi Divinæ eſſentiæ applicari poteſt. Ergo abeant dicta de præſentia Dei ratione eſſentiæ *totius in toto mundo*, & *totius in qualibet parte*, & ſimiles perabſurdæ voces de illo, quem ſenſu allato, nec ulla creatura, nec omnes ſimul, nec cœli cœlorum, capiunt. Credibile eſt homines, ſi quid Deus ſit recte noſſent, non auſuros, ne Deum dedecore afficerent, talia proponere: at illi in cognoſcendo Numine Summo ita ſunt ſecuri & ſupini, ut eis noſſe ſuffecerit ipſum eſſe id, (ut cum Philoſopho loquar) qui Latine *Deus* Gallice *Dieu* dicitur, & ab hominibus colitur: nil multum curantes, an quæ ejus Summam deceant Majeſtatem ipſi attribuantur?

V. Sin quæſtio, *Ubi Deus* ſit præſens? intelligatur ita, quaſi quæreretur; Quanquam Deus ex ratione eſſentiæ ſive ſuorum attributorum nullibi ſit niſi in ſe, ejuſque natura & eſſentia, qua talis, non requirat ut ullum aliud ens vel ubi exiſtat, imo non neceſſario objectum à ſe aliud contempletur, velit, operetur; quæro tamen, an placuerit ipſi ex liberrima voluntate de aliis cogitare, alia velle, & ponere, & ipſe ab illis cogitari & repræſentari? (quod ad operationem ejus reducitur, cum & hoc ultimum efficiat.) Quæſtioni huic, quæ rationi valde conſentanea eſt, & quærit Dei præſentiam objective, utroque modo, activo & paſſivo, perſpicue reſponderi poteſt ex conſideratione rerum quas poſuit exiſtentes: Idem enim eſt, ac ſi, ſepoſita Dei eſſentia, & opera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

rationibus ejus quæ internæ vocantur, de externis quæreretur, an dentur tales à Deo placitæ, cognitæ, productæ, ſuſtentatæ, gubernatæ, quibus Deus repræſentetur? & an illæ ſint in ſpatio? Quibus nemo non videt reſpondendum eſſe, omnino tales dari, eaſque Deum tanquam imagine referre; verum quaſdam ex iis plane carere ſpatiis, ut mentes, quaſdam autem, ut corpora omnia, à ſpatiis non ſejungi. Atque hoc modo Deus præſens eſt creaturis, nempe ratione liberrimæ operationis, & repræſentationis, quæ & ipſa Dei opus eſt, ſimul cum omnibus quæ exiſtunt. Neque requirit aliam ſui præſentiam ipſe Deus, vel ejus opera; Non Deus, ſive ejus eſſentia & operationes internæ, ut viſum ſupra; non Dei opera, ſuffecerit enim ipſis ſi ea voluerit Deus, ſi ab illo ſint cognita, ſi producta, ſi gubernata, ſi vel in partium ſuarum extenſione aut motu, vel in cogitationis natura aut variatione referant quamoptime fieri datur, divinas ejus perfectiones. Iſtis autem magis aut minus præſens dicitur Deus, prout ibidem plura vel pauciora producit, quæ plus minuſve divinas ejus perfectiones tanquam in tabula vel imagine, depingunt: ita corporibus minus eſt præſens quam mentibus: etſi enim in illis numerus partium, qui definiri nequit, & motuum regimen varium, quod à conſtantiſſimis regulis non diſcedit, aliaque, luculentæ ſatis ſint imagines infinitarum Dei perfectionum, ejuſque conſtantiæ; cum tamen non conſtet ullum materiale de novo creari, nec in primariis materiæ modis augeri, (nam motus, à quo omnis diverſitas, non augetur in univerſo, nec incipit aliquod corpus ex occaſione alterius moveri, quin hoc tantundem perdat motus) videtur ſic Deus præſens eſſe ſeque communicare corporibus modo determinato, cum menſura, abſque novæ operationis novo additamento: Non ita mentibus, quæ ejus operatione indies novæ creantur, quarum modi & perfectiones ita augentur eo operante, ut ſi ex occaſione ſcientiæ vel cæterarum dotum unius ſcientiam aliaſque perfectiones altera acquirat, non tamen idcirco de doctrina ſua ſuiſque donis quicquam deperdat prior: quæ certe major potentiæ & bonitatis divinæ imago eſt & effectus, adeoque præſentia: Sed ejus gradus ſummus elucet in mentibus perſpicacibus, ſanctis, pacificis, tranquillis, quales beatæ creduntur; nec majus de illis dicit ſacra pagina cum earum prærogativas ſummas recenſet, quam quod Dei imago, non eſſentialis, quæ ipſe Deus eſt, ſed producta, creata, renovata, in illis ſit operante Deo: dicit vero nunquam in illis eſſe Dei eſſentiam, ſeu quod idem eſt, ipſum Deum ratione ſuæ eſſentiæ. Scio quoſdam ſanctos viros, rerumque divi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

divinarum expertos, interdum dicere, debere hominem eouſque devenire ut ſit in Deo, inque divina eſſentia: At hiſce formulis nil aliud deſignant, quam non debere hominem ullis Dei operationibus particularibus adhærere, verum tum ſe Deo operanti indeterminate ſubjicere, tum operationem Dei immediatam, intimam, & plenariam experiri. prout quoque cum ab iiſdem dicitur, quod divina eſſentia ſit rerum omnium eſſentia, nil aliud denotatur, niſi quod omnis rerum realitas ſit à Deo qui eſt eſſentia ſufficientiſſima, & cauſa omnium. Quæ omnia ad operationes Dei, earumve modos ſpectantia, à dictis non diſcedunt, ſed eis potius illuſtrantur. Deus itaque creaturis adeſt, cœlum terramque replet, quatenus cœlum, terra, & omnia, replentur operibus voluntatis, ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, ſanctitatis, gaudii, felicitatis, aliarumque divinarum perfectionum. Opera ejus ipſæ ſunt creaturæ diverſimode Dei præſentia fruentes, pro diverſa operationis & repræſentationis divinæ menſura. Quod ſi in creaturis detur quid quod à Deo non ſit productum, neque eum referat, id non eſt aliquid, ſed nihil, vel malum ſive peccatum, à quo Deus longiſſime abeſſe dicitur, quia cum ejus præſentia ſit externa operatio, id ejus operatio nequaquam eſt.

VI. Superſunt adhuc nonnullæ difficultates particulares, quas auferre æquum eſt conari, cum etiam viris qui magni habentur, importunæ fuerint, & quarundam cauſa vocibus maxime impropriis & deceptricibus hi ſint uſi. Ipſe Carteſius ([a]) cum nollet admittere, Deum eſſe ubique ac ſi ejus eſſentia ubique exiſteret, diceretque eum ratione potentiæ ſuæ ubique eſſe, non autem ratione eſſentiæ; cum videret Dei potentiam & ejus eſſentiam eſſe unum & idem, primo ſatius eſſe putavit in talibus de mente creata quam de Deo ratiocinari: ſed cum urgeret opponens Deum non poſſe eſſe ubique ratione potentiæ, quin ibidem ſit ratione eſſentiæ, eo quod potentia Dei non ſit extra Deum ſita, ſive extra Dei eſſentiam, neque ab eadem eſſentia diſtinguatur; Reſpondit, concedendo Dei eſſentiam debere ubique præſentem eſſe ut ejus potentia ibi ſe exercere poſſit, ſed non per modum rei extenſæ. Hunc loquendi modum ſequitur & excedit Forgeus in ſuo de Mente ſive Spiritu hominis tractatu, aſſerens, ([b]) Deum rebus omnibus eſſe præſentem omnipotentia, eſſentia, & ſubſtantia ſua; imo omnes creaturas reſpondere certæ cuidam parti immenſitatis divinæ, in qua omnes includuntur. quæ quamvis ſano ſenſu explicet, quis tamen non videt ea verba aliquid obſcuri ſecum in mentem invehere, quod eam ad ſpatium

(a) Vide Epiſtolas ad H. Morum in Tomo 1. Epiſtol. Carteſii.

(b) Ludovicus de la Forge in tractatu de Spiritu hominis. Cap. XII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

(a) Wittichius in Theologia pacifica. Cap. xv. §. 117. 118. &c.

tium imaginandum diſponat? Alius Author Clariſſimus ([a]) utens itidem (quamquam ſenſu ſano) vocibus impropriis, quæ aliud ex inſtituto communi ſignificant, adeoque obſcuritatem conceptuum fovent, dicit quoque Deum præſentem eſſe omnibus, eſſentia, eſſentialiter, ratione eſſentiæ, id omnes quos vocant Carteſianos, aſſerere, nec poſſe contrarium evinci vel ex Carteſio, vel ex eorum ſcriptis qui recte ipſum Philoſophantem ſequuntur. Ego equidem conor ipſum recte Philoſophantem ſequi, verum id non impedit quominus credam verbis illis, Deum eſſe creaturis præſentem eſſentia, vel ratione eſſentiæ, ſi ex uſu ordinario interpretentur ea, non ſignificari verum; & quamvis veritatem eis ſubſtituant, id non fit ex uſu verborum communi, ſed à diſpoſitione mentis ipſi verborum ſignificationi, quam ordinarie obtinere deberent, reluctantis. Satis patet ex eis quæ ſupra, numeris 2. & 4. voces illas non eſſe proprie verum ſignificantes: ſed & hoc magis videbitur ſi advertamus verba illa, *eſſentia*, *ratione eſſentiæ*, ex uſu omnium non adhiberi, niſi ad ſignificandum aliquid quod rei internum eſt, naturale, proprium, ab illa inſeparabile, & cum ea, ut ita loquar, identificatum: ubi vero eſt quæſtio de externis relationibus, vel de modis, qui rei eſſentiam non conſtituunt, neminem illis uti ſolere. Exempli cauſa, nemo dicit corpus eſſe quadratum vel ſenſibile eſſentia, ſive ratione eſſentiæ, neque ea eſſentia dicitur quadrata, ſenſata, ſed extenſa, corpus extenſum ratione eſſentiæ, dicitur tamen ipſum corpus eſſe quadratum, & ſenſum ſive ſenſu perceptum, quia illa vox, *corpus*, talis eſt, ut in uſu communi non excludat reſpectum ad particulares modos & accidentia, cum vox *eſſentia* eum plane excludat: Sic, ubi de divinis, quamvis Deus & eſſentia Dei ſint unum & idem, attamen cum volumus exprimere conceptum ubi Deus involvitur non tanquam rei prædicandæ ſubjectum in quo ſit illa res, ſed tanquam efficiens, operans, diſponens, cui nova relatio externa accedat, non permittit uſus ut voce eſſentiæ utamur, nec dicimus Deum ratione eſſentiæ eſſe Creatorem, eſſe locutum, incarnatum, paſſum, mortuum, &c. ut ut illis magis adfuerit quam ullis aliis creaturis: de Deo talia dicimus, quia ſub illa voce incluſit uſus etiam reſpectum ad externa, non autem ſub voce *eſſentia*, quo verbo expreſſe omnes voluere excluſa quæcunque cum ipſo Deo non ſunt unum & idem ens ejuſdem naturæ. Ergo non exacte dicitur Deus ulli rei præterquam ſibi, ratione eſſentiæ præſens. At, quid argumento ſupra allato reſpondendum eſt, Cum Deus potentia ſua creatoris ſit præſens, ſequi & proprie eſſentia, quæ ipſa potentia eſt,

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

præſentem eis eſſe dicendum? Negandum eſt exacte dici Deum eſſe creatis præſentem ratione eſſentialis potentiæ, ſive, quod idem eſt, eſſentialem Dei potentiam in creaturis eſſe, eo ſenſu & iiſdem de cauſis quibus id ſupra, numeris 2. 3. 4. eſt negatum. Potentiam divinam concipimus quidem producere aliquid, non autem ipſam eſſe in re producta, ſed ejus effectum. Adeſt Deus, ſed effectu & operatione potentiæ illius quæ in ipſo ſolo eſt, & cujus nomen ſi ipſis operationibus detur, ad rhetoricum tropum ſatius eſt recurrere, quam concludere, præſentiam operationis, quæ eſt in creatura eſſe ipſam Dei potentiam, imo eſſentiam & naturam, cum ejus perfectionibus cunctis, quippe quæ tantum ſit aliquarum ſatis imperfecta tabula ſimul & effectus. Neque aliter eſt ſtatuendum, niſi libeat creaturam pro Creatore amplecti, & huic elogium illud ſacrum denegare, quod inhabitet lucem inacceſſam. Imo, quod verbo ſit dictum, quæcunque de pluribus modis præſentiæ divinæ dicuntur, ea in operationem ejus debent reſolvi, ut cum ſapientia, providentia, cura, conſilio ſuo cunctis præſens affirmatur, non hiſce aſſeritur, ſapientiam, providentiam, curam & conſilia Dei eſſe in creaturis: in ſolo Deo æterno ſunt, in creatis vero operationes hoc vel illo tempore, his aut illis circumſtantiis circumcinctæ, prout Deo placitum eſt; & hæc ipſa operationum, rerumve poſitio præſentia Dei illa eſt quæ per concurſum fieri dicitur. NB.

VII. Accedit alia difficultas ex eo quod non videatur rationi conſentaneum aſſerere Deum, ejuſve potentiam, ibi operari ubi non eſt. Deus, inquiunt, operatur præſens aut abſens: non abſens, eſt igitur præſens ratione eſſentiæ in illo ubi in quo operatur. Quid vero hoc eſt? An illud, Dei eſſentia, Dei potentia, debet eſſe in illo ſubjecto ubi eſt ejus operatio? Sive, Deus non poteſt operari in illa re ubi vel in qua non eſt Dei natura vel quæ non habet Dei eſſentiam? ſive, Non datur operatio Dei externa, niſi in Dei natura & eſſentia? (nam hæc omnia eodem recidunt). An hic ſenſus verborum, *Deus, ejuſve potentia non poteſt operari ubi non eſt*? Hæc omnia non vera ſunt apertiſſime. Quid illud, *Deus non operatur abſens, ſed præſens?* Voluntne Dei naturam & perfectiones eſſe præſentes in illa re ubi operatio ejus externa eſt? næ, quantum fallerentur! Contrarium verum eſt: nam quæ res eſt operatio, ſeu ſubjectum operationis Dei externæ, illa non habet in ſe eſſentiam & naturam divinam. Inſtas, ubi quis operatur ibi præſens eſt, non enim datur actio in diſtans, abſurdum eſt aliquem alicubi operari ſeu eſſe operantem, nec tamen ibi eſſe (quoad eſſentiam ſcilicet, alias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nil objicitur.) Reſp. ut quis ſe his extricet, examinet tantum voces ſecundum ſuperius diſtincta. Ecquid illud *ubi?* An hoc: In quo ſubjecto vel ſpatio aliquis operatur, in illo ſubjecto vel ſpatio eſt ejus natura? Hoc dici non poteſt, nequidem de corporibus, quæ in alia agunt ea externe tangendo, non vero eorum ſpatium penetrando, & de his ſolis, ob contactum, dictum eſt, non dari operationem in diſtans: Sed de Mentibus res plane ſe habet aliter. Ratiocinatio ſic procedit: In qua re, ſive illa ſit extenſa, ſive non ſit in ſpatio, quis (ſi is ſit Deus) operatur, in illa eſt ejus operatio, imo eſt illa objectum ejus cognitionis, voluntatis, potentiæ, & ab hujus efficacia omnia quæ in re illa ſunt omnino dependent: bene. Cavendùm eſt ab hoc ſophiſmate: Qui in ubi operatur ſive eſt operans, utique eſt in ubi: nam operantem eſſe dicit eſſe, igitur in ubi operantem eſſe dicit in ubi eſſe. Reſp. Operantem eſſe non infert primo eſſe in ubi, deinde agere in illo: Sed, de Deo qui operans eſt, dicit, primo aliquid velle, & ſecundo, poni aliquid extra illum, vel extra ejus eſſentiam. Clarius. *eſſe operantem* non ſignificat nexum (ſeu præſentiam) eſſentiæ operantis cum opere aut cum ejus natura, ſed nexum poſitionis voluntatis in operante potente, cum poſitione operis extra illum. quo ſenſu abſit ut extenuetur præſentia Dei, quin contra, patet inde Deum eſſe magis præſentem creaturæ quam creatura ſibi ipſi, cum creatura non ſit ob ſe ipſam, ſive quia eſt, non habeat ſecum nexum neceſſarium; ſed ideo ſit, quia voluntas ut ſit in Deo eſt, habeatque in omnibus nexum ita neceſſarium cum voluntate Dei efficaci, ut hac poſita illa demum adſit. Sed hæc ad Dominium & potentiam Dei, de quibus ſuo loco, ſunt referenda. Nullæ in his difficultates, etſi alia objici poſſint, remanent, modo omnia in ſimpliciſſima verba reſolvantur. Eſt interim cur quis miretur, quod non potius omnes creaturas dixerint eſſe in Deo ratione eſſentiæ ſuæ ſpectato, aut eſſe in eſſentia divina, quod magis cum idea imaginaria immenſitatis extenſæ conveniret; quam Deum ratione eſſentiæ ſuæ in illis eſſe: quod imperfectius quid videtur inferre.

VIII. Si obtendat aliquis, notitiam communem, & conſequenter veram, apud omnes agnoſci hanc, Deum videlicet in cœlis, in altiſſimis, eſſe, ſimul cum ſanctis mentibus à corpore liberis. Is conſideret rerum creatarum compages eſſe duas, & quaſi duplicem mundum, intellectualem ſpiritualium, & materialem corporearum: in hoc ultimo ſtatum rerum ita diſtingui, ut quæ inferius, ignobiliores; quæ ſupra, dignio-

digniores; quæ ſuperius adhuc, vel quæ omnium ſummæ putantur, digniſſimæ omnium in tota mole habeantur: deſumptum autem eſſe à materiali mundo modum loquendi de intellectuali, in quo cum dentur mentes quarum ſtatus vilis & ignobilis, ignorantes nempe, errantes, & in vitiis conſtitutæ; aliæ utcunque iſtis ſordibus elutæ; aliæ quarum ſtatum veri bonique fruitio digniorem reddit; ſed ſuper omnibus omnium puriſſima, ſanctiſſima, perfectiſſima mens Dei; Num per cœlum altiſſimum in quo Deus eſſe dicitur, ipſiſſimum ejus perfectionum ſtatum, ejus puritatem, Sapientiam, dignitatem, lucem quam inhabitat inacceſſam, intelligere fuerit iniquum? Imo etiam mentium Creatarum ipſe Deus, qui eas in ſua cognitione, cura, amoreque vult gerere, in quem etiam unum cogitationes illæ ſuas refundunt, cœlum hoc ſenſu poſſit haberi. Aut ſi de cœlo non ita ſublimi, ſed creato ſit quæſtio, Nonne ipſæ puræ & ſanctæ mentes, quæ imagine Dei donatæ eum contemplantur & amant, recte id cœlum nominarentur in quo ſit ipſe Deus, quantum quidem in creaturis eſſe poteſt; in quod etiam ipſæ mentes dicantur ingredi cum in ſtatum ita purum & pure ſpiritualem, perfectiſſimumque, quanquam non abſolute, tranſeunt? Contra vero ea quæ veritate & virtute privantur, diverſe, pro ſua quæque turpitudine & ærumna, ideo in luto, in infimis, jacere & deprimi dicantur? Status mentium, non locus ſeu ſpatium, quo carent, ſic deſignatur. Interim non negaverim in cœlo corporeo dici Deum eſſe ob gloriæ & potentiæ in illo per effectus ſpeciales patefactionem: Sed hoc non ſufficere, mentemque hoc ſenſu non impleri, quilibet ſibi intentus ipſe animadvertere poteſt. Cur in interpretando magnalia Dei corporeis rebus acquieſcamus? Ne quis tamen putet corporum mentibus unitorum commercium cum corporeis cœlis hic negari, cum ſola mens ut ab omni corpore libera hic ſpectetur, in qua cæteroquin eſt Deo facile abſque corpore ideas, ſenſibilium inſtar, excitare, quibus ea quæ in loco glorioſis corporibus deſtinato exiſtunt, repræſententur eo modo, vel nobiliori, quo quæ circa nos in terris ſunt medio corporeo nobis repræſentantur. Id autem menti, quamdiu ſoluta eſt corpore non ita certum eſt accidere, ac illud quod de ſpirituali ſtatu eſt prolatum. Sed excurrimus longius.

IX. Animadverti velim, ne ullus ſit ſuſpicioni locus, hanc doctrinam, quæ ex eo venit quod omnis imperfectio à Deo ſit removenda, nil plane habere commune cum hæreſi quorumdam, qui ideo docent Deum ratione eſſentiæ ſuæ non eſſe ubique, ſed operatione tantum, quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ei imperfectiones tribuunt: Nempe finxerunt Deum tanquam ens aliquod corporeum certo loco & ſpatio in cœlis definitum, & reſpectu eſſentiæ ſuæ ſic limitatum, unde ipſe immediate quidem in cœlis, quibus eſſentia ejus includitur, agat: at quæ in terris ſunt non poſſint ei accepta referri niſi per interventum eorum quæ ſunt inter cœlum & terram, quibus opus habeat, ut in objecta à ſe loco remota agat, nempe per cœlum in ſublunaria, per hæc in terram, & per terram in animalia & homines, quorum omnia non exiſtant ex ſola efficacia Divinæ potentiæ, ſed opus ſit interventu mediorum, ac ſi abſque iis nil poſſet Deus in ultimis efficere: quemadmodum homo machinæ plurium rotarum admotus, ultimam à qua abeſſet non poſſet movere niſi per primam quam tangeret, unde motum in ultima, hac & cæteris interpoſitis, operaretur. Qui Deum ſic operatione adeſſe, eſſentia vero ob ejus localem terminum abeſſe imaginantur, abſurdum & blaſphemum proferunt. Sed id in præcedentibus cum omni relatione præſentiæ eſſentialis ad quantumcunque ſpatium, ita repulſum eſt, ut Dei ideam inde minui, aut obſcurari, conqueri poſſit nemo, ſi inſuper velit ea quæ de Deo in Libro tertio dicentur, inſpicere.

CAPUT VII.

1. 2. 3. *Tertium & quartum imaginationis fulcrum corruunt. Mens corpori præſens eſt abſque extenſione. eoque moto, non movetur ipſa.*

1. Reliqua duo quæ imaginationi favent axiomata ſupra enumerata, de Mentium cum corporibus copulatione, quæ motum, rem imaginabilem, cum iiſdem communem inferre videntur, nullius roboris erunt neſcientibus vel præcedentia, vel ſaltem eatenus ſapientibus, ut ſciant Mentis naturam intellectu & voluntate abſolvi & contineri. Inde enim nullo negotio concluditur, Mentem, cum illa modo naturæ ſuæ congruo, non vero adverſante, ſit cum corpore unienda, eique præſens ſiſtenda non poſſe aliter adeſſe præſentem, quam ipſum corpus vel aliquid quod ſit corporis percipiendo ſeu intelligendo, & volendo: ut non ſit opus naturam vel eſſentiam intellectus & voluntatis ineſſe ſubſtantiæ corporis, (alioqui corpus eſſet mens) ſed ſufficiat ſi mens concipiat & velit quædam quæ corpus concernunt (quæ eſt objectiva præſentia) unde ſequantur in corpore quædam operationes. (quod præſentiam ratione operationis dixeris.) Poteſt & nexus inter hæc dari ſtrictior, ſiqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſiquidem non tantum in corpore agatur aliquid ex occaſione mentis, verum etiam ſi in ipſa mente ob motum in corpore varium, aliquid accidat & percipiatur: quo modo mens unum quid cum corpore dicetur eſſe, non naturæ tranſmutatione aut mixtione, ſed poſitione ſimultanea quarumdam operationum in utroque, ut ſi certa fiat cogitatio in mente, fiat & certus quidam motus in corpore, & viciſſim, quæ innumeris modis variari poſſunt. At cum hæc connexa non ſint eatenus de natura utriuſque extremi, ſed ex liberrimo ſupremæ cauſæ placito uno occurrant, perperam cum mentis natura ſeorſim ſpectanda eſt, recurritur ad corpus, ac ſi illius natura naturæ hujus ſpatioſæ & mobilis particeps eſſet.

II. Præter operationes mentis internas circa ideas ſuas, quæ ſua ſponte ipſi præſto ſunt, verſantes, habet mens nullas alias ex ratione naturæ ſuæ neceſſarias; nil igitur extra ſe neceſſario operatur. Imo cum quicquid Deus præter creatam mentem produxit non ſit notum creatæ menti ex vi naturæ ejus ſeorſim ſpectatæ, ſive cum non ſit de natura ejus ut ſit conſcia aliarum rerum præter ipſam creatarum, prout neque harum natura poſtulat ut menti ſint notæ, nunquam acciderat ut in illis, utpote ignotis & non perceptis, operaretur mens: verum cum placuerit cauſæ ſupremæ ut mentium cum corporibus, quoad operationes, ſit nexus, voluit ut certis materiæ cujuſdam, ex: gr: corporis humani, aut cerebri, poſitis motibus, certa quædam idea ſenſatiove in mente ut hæc de corpore moneretur, excitata eſſet, quæ operatio corporis in mentem dicitur; & viciſſim ut poſita quadam in mente voluntate, motus corporis cujuſdam certo modo determinaretur. Non vero ſequitur ex harum corporis & mentis actionum paſſionumque concurſu ſimultaneo, mentem naturæ vel proprietatum corporis eſſe participem, eaſque in ſe recipere, certo ſitu gaudere, extendi, ſtare vel decumbere, currere, ſaltare, loco moveri, ſpatio certo detineri, & quæ his ſimilia: cum tantum debeat inferri, mentem quidem tales mutationes in corporis motu & ſitu velle, eas autem operationes externas ideo ſtatim poni. Quamvis, ut quod proprie res eſt, dicatur, ea omnia non operetur mens creata, ut neque ſenſus à corpore in mente efficiantur, ſed una Dei voluntas cuncta producat, cum mutuo utrorumque nexu, ita ut creata mens corpori non ſit præſens niſi mediante Dei præſentia, quatenus nempe is operationes ſuas in mente & corpore ita voluit nectere. Sic vitam, motum & exiſtentiam in ipſo habemus.

III. Cæterum ſi quis adhuc imaginarium illum mentium motum vix à ſe poſſit removere, eo quod, cum mens ſua ſit juncta corpori, quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cumque illud moveatur, etiam hæc cum illo moveri, ſi quidem illi adſit ſemper, videatur eſſe concipienda; nihil eſt quod præterea ei dicatur, niſi ut ſemota ad tempus ipſius mentis cum corpore ſuo conjunctionis conſideratione, ſuam cogitationem in alias mentes corporibus non ita mancipatas deflectat, nempe in Angelos, qui cum materia interdum aliquo junguntur nexu, non ita quidem ſtricto ut ille eſt qui mentes humanas corporibus annectit, attamen eouſque cum illo conveniente, ut uterque non ſit de eſſentia Mentium. Primo igitur, concipe, uti potes, Angelum aliquem nullum plane ex natura ſua nexum cum materia habentem, ita ut hæc ne quidem ſit objectum ejus cogitationis, neque noſcat is, an detur ullum corpus. Suppone inſuper velle Deum Angelo illi exiſtentiæ corporum notitiam aliquam dare, idque Eum exequi efficiendo ut poſitis molis corporeæ cujuſdam diverſis motibus, figuris aliiſque variationibus multiplicibus, ponantur in mente Angeli cogitationes perceptioneſve quæ eis reſpondeant, & quales illæ ſunt quas vigilantes, vel etiam interdum dormientes, de lumine, coloribus, figuris, motibus, & aliis, experimur, vel aliæ. Quis inde concludat naturam Angelicæ illius mentis ſimilem ideo eſſe iſtis externis! eſſe igitur lumen, habere figuram, rotundam, triangularem, aliam, quia percipit iſta? habere motum & extenſionem, quoniam iſtorum ideæ in illa ſunt? Vix certe unus aliquis eo abſurditatis hac concluſione deveniret. Cogita tertio, Deum non tantummodo voluiſſe ut mens illa afficeretur ex occaſione molis iſtius corporeæ, verum etiam ut iſta moles diverſimode moveretur & afficeretur ex occaſione diverſarum cogitationum & placiti Spiritus Angelici; ita ut ſi hic præditus ſit ea voluntate ut moles horſum vel aliorſum moveatur, ſequatur is motus; ſi ut moles talem figuram & ſitum aſſumat, id ea occaſione ſtatim fiat, hicne opus eſt ut ipſam Angeli naturam moveri, & diverſimode figuris indui, quis ſibi imaginetur? Nonne ſufficit ſi concipiam, omnes quidem illas corporeas affectiones in mole corporis eſſe; in mente vero Angeli præter illarum perceptionem & voluntatem nil omnino de illis eſſe? Atque his modis movent Angeli corpora, & ipſi dicuntur in terram deſcendere, aſcendere in cœlum corporeum, celerrimo eoque diverſo motu moveri, non ratione eſſentiæ ſuæ nec in illa, quaſi eſſet horum ſubjectum, ſed tum reſpectu iſtarum operationum externarum quæ in corporibus quibuſdam fiunt ex occaſione voluntatis Angelicæ; tum etiam objective, quatenus modo quæ in ſupremis, modo quæ in infimis, hæc illave, objecta ſunt Cogitationis Angelicæ. Cogita tandem mentem tuam cum mente

Angeli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Angeli ejuſdem naturæ eſſe creatam, & ei talia ex voluntate Dei accidere quæ jam diximus; molemque illam materiæ eſſe tuum corpus, nec tibi difficile conſequenter fuerit concipere mentem ſic corpori adeſſe, ut neque illa extendatur, neque moveatur, neque ſit in ſpatio, idve mutet, utut hæc omnia corpori ipſa volente & percipiente eveniant. Equidem eatenus mens noſtra cum Angelis in corporum aſſumptione convenit: quanquam deinde in multis, in hoc vero præcipue differat, quod mentis noſtræ perceptiones quas ex occaſione corporis habet, multæ ſint, vividæ ſint, potentes & valde urgentes ſint; cum quas corpus recipit impreſſiones ex mentis voluntate ſint pauciores, debiliores, & parvo limite contineantur; ita ut plus corpus in Mentem, quam Mens in corpus, polleat: At in Angelis contra fit, & plus illi valent in corpora, quam corpora in illos.

Hactenus falſas de Mentium generaliori notitia opiniones cum earum cauſis conati ſumus removere, & oſtendere dari notitiam intellectualem de re intellectuali, ſine ſpatio & extenſione: quod tum in genere, de omnibus ſpiritibus; tum ſpecialius, de Deo, & de Mente creata, à qua etiam motus eſt remotus, demonſtratum eſt, ut deinceps ſequentia iis non contaminarentur. Quod ſi quibuſdam longior videatur fuiſſe diſcurſus, reputent ii vel infirmiſſimis ſcrupulos præcipuos eximere inibi fuiſſe intentum: his enim, ſi qui ſint, datur diſcurſus iſte, quibuſdam forte brevior, ſi eo non poſſint à materialibus ad nobiliora etiamnum abſtrahi: quibus nil eſt utilius quam ut ſimilia animo ſæpe revolvant.

Corruptibile corpus animam aggravat, & terrena inhabitatio mentem de pluribus ſollicitam deprimit. Sap. cap. IX. v. 15.

LI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

LIBER SECUNDUS
UBI
De Mente Increata & Creata, Earumque Perfectionibus & hujus imperfectionibus, in genere agitur.

CAPUT I.

1. *Omnibus corporeis ſepoſitis,* 2. *ſupereſt Cogitatio utrique Menti tribuenda.* 3. *In illa una, eſt eſſentia Mentis creatæ.* 4. *Proponuntur difficultates ſex in poſterum reſolvendæ.*

I. CUm ſupra ab initio diverſæ de rerum ſpiritualium notitia referrentur opiniones, quintum inter illas occupabat locum ea quæ puriori cogitatione & intellectu res mentis vult indagari poſſe. Quam ſententiam, utpote veriſſimam, ita amplectimur & ſequi conabimur, ut non modo omne corporeum, imaginabile, ſenſibile exulet ab idea Mentis; verum ut nequidem occaſionem de ſpiritualibus loquendi ſumpturi ſimus, (niſi forte rariſſime & ex incidenti,) ab exiſtentia, vel à conſideratione rerum corporearum: ſed tanquam iſtis omnibus exuti, à contemplatione Mentis creatæ ad increatam ſimus annixuri. Quamvis enim quæ inter opera Dei ſunt corporea, multis, iiſque inſignibus characteribus ſint inſignita, quibus Artificis ſui Summi perfectiones ſummæ ſignificanter manifeſtentur: attamen, quia his cum Dei eſſentia nihil communius intercedit, ſiquidem nil corporeum prout corporeum eſt, tribui poſſit Enti ſummè Perfecto; cum præterea, etiamſi quis ex corporum inſpectione Deum cognoſcere prætendat, mentem nihilominus intercedere eſt neceſſarium; cumque Mens plures, eoſque inſigniores Divinitatis gerat characteres; nil utilius ab illa fieri poteſt, quam ſi materialia quæcunque ſibi quaſi in nihilum redigat, neque ea magis ſpectet ac ſi nulla exiſterent: Semoveat etiam illorum quas habet ideas, quo melius & ſincerius ex ſui ſolius inſpectione ad Deum tentet aſſurgere. Hoc propoſitum à Carteſio cum utilitate adhibitum, multis diſplicuiſſe dolendum eſt: Cum tamen non tantum ad notitiam, ſed &

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ad verum amorem Dei, ſimili via, imo etiam ſtrictiori, qua omnia creata, etiam nos ipſi, nihil nobis fiant, ut ſolus Deus fiat omnia, progrediendum eſſe ſancti viri dixerint.

II. Mens hoc in ſtatu poſita, quæcunque in ipſa reſtant circumſpiciens, nil præter cogitationem invenit, quod ſibi, & Enti alteri de cujus exiſtentia certa ſit, tribuat: ut enucleate rem propoſuit Carteſius in Meditatione ſecunda, & tertia. Cogitatio igitur ſola ſupereſt abſque imaginatione indaganda, ut per eam & in ea naturam Mentis tum Increatæ cum creatæ agnoſcamus. Quod eo fiet ordine, ut primo videamus naturam utriuſque Mentis eatenus convenire, ut in cogitatione ſita ſit. Ne tamen creaturam cum Deo miſceri quis inde ſequi putet, oſtendetur ſecundo, at generalius, quomodo Cogitatio ſeu Mens utraque diſconveniat, una perfectionum excellentia, altera earumdem limite & imperfectionum mixtura. Ne vero quis dicit perfectiones immenſas quæ Deo tribuuntur, vel limites perfectionum quæ Menti humanæ dantur, quæ forſan ad divinas, utpote earum ſcopum, cum tempore eo tendentes perventuræ præſumi poſſent, eſſe omnia figmenta libera humanæ cogitationis; proponetur, tertio, via certa qua perfectiones Dei, perfectiones item & imperfectiones mentis creatæ, harumque limites, menſura & regula, tuto poſſint agnoſci. Atque his tribus Secundus hic Liber abſolvetur.

III. Mentis utriuſque, Increatæ & Creatæ, notio magis generalis & evidens dari non poteſt, quam ſi tanquam Cogitatio utraque concipiatur. Hæc enim utriuſque Eſſentia ſeu natura eſt, quod facile de utraque, remotis apparenter adverſantibus, demonſtrari poteſt. Et primo quidem, ut de creata Mente agatur, (nam hæc ut occaſio de altera loquendi præcedere debet) certum eſt, Cujuſcunque rei eſſentiam ſeu naturam conſiſtere in eo, quod ita concipitur in re, ut etiamſi omnia cætera in nihilum redigerentur, id tamen ut nihilominus exiſtens clare concipi poſſet, & quidem ita concipi, ut eo ſolo poſito ſequatur ſeries attributorum rei, modorumque plurimorum, quorum illud ipſum ſit immediatum ſubjectum. Niſi hoc ſit concipere rei alicujus eſſentiam, id ipſum quod res eſt, & quidem ita proprie, ut ille conceptus tum ab omni conceptu alieno ſeparetur, tum etiam amplectatur id quod eſt primum & fundamentale in re de qua quæſtio eſt; fateor me ſcire non poſſe, quid dici mereatur conceptus eſſentiæ rei cujuſquam. Atqui omnibus corporeis remotis, deprehendo in Me, ſive in Mente mea, (quod enim in me eſt præter corpus, Mentem voco) concipio, inquam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

in me etiamſi omnia corpora cum meo, omnia inquam quæ in mundo ſunt, tollerentur, me tamen dum cogito ſufficienter exiſtere, ſive, ſatis eſſe mihi ad conſcientiam exiſtentiæ meæ cogitationem, ita ut ad evidentem hujus veritatis, ſum res, notitiam, non opus ſit ad alia quæcunque præter cogitationem attendam, & me convertam. Video ea poſita involvi, indeque ſequi plurima attributa quæ in nihilo eſſe non poſſunt, abſque cogitatione concipi non poſſunt, ei immediate inſunt, quæque agnoſcunt omnes ad rem ſpiritualem pertinere. Cogitatio igitur eſt mei, ſive mentis meæ, ſive ejus quod in me eſt præter corpus, eſſentia & natura. Quod ſi cogitatio à me tollatur, nil plane mihi ſupereſt unde conſcius ſim vel percipiam me non eſſe nihil, ſupereſt forte brutiſſimum quid extenſum cujus aliquis alius forſitan eſt conſcius: ſed quid hoc ad Mentem. Quo negato negatur directe quicquid eſt in me præter brutiſſimam molem, negatur omnis perceptio, voluntas, judicandi, amandi, imo imaginandi & ſentiendi fundamentum & actus; id certe eſt eſſentia ejus rei quæ præter molem corpoream in me eſt. Talem eſſe Cogitationem cuilibet attendenti eſt evidentiſſimum. Quo ſit, ut ex hac & præcedenti ratione ſit concludendum, in hoc uno conſiſtere eſſentiam Mentis creatæ ut cogitet: Sive illam eſſe uno verbo Cogitationem: quod unum ſi ei dederit ejus Author, de cætero nil illa opus habet ad hoc ut ſit quod eſt.

IV. Concluſionem hanc à multis æque admitti ob ſequentes difficultates eſt animadverſum. Cauſantur nonnulli. 1. Cogitationem non eſſe aliquid ſatis reale, ut in ea Mentis natura conſiſtat. 2. Quemlibet habere plures cogitationes, quas ſæpiſſime mutat, ac proinde multæ cuilibet eſſent aſſignandæ mentes diverſæ & mutabiles. 3. Cogitationem eſſe actionem, quæ præſupponit aliquod agens. 4. Cogitationem eſſe attributum, quod requirit ſubjectum aut ſubſtantiam ubi ſit: quamvis enim Mens ſit res ſeu ſubſtantia cogitans, non tamen quæri, quid illa cogitatio ſit, ſed quid ſit illa res ſeu illa ſubſtantia, in qua eſt cogitatio? 5. Mentem debuiſſe ergo ſemper cogitare neceſſario à quo tempore eſt creata, ante nativitatem ejus cui ineſt corporis, etiamque in ſomno, ſiquidem cogitatio ſit ejus eſſentia: at de priori nemo eſt conſcius; de poſteriori nec omnes, nec ſemper. 6. Denique cogitationem eſſe poſſe modum aut temperamentum corporis, ut in brutis, nec ab illo realiter differre, verum corpus cogitare poſſe. Quæ omnia ſi ita removeantur, ut ſequentium hiſce adverſantium pateſcat veritas, nempe, Cogitationem eſſe rerum omnium realiſſimam; eſſe unum quid

fixum

fixum & ſubſiſtens; Eſſe principium in ſuo genere agens & primum; Eſſe ipſam Mentis ſubſtantiam & ſubjectum omnium quæ in Mente; Eſſe à Mente inſeparabilem; Denique eſſe quid diverſum & incommunicabile omni corpori, nilque in ſua natura includere quod corporeum ſit: arbitror nil adeo poſſe aliunde obſiſtere, quominus ut vera admittatur concluſio inferens, Mentem eſſe ipſiſſimam Cogitationem.

CAPUT II.

1. *Inter res omnes cogitatio eſt quam maxime realis.* 2. *Una eſt, fixa & perſiſtens.* 3. *Eſt principium omnium quæ in Mente ſunt.*

I. QUi Mentem omnium rerum maxime realem eſſe, ut revera eſt, fatentur, impediuntur quo minus eam putent eſſe ipſam Cogitationem, quia hæc aliquod non ita reale videtur indigitare. At ii facile ſibi ſatisfieri patientur, ſi, ubi explicuerint quid per *reale* intelligant, obſervare velint, quocunque ſenſu aliquid reale dicatur, eo cogitationem omnia ab ipſa diverſa, in realitate vincere. Vis per reale id deſignare quod certum eſt & inconcuſſum, quod negari nequit, quod chymærico & plane ficto opponitur? Quid hoc ſenſu magis reale eſt quam cogitatio? Omnia corpora negari, & nihil eſſe, poſſunt à me ſupponi: & quoties, ea quæ tanquam à me diverſa mihi repræſentantur, nihil ſunt præter figmenta, chymæras, & ſomniorum luſus? At, vel in ipſis ſomniis me cogitare, mihi certum eſt: Me, quamdiu vivit Mens, & poteſt dicere ſe eſſe, ita certum eſt cogitare, ut id negare ſine contradictione non poſſim. An reale tibi idem eſt quod evidens & clarum? Certe inter hæc primas tenet cogitatio. quis clare percipiat omnia quæ ſunt actu in aliqua re corporea quoad numerum partium, vel exactam motus aut figuræ menſuram? at omnia quæ jam actu ſunt in mea cogitatione (quod de ſe quilibet aſſeverare poteſt) clare video, nec negare poſſum, quin eo ipſo affirmem me evidenter percipere quid in mea cogitatione non ſit, quidve ſit. Quod ſi tibi reale ſit idem atque id quod permanens eſt, nec tenues evaneſcit in auras: hoc quidem ſenſu humanum corpus non multum fuerit reale, utpote cujus ſubſtantia ita continuo fluit, ut in corpore ſenis aut adulti ne forte unica ſuperſit particula ejus quod in illo erat cum infans naſceretur; cum poſt aliquantulum temporis ſpatium deſinat eſſe id quod fuit, & ejus cujus fuit: nil etiam minus reale eſt Mente, ſi illa ut aura quædam tenuis, vel vapor, aut halitus concipienda ſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

At cogitatio conſtanter Cogitatio eſt, non evaneſcit ut fiat aliud quid, vel alterius cujuſdam. Si denique, qui ſenſus præcipuus eſt, reale & perfectum tibi Synonyma ſint, cogitationis realitatem maximam inde agnoſces. Vere definienda eſt realitas perfectione. quod nihil eſt, realitatem vere non habet, quia perfectionem habet nullam. pulviſculus reale quid eſt, quia perfectione nonnulla præditus eſt. Deus maxime realis eſt, quia maxime perfectus. Ergo, ſi res creatas ſpectemus, quid perfectius eſt, brutane extenſio, aut vivida cogitatio? moveri, habere partes; aut intelligere, velle, & quam plurimas nobiliſſimas facultates poſſidere? Si modos, major-ne perfectio in certis particularum corporearum diſpoſitionibus, quibus diverſe quæ in diverſis corporibus miramur, conſtant, quam in ſublimi cogitationis diſpoſitione, quæ omnia ſibi vivide ſiſtit præſentia, circa illa ſolide judicat, recte ratiocinatur, ſponte approbat aut improbat, amanter amplectitur, jucunde gaudet, placide acquieſcit, & quæ ſimilia fere infinita ſunt? Hæc certe perfecta ita ſunt, ita realem nobis ſiſtunt cogitationem, ut cætera diverſi ab illa generis vix præ illa realia videantur. Sed & ipſe Deus quanti præ omnibus cogitationes humanas facit? ſiquidem illas ſolus velit poſſidere, & ab illis quantum poteſt, poſſideri, ſi illas cum Zelotypia ambiat, & quia illæ ab eo deviæ fuerant, mirabilia patraverit ut eas ſibi reduceret, ſi ejus magnalia in iis maxime excellentiſſimo modo operetur; ſi denique omne præceptum & ſacrum in bene cogitando incluſerit! Eſt igitur inter omnia creata realiſſimum.

II. Quod ſecundo loco eſt oppoſitum, ab ambiguo vocis *cogitationis* ſenſu qui modo generalior, modo ſpecialior eſt, ortum ducit. Etenim ſi ea voce variam perceptionis noſtræ ad varia objecta, puta modo ad corporea, modo ad ſpiritualia, ad terram, ad cœlum, ad Deum, ad nos ipſos, applicationem intelligere velimus, tunc quidem multas cogitationes, eaſque interruptas, in qualibet mente eſſe verum eſt: at hoc ſenſu nequaquam prolatum eſt Mentis naturam cogitationem eſſe: neque enim eſt de ejus eſſentia in genere & confuſius ſpectata ut certo alicui objecto, percipiendo præ alio, applicetur, etſi illa cum naturæ ſit finitæ, & omnia ſimul percipere impotentis, neceſſario applicetur alicui ex omnibus illis, imo determinatius (quod ad formam ſpecialiorem infra referemus) in certum unum præ aliis tendat. Quapropter ut per vocem *cogitationis* Mentis natura non ambigue notetur, intelligenda eſt Cogitatio, ut limitata quidem, quia omnia ſimul percipere non poteſt; at non ut determinata ad certum quid, quia nullum habet in quovis

actu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

actu, ut res ſimpliciter conſcia, cum ullo objecto ſpecialiori, imo ne quidem ſecum, quatenus in ſe ipſam reflectere poſſet, neceſſarium nexum. Et hoc ſenſu Cogitatio generalius quid eſt quam priori, & unica in Mente dici debet, eſt enim perceptio intima eorum, quæcunque ea ſint, quæ in illa ſunt: nam ut objecta diverſa ſint, ut etiam diverſimoda percipiantur applicatione, ad hoc unum tamen redeunt, quod ſint perceptio, hoc eſt, cogitatio una, diverſis modis variata. Res ſimili perfacile comprehendetur, nempe certum, exempli gratia, ceræ fruſtulum quamplurimis figuris variari poteſt, naturam autem ſuam unam idcirco mutare dici non poteſt: fiat ex triangulari rotundum, quadratum, aut interno calore aliam quamlibet aſſumat figuram, eadem natura tamen permanet ac perſiſtit. Eadem prorſus ratione una fixa manet Mentis natura Cogitatio, diverſitate objectorum, & applicatione ſui ad ea ſubinde mutabilis.

III. Pari modo ſolvi poteſt tertia difficultas, qua Mentis natura Cogitatio ideo eſſe negabatur, quod hæc actio eſſet, non Res agens. Nam, (ne jam immoremur in eo quod non omnis cogitatio actio ſit, ſed ſint etiam multæ illic paſſiones) notandum eſt, vocem actionis certam applicationem rei ad ſingulare aliquod objectum communiter deſignare. quo ſenſu dici nequit cogitationem late ſumptam, ut mox monitum eſt, notantemque mentis naturam, eſſe actionem: cum potius ſit, tum principium agens, tum etiam ſubjectum paſſiones admittens. Hoc cæteroquin non impedit quominus Cogitatio, quatenus conſideratur ut applicatio ſpecialis ad aliquod objectum, actio ſit vocanda: at tunc ea, ut viſum, non eſt de eſſentia Mentis ſive Cogitationis fundamentalis: non enim idcirco eſt in nobis perceptio ſeu conſcientia, quia ad tale quid objectum eſt applicatio, ſed contra. Igitur hoc ſenſu natura Cogitationis non eſt actio. Cæterum quemadmodum verba ex ſemetipſis valde ſunt indifferentia, nihilque conſideratu dignum præter voluntariam, quæ eis aſſignatur, ſignificationem obtinent, ſi quis præter uſum communem velit Cogitationem, ut ea hic aſſeritur eſſe Mentis natura, actionem vocare, vocet quantum libuerit: at tunc negandum eſt id, quod ita actionem appellabit, depoſcere aliam rem diverſam unde tanquam à principio actio ea emanare concipiatur.

CAPUT III.

1. 2. 3. 4. Cogitatio eſt Mentis ipſius ſubſtantia, natura, eſſentia.
5. 6. Eaque ab omni Mente inſeparabilis.

I. UBi Mens materialibus Phantaſmatibus libera eſt, quarta difficultate, quæ dicta eſt, non præpedietur. Sit cogitatio attributum ſubſtantiæ cogitantis, non tamen inde inferendum eſt eam eſſe in re quid diverſi ab ea cui tribuitur re, ſive ſubſtantia. Quinimo tanquam ipſamet res & ſubſtantia concipi debet: non enim requiritur in omni attributione ut inter id quod tribuitur, & id cui attribuitur, diverſitas intercedat, ut videre eſt in attributis divinis quæ non ſunt diverſum quid ab ipſo Deo: cum detur quoque attributio identitatis, ut ſic loquar, id eſt, talis modus loquendi quo oſtendamus id quod duobus pluribuſve verbis intelligitur, eſſe rem unam & eandem. qualis modus eſt in hoc negotio, ubi Mens dicitur Res cogitans, vel ſubſtantia quæ cogitat.

II. Difficultas in eo eſt, quod homines cum velint concipere ſubſtantiam præciſe & in genere, nihilominus quia conceptus ille incompletus eſt, vel inviti eo delabuntur, ut ad ſubſtantiam in ſpecie attendant, cui cum poſtea cogitationem ſuperaddere velint, conſtat conceptum illius ſubſtantiæ ante attributionem cogitationis conſideratæ, fuiſſe conceptum corporis: non enim datur ſubſtantia ſpecialis, ſeu revera exiſtens, à cogitatione diverſa præter corpus. Atque ad hoc ſpectant abſurda illa poſtulata, ut explicetur natura non Cogitationis, ſed ſubſtantiæ hoc eſt trunci ſeu ſtipitis illius à cogitatione diverſi, in quo eſt cogitatio. Notandum igitur, ne quis his verborum tricis implicetur, nomen ſubſtantiæ diverſimode uſurpari, interdum denotare conceptum de re incompletum, aliquando completum, ſeu rem ipſam prout exiſtit extra conceptum: quæ ne in nimias ſubtilitates evaporent, facilius iis exemplis capientur, unde omni logomachiæ finis imponatur. Si mihi dicatur, Deum creaturum vel creaſſe rem quandam, quæ, etiamſi omnes cæteræ præter illam in nihilum redigerentur, ſubſiſteret tamen: conceptus quem habeo ex hac occaſione eſt conceptus ſubſtantiæ, ſed tamen non poſſum inde certo ſcire, an illa res ſit corpus, vel mens, extenſa vel cogitans, non concipio ideo cogitationem, vel extenſionem à Deo productam, conceptus meus de illa re eſt indifferens ad recipiendum pro ſui complemento ideam cogitationis, vel ideam extenſionis, & eatenus

tenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tenus ad neutram eſt determinatus. Et ſubſtantia dicitur incompleta hoc ſenſu, qui non reſpicit rem in ſe, nulla enim res à Deo producta eſt extra conceptum meum, quæ exiſtens, ſit indeterminata ad cogitationem vel extenſionem, & quæ neutram involvat, quæque conceptui illi meo generali reſpondeat; ſed ad conceptum ſolum, eumque imperfectum, refertur. Cum vero dico, Mens eſt ſubſtantia, ſubſtantiæ voce aliud jam ſignifico quam me concipere Mentem eſſe quid indifferens ad recipiendum extenſionem vel cogitationem, & neutram involvere: ſed voce ea deſigno aliquid reipſa exiſtens extra conceptum, atque cogitatione præditum. In priori ſenſu cogitatio differt à ſubſtantia, ſed hoc in conceptu, non in re ipſa, hoc eſt, quando attendo ad cogitationem, alio modo cogito quam quando attendo ad ſubſtantiam priori modo ſumptam: conceptus ſunt differentes & diverſi: plus concipitur in uno quam in altero. In poſteriori vero, Cogitatio eſt ſubſtantia, hoc eſt, in ipſa re non eſt ulla diverſitas inter illam rem cogitantem quæ cæteris rebus deficientibus ſubſiſtere poteſt, & Cogitationem. Illa res eſt ipſiſſima cogitatio. adeo ut abſurdum ſit quærere aliud quid ſubſiſtens, & quidem diverſi generis. Quod autem dicitur, ſubſtantiam per ſe non cognoſci, ſed per attributa, imo ſola accidentia noſci, ut quidam volunt, unde concludunt Cogitationem non eſſe Subſtantiam ipſam, utpote quæ facile noſcatur; facile ſolvi poteſt ſi ad jam dicta attendatur: verum eſt cum quis ſubſtantiam in priori & generali ſenſu concipit, eum non ideo cognoſcere eſſe extra ſe rem determinatæ naturæ, cogitantis vel extenſæ, ut exemplo viſum eſt; verum etiam eſt, cogitationem non eſſe talem ſubſtantiam generalem & abſtractam, adeoque hoc modo *ſubſtantiam* (Specialem) *non cognoſci per ſe* (per generalem ſubſtantiæ conceptum): At cum cogitatio ſit ſubſtantia certa, & determinata, in ſenſu poſteriori, omnino falſum eſt talem ſubſtantiam per ſe non cognoſci, ſed ſola accidentia: idem enim eſt acſi diceres, mentem ſeu Cogitationem (ſimile de corpore dixeris) ut talem, ut ſubſtantiam ſpecialem & certam non cognoſci, non cognoſci per conceptum de ſe; vel tanquam accidens cognoſci. Quin potius accidentia, utpote indefinita, non ita facile ut ſuæ ſubſtantiæ cognoſcuntur, neque per ſe cognoſcuntur, ſed in omni accidentis conceptu neceſſario conceptus ſubſtantiæ, etſi indirecte, involvitur, ut in conceptu figuræ vel motus ſubeſt notio extenſionis. Hinc nova ratione poteſt evinci cogitationem eſſe Mentis ſubſtantiam, ſi nempe in percipiendis modis ſive accidentibus Mentis, ut judicare, negare, triſtari, ſperare, metuere, ratiocinari de quibuſvis, quæ-

ratur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ratur conceptus ſubjecti cui hi inſunt modi, quique hiſce conceptis neceſſario adeſt: nam præter Cogitationem nullum invenietur; eſtque proinde illa Mentis Subſtantia.

III. E dictis clarum eſt, quomodo intelligendum ſit illud quod difficultatem pariebat, ſcilicet, Cogitatio eſt in ſubſtantia, nempe ita: Conceptui generali ſubſtantiæ debet addi conceptus cogitationis ad repræſentationem naturæ Mentis, vel, ut conceptus iſte ſit conformis rei (Menti) extra conceptum exiſtenti: non vero ita quaſi putare deberemus, rem ſeu ſubſtantiam primo exiſtere, deinde ſuperindui cogitatione tanquam aliquo ab ea diverſo, cum cogitatio ſit ipſiſſima illa ſubſtantia, quæ ſolo concurſu Dei & nulla plane re creata, eget ad exiſtendum; quæque cum per ſe ſubſiſtat, nullo, præter ſe, ſubjecto in quo ſit, indiget.

IV. Igitur ridiculus fuerit, qui quaſi hanc ſententiam de cogitatione quæ ſit ipſa ſubſtantia, ludibrio expoſiturus, has voces, *ſubſtantia quæ cogitat*, hac paraphraſi, Cogitatio quæ cogitat, inverteret: Cum, ſi habeatur reſpectus ad conceptum ſubſtantiæ indeterminatum, ut primo monitum, hoc ſit idem ac, conceptus ſubſtantiæ indeterminatus ex ſe cui ſuperadditur conceptus cogitationis ad ejus complementum & determinationem; ſi vero ad rem ipſam extra conceptum, tunc unum & idem eæ voces ſignificent, ita ut non ſit opus unius reduplicatione; Si denique ad utrumque, perinde ſit ac, res quæ cogitat, vel, Cogitatio, non debet concipi ut accidens ſive modus qui non ſubſiſtat niſi in alia re creata, ſed ut ens ab omni alia creatura in exiſtendo independens. In quibus omnibus nil abſurdi. Taceo poſſe etiam cum ratione dici, Cogitationem cogitare, per id intelligendo, perceptionem, quæ ex natura ſua non eſt determinata ad certa objecta, ſeſe ad illa determinare, adeoque ſingulares perceptiones producere; nec non cogitationem eſſe in cogitatione, hoc eſt, cogitationem quamlibet particularem non alia de cauſa in nobis eſſe, quam quia una in nobis eſt perceptio in qua omnes ſubſiſtunt. Sed de verbis ſatis hactenus.

V. Scrupulus quintus rem ipſam tangit, non voces ſolas. Certum enim eſt, Mentis rem ſive ſubſtantiam, ſive naturam, non eſſe Cogitationem ſi vel per momentum Mens ſine Cogitatione exſtitit. Sed negamus Mentem à quo eſt creata unquam fuiſſe non-cogitantem, etenim cum non ſit nihil, cogitationem ſi tollas, nil ſupereſt quod de ea affirmes, adeoque hoc ipſo eam in nihilum redigis. Quid enim cogitatione ſublata reſtat quod menti aſſignes? in primis tanquam ejus eſſentiam?

Facul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Facultas cogitandi, dices. Bene, ſi per facultatem illam intelligas potentiam determinandæ Cogitationis exiſtentis ad varia objecta: ſed hoc ipſum dicit cogitationem actu eſſe, quod enim non eſt, determinari nequit à ſe aut ab alio. At ſi eo velis mentem cogitatione actuali deſtitui, poſſe vero certo tempore, aliquave occaſione eam recuperare, inſignificantia loqueris. Nam quodlibet exiſtens aliquid actu poſſidet, aut ipſum eſt nihil: nec ſatis eſt potentia poſſidere, cum illud nil reipſa poſſideat quod ſola potentia, quæ actum excludit, aliquid poſſidere dicitur. Aſſerere vero Mentem actu poſſidere ipſam cogitandi facultatem, idem eſſet, ac ſi de corpore affirmaretur, id extenſionis facultate, non autem extenſione ipſa, eſſe præditum. Quippe notandum eſt omnem facultatem ſupponere aliquid reale & exiſtens actu, in quo illa reſideat, niſi libeat ipſi nihilo facultates tribuere: & quid aliud eſt facultas ſi in re ipſa extra conceptum ſpectetur, niſi ipſa res variabilis? quid eſt in corpore facultas recipiendi figuras, niſi ipſa extenſio, quatenus varie terminari apta eſt? quid facultas cogitandi, niſi ipſa cogitatio, quatenus ad varia objecta, & variis modis, poteſt applicari? An aliud in re ipſa concipi poteſt? aut illud ſi concipias, effer iis verbis quæ aliquid certi & clari ſignificent: certum enim eſt nil diverſi ſine nugis allegari poſſe.

VI. Fortaſſis vero contingeret, ut quidam ex iis qui mentis naturam in Cogitatione, quæ ſemper adſit, poni audirent, ſibi imaginarentur hoc eſſe interpretandum de ſublimibus meditationibus, aut diſcurſibus, res hujus mundi, aut forte etiam ſpirituales, ſpectantibus: quibus cum deſtituantur infantes, etiam Mentis natura ſic privarentur. Verum enim vero nil opus eſt ut cogitatio ad hæc objecta & hos modos adſtringatur, cum perceptio immediata eorum quæ ſunt in nobis non magis denotet meditationes ratiocinationeſque exquiſitas, quam ſenſus doloris, voluptatis, gaudii, triſtitiæ, amoris, averſationis, colorum, ſonorum, ſaporum & ſimiles, qui omnes in infantulis recens natis, & ex parte in nondum natis, ex occaſione corporis ejuſque alimenti, oriri poſſunt. Neque neceſſe eſt ad hanc veritatem, ut Mens meminerit ſe ſemper cogitaſſe, ſive ut omnium quas unquam habuit cogitationum ſit memor: cum nec intellectualium ipſa meminerit, niſi & vivide & diu ſeſe eis applicuerit. nam quod ad eas attinet quæ cum corpore aliquem nexum habent, requiritur ad earum reminiſcentiam, ut dum Mens percipit aliquid, advertitque reflectendo ſuper hoc pure & attente id ſibi novum eſſe, utatur cerebro bene parato, firmo & tranquillo, ut veſtigia hujus facile impreſſa conſtanter ſerventur. Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

propter non mirum eſt, ſi non infantes modo, ſed & ipſi viri priorum cogitationum omnium non recordentur, Cum nemo unquam poſſit omnes unius hebdomatis aut diei, enumerare, etſi certus ſit tempus illud cogitando impenſum fuiſſe. Ex his ergo ſequitur, actum quidem reminiſcentiæ omnium actuum cogitandi non eſſe Mentis naturam: at eam eſſe ipſiſſimam cogitationem manet hactenus inconcuſſum.

CAPUT IV.

I. -- 13. *Demonſtratur Cogitationem, ſive mentem, & corpus quam maxime inter ſe diſtingui.* 14. -- 17. *Nullum corpus poſſe cogitare, etſi ex mente & corpore unum compoſitum fiat.* 18. *Uſus horum.*

I. CUm ſit demonſtratum Cogitationem abſque corpore concipi & eſſe poſſe, eamque eſſe ſubſtantiam, ultimus evaneſcit ſcrupulus, quo dubitabatur, num forte cogitatio à corpore realiter differret, eſſetve ejus modus aut temperamentum? Num corpus poſſet cogitare? Sequitur enim ex dictis, Cogitationem ſubſtantiam eſſe quæ non ſit corpus, nec corporis modus; & conſequenter, inter omnes corporis modos non reperiri cogitationem, hoc eſt, corpus non poſſe cogitare. Quia tamen res momentoſa eſt, quæque nonnullos ſatis moleſte exercet, non pigebit id ex profeſſo demonſtrare, & differentiæ inter cogitationem ſive Mentem, & corpus, limites quaſi deſignare.

II. Ut in verborum cum rebus confuſione non ludatur. Primo, poſtulamus ut præter Mentem nil creati exiſtere ſupponatur, interimque attendatur ad rerum creabilium exemplaria ſeu ideas in mente exiſtentes: adſunt ideæ conſcientiæ intimæ, perceptionis, judicii, affectuum, quæ multis modis variari poſſunt, ſed quæ tamen omnes ad unam reducuntur cogitationem: adſunt ideæ extenſionis partibus conſtantis, quæ ſi diverſe adhærere ſecundum longitudinem, latitudinem aut profunditatem concipiuntur, figuras varias repræſentant; ſi vero ſeparari, ortum omnis generis varietatis oſtendunt, ſed hæc etiam ſub una extenſionis idea comprehenduntur omnia: Denique ſunt & ideæ aliæ quæ ex his duabus, extenſionis & cogitationis, videntur ita compoſitæ, ut neutra ſeparari ab illis poſſit: exempli cauſa, idea albedinis (etiamſi extra mentem nil ſimile exiſtat, ut cum adeſt in ſomniis, accidit)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cidit) involvit perceptionem, ſed & extenſionem etiam, quis enim percipiat albedinem ſine extenſione? Sic de omnibus coloribus, & ſenſibus, v. g. de ideis ſoni, doloris, & ſimilium, quæ percipiuntur non ſine relatione ad certum locum ſeu ſpatium, remotum aut proximum, ut experiri licet. Et hæ ſunt tres generaliſſimæ omnium de rebus idearum claſſes.

III. Secundo, ſupponamus generalius nos ſine ulla ſpecialiori deſignatione moneri quædam independenter à ſe invicem è nihilo emergere. Cum omnis cognitio rei fiat per ideam propriam reique ſingularem, hic vero ad ideam nullam talem poſſit præ alia recurri, (nil enim certi determinatur) patet, cognitionem quam hac occaſione ſumus habituri, redditum iri à nobis incompletam, dum ab omnibus ideis ſpecialibus abſtrahemus: quomodo, ut jam dictum, concipiemus nonnihil per ſe ſubſiſtens, hoc eſt, habebimus ſubſtantiæ conceptum, ſed ab omnibus ideis recenſitis ita abſtractum ut nullam involvat, quamvis deinceps, ubi videbimus res ideis repræſentatas exiſtere, conceptus iſte omnibus fiat communis: quo ſenſu poterit dici, plures res, etiam naturæ diverſæ, in unam ſubſtantiam, vel potius in unum ſubſtantiæ generalem conceptum, convenire, hoc eſt, ut ſubſtantiam concipi. Sed de illa ſubſtantiæ unitate inter Cogitationem & extenſum non quæritur, nec res in ſe ideo unæ ſunt quia uno generaliſſimo modo concipiuntur, nihil enim quod incepit eſſe, eſt & manet merum eſſe, ſive nil exiſtere poteſt quod præciſe conceptui iſti generali reſpondeat, neque habeat aliquid ſingularius quo ejus natura conſtituatur. Quod ſi quia res conveniunt in uno generali concipiendi modo, ideo unum quid eſſent dicendæ, multo magis ſequeretur, ob diverſitatem conceptus res etiam in ſe debere eſſe diverſas; adeoque cum concipitur de una re, primo quod ſit nonnihil, ſecundo quod ſit ſubſtantia, tertio quod habeat talem aut talem naturam, quarto quod jam exiſtat, quinto quod duret in exiſtentia, ſequeretur inquam, rem unam in tot res ſecari, & eſſe à ſe diverſam: quod omnes qui hanc differentiam diſtinctionem rationis, eo quod ſit in ſolo conceptu, appellant, inficias eunt. Ex his igitur, nil ad rerum unitatem vel diverſitatem concludere eſt.

IV. Jam tertio ſupponatur, ut res ipſa eſt, nos moneri exiſtere revera res in ſe & extra nos reſpondentes omnibus iſtis noſtris ideis, quod etiam infantes credidimus, ideis inquam illis quas ante in nobis animadvertimus. Hic quæri debet, niſi ut infantes ab errore abripi velimus, An ſingulis ideis ſingulæ res reſpondeant, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

inter ſe ita differant, ut quælibet ſeorſim exiſtat independenter ab alia?

V. Cui quæſtioni ut ſatisfiat, idearum convenientia & diſconvenientia curioſius eſt advertenda: Deinde videndum, an ex illis de rebus ipſis ſit judicandum?

VI. Attendenti ad plures ideas, v. g. cognitionis, dubitationis, affirmationis, negationis, amoris, & ſimiles, omnes eatenus convenire inter ſe ut ſint cogitatio, clariſſimum eſt; ut & diſconvenientiam ex eo eſſe, quod illa una cogitatio diverſis tantum modis variata eſſe concipiatur, nam etſi illa concipi poſſit abſque hoc vel illo modo, tamen non poteſt de ea negari potentia illos recipiendi, &, ſi ſupponatur ut exiſtens, non poteſt non actu ab aliquo affici, & illa omnibus ſubeſt, hique illam neceſſario involvunt. Unde, ſi, (quod deinceps ponetur) de rebus exiſtentibus è conceptu noſtro ſit judicandum, cum contemplor ideas cognitionis, dubitationis, affirmationis, & cæteras, non inde concludere debeo eſſe in re ipſa id quod dubitat, id quod cognoſcit, id quod affirmat, id quod negat, diverſas res exiſtentes, ſed unam eſſe cogitationem, ſic diverſimode ſe habentem; ita ut iſta non differant in re ipſa inter ſe & à cogitatione, ut neque etiam in conceptu ſolo quem de illis habeo, ſed in modorum varietate: quæ differentia modalis dicitur, à reali, & ab ea quæ rationis eſt, diſtincta. Idem de ideis extenſionem involventibus dici poteſt, de motu, figuris, corporibus ſingularibus: omnes unius extenſionis varie ſe habentis ſunt, nec inter ſe, & ab illa in re, ſed bene in modo, differunt.

VII. Præterea, cum attendo ad unam cogitationis variabilis ideam, concipio non modo unam cogitationem poſſe exiſtere quæ ad hujus exemplar ſit, ſed etiam ita multiplicari poſſe, ut plures numero Mentes, ſive res cogitantes, exiſtant, quarum cum quamlibet per eandem Cogitationis ideam (quæ eſſentia ſubſtantiæ ejus dicitur) concipiam, non puto quidem eas eſſentia, ſive idea naturæ, inter ſe differre: attamen, quia concipio unamquamque ex numeratis exſtituram etiamſi cæteræ reliquæ in nihilum redigerentur, moneor illas res eſſe inter ſe diverſas res, quapropter illas inter ſe realiter, non vero eſſentialiter differre, concludere debeo.

VIII. Denique cum duas prædictas ideas, ad quas omnes ultimo reducuntur, cogitationis ſcilicet & extenſionis, ad unam ita reducere tento, ut quælibet id quod in ea præcipuum concipitur, retineat, quemadmodum factum eſt cum ideam cognitionis, aut affirmationis, reduxi ad Cogi-

Cogitationem nihil ei detrahendo, aut cum ideam cognitionis cum idea dubitationis eatenus vidi convenire ut retineret utraque id quod in illis eſt præcipuum, nempe cogitationem; plane id deprehendo eſſe impoſſibile. Si abſtraho à cogitatione & extenſione, fit quidem conceptus communis utriuſque incompletus, & qui nil in re quod ſibi præciſe reſpondeat notare poteſt: at quod cogitatio qua talis cum extenſione qua tali conveniat, non capio. Concipio ſeorſim cogitationem abſque extenſione, & viceverſa: concipio utramque diverſam ab alterutra, imo ea negata: concipio eas ut modificatas, v. g. Cogitationem de Deo, reflexionem ſuper meam perceptionem; extenſionem mille ulnarum, motum circularem, & ſic de cæteris, non ſolum tanquam diverſas, verum etiam oppoſitas & contrarias, ut in riſum ſubitum fere ſolvar cum talia unum quid eſſe fingi poſſe puto. Hinc judico, ſi tales res, cogitatio nempe & extenſio, extra conceptum meum exiſtentes, putandæ ſint eſſe ideis perceptis ſimiles, non tantum eas differre realiter, ut modo de duabus pluribuſve mentibus inter ſe dixi, quia nempe ſunt res plures; ſed etiam, quæ omnium maxima eſt diſtinctio, eas eſſentialiter, *eſſentia ſubſtantiæ* ſuæ, diſtingui, cum utraque per diverſam & oppoſitam plane ideam, adeoque eſſentiam, debeat concipi. Adverto tamen fieri poſſe, ut cogitatio & extenſio, quæ eſſentia & re, in ſe & in modis ſuis differunt, ita conveniant, ut poſita quadam variatione in cogitatione, eodem tempore ſequatur variatio in extenſione, & viciſſim; ita ut ſimul earum modi certi varientur, ponantur, ceſſent: imo, concipio facile eſſe Cogitationum ſive Mentium Authori, ut velit nullam de novo Cogitationem vel Mentem ponere, niſi certum quoddam extenſum certis modis diſponatur. Quæ ſi fiant, nihilominus percipiam res eas ſemper realiter & eſſentialiter manere diſtinctas, quanquam tunc ſint unum quid compoſitione, hoc eſt, unum compoſitum, quia ſimul ponentur, ſimulque ponent variationes, ut unius variatio ſit ponenda cum alterius variatione, quod rerum eſſentiam non mutat. Atqui horum omnium claras ideas in me habeo, hæc clariſſime & valde diſtincte omnia percipere & concipere mihi ſum conſcius.

Nota hic quæſtionem eſſe de eſſentia ſubſtantiæ, non vero modorum, ob quos cum dicitur differentia eſſentialis dari, ut ſæpe inter corporea, ea minor eſt reali, minorque eſſentiali de qua jam agitur.

IX. Jam ubi ſuppono me moneri res ideis reſpondentes exiſtere, debeone de illarum inter ſeſe diſtinctionibus & convenientiis judicare ſecundum illa quæ mox in illarum idearum differentiis & convenientiis clare percepi? At quis de hoc dubitet? cum ſit notio omnium intima, prima, certiſſima, qua negata, omnia quæ de me, de Deo, de mundo, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

de fide & revelatis tenentur, indiſcriminatim negantur. ideo enim tenentur, quoniam illorum ideæ clare, vivide, diſtincte, concipiuntur. Unde ſcio cogitationem non eſſe laternam? unde demonſtravero Deum mundumque exiſtere; putabo cœlum ingens non eſſe aquæ guttulam; ſi illud audiendum ſit, hæc quidem in intellectu bene ita ſe habere, at non in re ipſa? Imo, unde ſcio in me revera eſſe cogitationem quam percipio? Si res aliter eſſe poteſt quam percipitur evidenter, ergo ego percipiens me cogitare poſſum tamen re ipſa in hoc ipſo eſſe non cogitans: quod ſtrenue falſum ſe prodit: nam eo ipſo quo negarem in me eſſe cogitationem, etſi eam percipiam, actus cogitationis, nempe ipſa negatio, in me poneretur. Sed cum omnes omnino homines intime perſuaſi ſint poſſibile eſſe, ut de rerum differentiis, ſaltem generalioribus recte judicetur; velim ſcire, an illud fieri debeat ſine perceptione, vel contra perceptionem, vel ſecundum illam? Primum eſt ignorantia & temeritas; ſecundum, error & abſurdum; reſtat igitur tertium, ut ipſa rerum differentia mihi eo perſpecta ſit. Atqui illa ipſa quibus res inter ſe differunt non ſunt formaliter in mea cogitatione, ſed in rebus ipſis; & nihil de rebus doceor niſi per ideas, quæ rerum vices gerunt: etiam quæ in ſenſibus (unde aliqui rerum diſtinctionem hauriunt) Mentem meam proxime feriunt, ideæ ſunt: remittor igitur ad idearum perceptiones, inter quas quin claræ & diſtinctæ obſcuris & confuſis ſint præponendæ ubi judicandum eſt, nullum dubium merito eſſe poteſt.

X. Itaque redeo ad idearum mearum contemplationem & comparationem: & cum illas ſatis diuque expendi, animadverto, quæcunque de diſtinctione modali inter cogitationem & ſuos modos, item quæ de reali inter plures Cogitationes ſive Mentes, quæque ſimiliter itidem de extenſione dicta ſunt, ita plane eſſe debere in rebus ipſis: & de his non eſt magna difficultas. At ut, quod præcipuum eſt, ſciam quæ ſit diſtinctio inter Cogitationem, ſeu Mentem, & Extenſionem, ſive corpus (voces has nobis unum eſſe, dictum ſæpe, quæ ſi cuidam diſpliceant, cum aliis permutentur) diligentius utriuſque ideas intueor, quas ſive comparem, ſive ſeparem, ſive ad unam tantum attendam altera ſemota, vel etiam, ſi fieri poſſet, deleta; tamen non minus bene clare & complete utramvis concipio. Ita, ex una parte contemplor ideam cogitationis ejuſque modorum ſeu variationum ſecundum objecta varia, ut ſunt, conceptus de Deo, de ſe, de aliis quamplurimis; & ſecundum facilitatem aut difficultatem ſeſe cum objectis jungendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quod ad voluntatem aut habitus ſpectat, ad amorem, odium, & ſimilia. His dimiſſis, clare inſpicio extenſionem, inque ea variationes innumeras, prout partes quæ in ea diverſimode adhærent vel ſeparantur (quod cum extenſione Principium Phyſicæ eſt, ſeu cauſa diverſitatum omnium quæ in omnibus ſunt corporibus). Deinde hæc comparo: Sed tum, quanta diſſimilitudo! Cogitatio non eſt extenſio. Cogitare non eſt extendi vel moveri, ſeu ſeparare partes. Cogitatio Mentis meæ imperfectæ de Deo perfecto, vel de alio præſtantiſſimo objecto, non eſt motus celer extenſionis parvæ ad extenſionem magnam. attentio defixa in objectum, & adhæſio rei extenſæ ad aliquam rem extenſam, plane diverſa ſunt. Amor, odium, &c. non ſunt admotio vel ſeparatio variarum extenſionum: ſubjectum quod illis modis variatur, cogitatio eſt, (Phantaſma vocet Hobbius, vel aliud quid ſi velit) non extenſio. Sic, extendi, eſſe parvum, craſſum, hoc vel illo modo figuratum, moveri per hos vel illos meatus, concipio plane aliud eſſe quam cogitare, idque hoc vel illo modo, eſſe hujus vel iſtius ideæ conſcium. Hæc, & ejuſmodi quamplurima, plus toto cœlo differentia concipiuntur: adeoque de rebus quæ per illas repræſentantur ſequentia concludo.

XI. Primo, Cogitatio ſive Mentis ſubſtantia eſt eſſentiæ ab extenſione vel materia maxime diſtinctæ, atque adeo, quod illuc redit, non eſt materialis, ſed immaterialis. Quid enim in illarum ideis commune? an repugnat unam ſine altera concipere, vel etiam concipere alterutram exiſtere ſine ſocia? Certe minus abſurde judicaveris cœlum eſſe terram, & ignem aquam, & corpus hominis vitreum, & arborem urbem Romam, & triangulum circulum eſſe, quam cogitationem eſſe materialis naturæ. Iſta enim jam in inſtantiam allata, re ipſa diſtingui dicuntur, nec tamen alia de cauſa quam quod unum ſine aliis concipiatur, & utrobique aliquid ſit quod commune non eſt, utut quamplurima communia habeant, exempli gratia, quod ſint extenſa, ſint mobilia, ſint figura prædita, aliaque ejuſmodi. Quid ergo de cogitatione & de corpore, in quorum ideis omnia plane ſunt diverſa, & nihil omnino commune eſt?

XII. Secundo, ſequitur cogitationem diſtingui ab extenſione ejuſve modis, magis quam una Mens ab alia numero Mente diſtincta ſit: ſive, magis abeſſe à Mente mea ut ſit materialis vel ſit aliquid corporis mei, quam abeſt ab anima Johannis ut ſit Anima Pauli. Patet ex dictis duas mentes realiter diſtingui, ſeu eſſe duas numero res, nec tamen eſſentia differre, cum etſi una ſine altera poſſit concipi & exiſtere, tamen

utra-

utraque concipi non poſſit niſi per unam eandemque cogitationis ideam: at res cogitans & res extenſa non tantum ſeorſim concipiuntur ut exiſtentes; ſed etiam ſi utramque velim concipere prout in ſe eſt, neceſſario ideæ diverſæ naturæ adhibendæ ſunt, nec una id complete effici poteſt. Eſt igitur major diſtinctio inter quodcunque corpus & mentem meam, quam ſolum inter duas aliquas res.

XIII. Sequitur tertio, Cogitationem magis à corpore differre quam ab ipſo nihilo: Sive, magis abeſſe à Mente ut ſit materialis, quam ut ſit nihil; & extenſionem ſive naturam corpoream magis quam ipſum nihil ab ejus natura eſſe removendam. Reſpectu quidem ſubſtantiæ generaliſſime conceptæ non magis differt cogitatio à corpore quam à nihilo: hoc eſt; convenientius aſſeritur cogitationem habere id commune cum corpore, quod ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, quam ut ea dicatur eſſe nihil. At ſi reſpiciatur ad res ipſas quatenus una eſt Cogitatio, altera vero extenſio, illa ab hac magis abeſt quam à nihilo, & hæc magis de cogitatione neganda eſt quam ipſum nihil. Olim Cogitatio creata omnis fuit nihil, jam ejus eſſentia cum nihilo eatenus ſtat ſive de nihilo participat, quatenus non eſt ſummum Ens, eſtque de Ejus eſſentia, utpote creata, ut in illa imperfectiones, quæ ſunt nihil, quamplurimæ involvantur: impoſſibile enim eſt ut habeatur Mentis creatæ idea, quin nihil, hoc eſt imperfectio, ei eſſentialiter involvatur. At quis ferat dicentem extenſionis, materiei, corporis ideam, ideæ cogitationis ejuſque variationum ita involvi, ut hanc ſine illa concipere ſit impoſſibile? Quin potius, contrarium eſt attendenti veriſſimum. Magis igitur cogitatio à materia quam à nihilo differt, quemadmodum aliquid magis ab oppoſito diſtinguitur quam à diverſo, ſcientia magis ab errore quam ab ignorantia, via vera magis à contraria quam à ſtatione quieta vel à via ſimpliciter deviante, denique ut virtus magis à vitio remota eſt quam ab inſania, vel ſtupiditate, aut ſomnolentiæ ſtatu.

XIV. Concluditur quarto, Nullum corpus poſſe cogitare; hoc eſt, quæcunque intelliguntur per corpus & per ea quæ ſunt in illo, qualia ſunt, extenſio, quantitas, figura, motus, quies, ſitus partium, & quæcunque ex his complicatis diverſimode oriuntur, non habent in ſe, in ſua eſſentia, ſive natura, quicquam ejus quod ut cogitatio concipitur: nam in ſua idea nihil tale continent. Sola attentione opus eſt. Da extenſioni quaslibet figuras & partes, coacerva, compinge, move, divide, comminue, & ut dicam, ſubtiliſa, ideone cogitationem adeſſe concipiendum eſt? Si craſſam ſumas materiæ maſſam, eique figuram aliquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quam, veluti rotundam, aliamve aſſignes, an hujus gratia cogitabit? Negas. Quod ſi des aliam mixtam magis, ſi figuram humani corporis ejuſque membrorum & vaſorum omnium extus & intus ei dare tibi eſſet conceſſum, concipis ne idcirco illam molem eſſe cogitaturam? Vel, ſi ad ſubtiliorem materiam recurrere placet, ſi moles æque craſſa ac prior, dividatur deinde in partes decem, vel viginti, hacne de cauſa eam cogitare opinaberis? ſi in mille, in myriadas innumeras, quantumvis ſubtiles, figura motuque ad placitum præditas; ſi omnia hæc ſubtiliſſima agillimaque in vaſa maſſæ prioris infundas, ita ut per ea, per cerebri anfractus & vias, hoc vel illo modo, in rectum, in obliquum, inter hæc corpora, hos parietes, potius quam inter alia inſinuentur, & motitentur, unde motus membrorum externe ſequatur, an jam hoc ipſo aderit cogitatio? Eccur quæſo infinitæ partes iſtius materiæ, ſpirituum nempe animalium, quæ ex corpore continuo evaporant, ut fit, & in aëra diſperguntur, non cogitabunt etiam? nempe quia forte inter extenſum alio modo diſpoſitum (aërem videlicet) & motu forte magis recto aguntur, cæteræ autem quæ inibi manent partes, quia inter aliud extenſum (cerebrum ſcilicet) alia via, & motu magis forſitan obliquo moventur, ideo cogitabunt, conſcia erunt ſui, Dei, rerum quamplurimarum, judicabunt, amabunt, ſperabunt, virtutibus vitiiſve pollebunt! Quis unquam Deum, cum is injungit ut ſe contemplemur, noſcamus, laudemus, amemus, arbitretur hiſce nos jubere ut ſanguis noſter, ejuſve ſubtiliſſima portio tali vel alio temperamento ſit præditus, tenuis ſit aut craſſior, agilis aut lentus, multus vel paucus, & ut hoc vel alio modo moveatur aut quieſcat? Id de omnibus cogitationibus, cum omnes ſint ejuſdem naturæ quæri etiam poteſt. Ecce, quam obnoxiæ ſint ſtultitiæ hominum mentes, cum fere omnes à teneris talia ſpectra cudant, & adultæ foveant, vixque magno cum labore tandem dimittant.

XV. Atqui, dices, notatum eſt ſupra quaſdam in Mente eſſe ideas quæ cogitationem & extenſionem ita involvant, ut neutra à ſocia divelli poſſit, ut cum dolorem, cum colorem, cæteraſque ſenſuum ideas ſentio, aut etiam imaginor, occurrit perceptio quædam cum extenſionis confuſa deſignatione. Cur igitur non judicaremus in re ipſa exiſtere aliquid iſti ideæ ſimile, id eſt, extenſum ſimul & cogitans? Nonne præterea videmus animalia quæ ſola materia conſtant, his ſenſibus eſſe prædita? eaque ex illis in quibus ſanguis eſt nobilior, & vaſa concinnius elaborata, ita induſtria eſſe, ut puriori forte cogitatione imbuantur? Quid, quod & inter homines ii minus bene cogitent quorum cerebella contu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

max vapor ex atra bile labefactat, vel humor nimius emollit, quorum ſanguis ſolito craſſior vel tenuior, lentior vel concitatior, abundantior vel parcior eſt? Nonne hæc arguere videntur, vel cogitationem à materia pendere, vel in multis eſſe unum quid cum illa? Reſpondeo, ideas ſenſuum non eſſe datas ut ſint exemplaria naturæ rerum, ut mille experimentis evinci poteſt, ſed ideas intellectus: tametſi ſenſuum ideis ſua, ut videbitur, reſpondeat veritas. Intellectu autem clare percipimus cogitationem ſolam, & corpus ſolum, ſeorſim; unde diſtinctas eſſe res concluſimus: concipimus evidenter motum cum extenſione necti, atque adeo, non eſſe res diverſas, quod pariter de amore cum cogitatione valet: at, quod cogitatio & extenſio ſint inſeparabiles & unum quid, non intelligimus. Secundo, intelligimus fieri poſſe ab authore omnium, ut in Mentis perceptione variationes dentur certo & ſimul cum certa aliqua maſſa diverſimode variabitur: attamen quamvis illæ variationes ſimul occurrant, & ſimul illarum ſim conſcius, percipio nihilominus rerum variatarum eſſentiam diverſam, ut prius, non vero unam fore idcirco, ſiquidem ideæ cogitationis & extenſionis ſemper diverſæ ſint. Jam tertio intelligo, doctus ſenſuum experimentis, id fieri non modo poſſe ſed & ita ſe habere: nam cum ſimul variationis cogitationis & extenſionis ſenſus in me ponatur talis, qui nil clare mihi proponens, confuſiſſime etſi vivide, ſubindicat commodum vel incommodum commune rei extenſæ & cogitantis ex alterutrius diſpoſitione; cum videam talem tamque vividam perceptionem in cogitatione mea non eſſe niſi ſimul cum tali extenſionis ſenſu & perceptione; denique cum ſciam me ex ideis de rebus debere judicare, atque Authorem mei non eſſe fallacem, qui poſuerit in me fruſtra illarum idearum nexum, utut confuſum; concludo, ita etiam rem ſe habere extra conceptum meum, ut quædam maſſa revera ponatur cujus diſpoſitio commoda vel incommoda cum cogitationis ſenſu commodo vel incommodo nectatur, id eſt, ſcio me habere corpus; uti & alia dari judico, ſed quæ mecum non ita arcte uniantur, quia habeo perceptiones extenſionem involventes quas ut extra molem meam ſentio; ac denique cum corpus meum ſomno ſubſidere, & tamen perceptiones eas, utut dilutiores, & minus ſimilitudinis nexuſve cum illis quæ vivide & ordinarie mihi obverſantur (quod vigiliam à ſomniis diſcriminat) me habere attendo, animadverto id, ex cujus immediata variatione variatur perceptio mea, non eſſe ex eorum numero quæ externa ſunt, neque id tam totam corporis mei eſſe molem, quam ejus partem, quæ ut in Capite à me percipitur.

XVI. Atque adeo concluſio, quæ quinta eſt, ex præcedentibus hæc ſequitur, Cogitationem & extenſionem unum eſſe, non re & eſſentia quæ diverſiſſime intelliguntur, ſed compoſitione, exiſtentia ſimultanea, & quatenus ponuntur ſimul extenſionis & cogitationis quædam variationes, quæ ſimul & uno actu ſentiuntur, & imaginatione etiam capiuntur. Et hoc ipſum eſt quod nos docent ideæ illæ ſenſuum, imo & imaginationis, in quibus perceptio & extenſio confuſe, ſed & indivulſe complicantur. Sic igitur judicium de rebus illis fit conformiter cum ideis quas ſenſu percipimus, & nihilominus cogitationis eſſentia ab omnis corporis natura quam remotiſſima eſt. De brutis autem, quod in iis advertimus non cogitationes ſunt, ſed motus, nec hi illis ſimiles quos à cogitatione imperatos in noſtro & aliorum corpore animadvertimus eſſe certiſſima cogitationis indicia; ſed omnino brutos, ſine ullius ideæ perceptione à ſola materiæ diſpoſitione oriundos, ut evidentiſſime Carteſius de Homine, & Forgeus in ſuis ad illum notis, demonſtrarunt. Quod ſi maxime contendas in brutis cogitationem dari, vel perceptionem, idque tibi concederetur, nil tamen pro cogitationis materialitate, ut ſic loquar, concluderes, ſed omnino ſequeretur, vi præcedentium, eam cogitationem fore ſubſtantiam eſſentia à corpore diſtinctam: quale principium nec adeſſe, nec debere adeſſe brutis, probatu eſt facillimum. Inſtantia de hominibus pro diverſo corporis temperamento diverſe cogitantibus, nil aliud evincit, quam diverſimode variari cogitationem pro corporis variationibus multiplicibus, ita ut ſi hæ in corpore ejuſve humoribus ſint lentæ, craſſæ, confuſæ, turbulentæ, vel contra, ordinatæ, faciles, agiles; mentis cogitationes etiam varientur modo lento, confuſo, ſtupido, inordinato, aliiſque, qui cum mutatione corporea habeant nexum: quemadmodum ex varia diſpoſitione characterum quorumdam externorum, varie in nobis cogitationes ſequuntur, veræ, falſæ, dubiæ, ſublimes, leves, lætæ, triſtes, nec tamen characteribus iſtis facultatem cogitandi ineſſe judicamus; ita de corpore judicandum eſt. nec refert ſi characteres dicantur à cogitatione ſic eſſe diſpoſiti: nam ut manet nihilominus cogitatio ab illis diſtincta, ſic & à corpore; ut ne dicam Cogitationem Divinam ſic corpora quævis ordinaſſe, & præterea leges tuliſſe de nexu cogitationis cum illorum diverſis motibus variandæ.

XVII. Diutius immorati ſumus huic materiæ de diſtinctione rei cogitantis à re extenſa, quod cum magni momenti eſſe videatur, etiam evidenter ſit aſſerenda, ut factum arbitror. Quod ſi nonnullis placet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ulterius verbis contendere, his unum adhuc conſiderandum eſt, nempe non multum eſſe verbis attendendum in hoc negotio, ſed ideis, præſertim ſimplicioribus, completioribus & primariis, circa quas attendat an res ſub harum una vel pluribus concipiat? Si quis enim dicat, Cogitationem eſſe cum corpore unam ſubſtantiam, differre autem ab illo modaliter; iſque per ſubſtantiam intelligat conceptum iſtum generalem entis per ſe exiſtentis, qui ad Mentem & ad corpus referri poteſt, placeat vero illi, contra uſum communem, modum appellare cogitationem qua conceptus ille impletur ut mentem repræſentet, non adeo repugnandum eſt, dummodo ſola nomina ex uſu recepto deturbet, nec ipſas res ideo confundat. Etenim nihilominus ſequetur, illud, quod vocat modum, cogitationem ſcilicet, & ex parte altera extenſionem, inter ſe non convenire, niſi quatenus ſunt aliquid per ſe, differre autem ita, ut concipiatur utrumque, & cognoſcatur, plane diverſum ab altero, illo etiam ſepoſito, & negato. unde concluditur illa duo, quocunque inſigniantur nomine, tantum inter ſe diſtingui, quantum ulla res ab alia diſtincta eſſe concipi poſſit. Appellet, ſi lubet, cogitationem materialem: ſi dicat ſe hâc nova nomenclatura exprimere pro materiæ cujuſdam variatione cogitationem variari multis modis, efficiatque ut alii hanc vocem admittant, gratulandum ipſi; ſin vero ideas rei cogitantis & extenſæ neceſſario & eſſentialiter unam eſſe ſic velit prodere, proprio conceptui repugnat.

XVIII. Nil ad complementum capitis hujus adderetur, niſi quod cum antehac ſit notatum, ex ſubſtitutione corporalium ſive per ſenſum ſive per imaginationem, pro intellectualibus, ſequi in praxi, in Mentis erga Deum regimine, in modo quo Deum colere plurimi putant, fœdam depravationem, videretur jam uno verbo monendum, quomodo poſſit oſtendi ex obſervato inter Cogitationem & corpora omnia diſcrimine, id eſſe evitandum. Nam quod de rei cogitantis à rei extenſæ differentia dictum eſt, id, cæteris paribus, de modorum utriuſque rei inter ſeſe diſtinctione eſt dicendum: certum autem eſt Mentes & corpora cum ad Deum referuntur naturam ſeu eſſentiam ſuam non deponere, ſed ea retenta, alio modo ſe habere, vel modos novos acquirere, quos cum eſſentia ſua congruere verum eſt. Igitur cum ſuperſtitioſus vel forte infirmus aliquis, corporea & externa, motus, verba, & ſimilia, pro divinis internis & ſpiritualibus amplectitur, deviat: Nam quemadmodum Mens à corpore quammaxime diſtincta eſt, ita mentis modi (inter quos ea ſunt quæ vere *ſpiritualia* & interna ſunt) à corporis modis,

ab externis omnibus, etiam quamlongiſſime differunt: & quemadmodum Mens magis differt à corpore quam ab alia Mente, ita etiam vere ſpiritualia magis ab externis corporeis differunt quam à Scientia Mathematica, hæc enim eatenus cum ſpiritualibus convenit quod ſit in cogitatione: ſed non ita eſt de externis, quæ re & eſſentia differunt. Imo, prout Mens magis differt à corpore quam à nihilo, ita & ſpiritualia magis à corporeis quam à pura externorum ignorantia & non-obſervantia. Cumque corpora nulla cogitare poſſint, ita nulla externa ſi ſola & in ſe ſpectentur, unquam eo devenient ut pro eis quæ vere & proprie ſpiritualia ſunt & in ſe divina, poſſint haberi: nam quod Deo, in genere rerum ſpiritualium, gratum eſſe poteſt, ab alio eſt quam ab externo. Attamen, qua ratione Mentem non vult ponere Author omnium niſi corpus certum ponatur prius, nempe ob placitum ſuum, non vero quod utriuſque rei natura hoc ſecum inferat; eadem is ordinarie diſponit, ne divina interna, ne ſpirituales operationes ponantur, niſi adſint externa, neque tamen vi eorum ponuntur internæ ſpiritualeſque operationes, nec cum illis neceſſarium & in rebus ipſis fundatum nexum habent, ſed omnis efficacia nexus in Dei placito eſt. Præterea, ſicuti poſita Mente, tum demum corporea ab illa percipiuntur, iiſque Mens utitur dum ſe & alios docet, adhibendo illa tanquam ſigna & monitoria quibus cogitata in ſe & in aliis excitentur, imo diſponendo de illis ita ſapienter, ut facile judicatur ab aliis qui ſimile quid experiuntur, Mentem cum illis externis eorumve principio materiali, corpore nempe, unum quid componere, etſi utrumque naturam ſuam non-confuſam ſeorſim retineat; idem plane eſt de ſpiritualibus interniſque operationibus cum intus adſunt, tunc enim proſunt externa, juvant, monent & ſignant; nec fieri poteſt quin mens de omnibus externis in quæ valet, ita diſponat, ut facile futurum ſit, non quidem terreſtribus brutiſque mentibus, ſed ſpiritualibus, judicare, vere adeſſe ſpirituale principium externo iſti regimini, ita ut hoc cum illo unum quid conſtituat, unum nempe verum cultum, non obſtante ſeparatione ſeu diſtinctione quæ eſt equidem in natura extremorum, non vero in poſitione eorum ſimultanea quamdiu mentes pure ſpirituales non erimus. Plura, eaque egregia deduci hinc poſſunt ab iis qui rem cum prædictis conſiderabunt attentius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT V.

1. 2. 3. In Deo eſt aliquid Analogum nobiſcum, idque eſt Cogitatio.
4. Refellitur Hobbes negans nos aliquid quod in Deo ſit percipere.
5. 6. Demonſtratur Eſſentiam Dei in Cogitatione, verbis ſpecialioribus deinceps exprimenda, conſiſtere.

I. POſtquam hucuſque Mentis humanæ eſſentiam eſſe ipſam Cogitationem oſtendimus, reſtat ut & de Dei eſſentia probetur, eam eſſe etiam ipſiſſimam Cogitationem: quod neminem primo aſpectu terrere debet, quaſi aſſereremus hoc modo, vel Mentem creatam Eſſentia Divina gaudere, vel Deum eſſentiam cum creata Mente eandem poſſidere. quod ut à veritate, ita à ſenſu noſtro eſt alieniſſimum. Nil aliud verbis iſtis ſignificari intenditur, præter id ipſum quod omnium ore circumfertur aliis vocibus, dum aſſerunt omnes Animam humanam Spiritum eſſe, ſive Spiritus natura eſſentiaque frui; Deum quoque eſſentia ſua Spiritum eſſe: unde nunquam ab ullo concluſum eſt, voluiſſe omnes vel naturam animæ humanæ in Deum mutare, aut Deum in illam. Sic ſubſtituta voce *Cogitatio* pro voce *Spiritus*, nil aliud hic aſſeritur, niſi omnia quæ in Mente humana ſunt ad cogitationem eſſe referenda, & Mentem eſſe illam ipſam cogitationem; omnia etiam quæ in Deo ſunt, Cogitationem eſſe, Deumque id ipſum eſſe, Cogitationem nempe, ſive Perceptionem. At, & ille longe alia alioque modo in ſe quam in aliis Mentibus percipit, & nos Cogitationem Divinam altioris infinite generis eſſe percipimus quam noſtras: unde infinita noſcitur inter illas diſtantia, quæ poſt hæc ex ſequentibus ita patebit, ut futurum ſit, neminem inde conqueri poſſe Deum cum creatura miſceri.

II. Parum refert, ut mihi quidem videtur, multa opera diſceptare, an dentur conceptus à Deo & à Creatura ita abſtracti, ut poſſint eſſe utrique communes, ſeu de utroque prædicari. Quæ de his multum diſputantur obſcura ſunt, & ob nimiam abſtractionem & ſubtilitatem evaneſcunt fere. Clarius & firmius res tenebitur, ſi advertatur, conceptus ipſos non eſſe rebus communes vel proprios, ſed res conceptibus repræſentatas: In conceptuum autem actibus omnibus res non repræſentari ex toto ut ſunt, id eſt, complete. Hinc intellectus noſter, qui ob infirmitatem actu uno completum rei ſtatum bene apprehendere nequit,

nequit, diviſis actibus rei illi ſeſe applicat, &, ſi erga duas res eodem modo verſetur, quamvis res illæ diverſiſſimæ ſint, tamen ob iſtam ſimilitudinem, quæ eſt in modo quo res diverſas concipit, dicitur conceptus ille communis, reſque dicuntur eodem conceptu apprehendi: atque ſic ſignificatur convenientia in modis cogitandi vel percipiendi res diverſas. Itaque huc redit tota quæſtio, An in modo quo conceptus finitus verſatur circa Deum, non ſit aliqua ſimilitudo cum modo quo circa res creatas verſatur? Quod evidentius eſt quam ut negari poſſit. At id, ſiquidem conceptum ipſum reſpiciat, nil de re concludit, niſi aliunde in rebus ipſis ſit poſitivum ſimilitudinis fundamentum, ſine quo, ipſi conceptus generales qui communes dicuntur, falſi fuerint: nam ſi nulla plane intercedit ſimilitudo inter objecta, ut inter Deum & nihil, non poteſt conceptus communis utriſque competere. Igitur ad rerum ipſarum convenientiam redeundum eſt, unde probetur, quod Dei eſſentia ſignificanti nomine cum creata mente communi, Cogitatione nempe, non male deſignata ſit.

III. Nam etiamſi, ut deinceps ſpecialius videbitur, nihil de Deo & de creaturis univoce dici poſſit, ſive, quamvis verum ſit nihil eſſe in Deo eo modo quo eſt in creatura, & viciſſim, creaturam nihil poſſidere eodem modo & ſenſu quo Deus ipſe, eſt tamen hos inter aliquid analogiæ, ſeu ſimilitudinis, ſeu convenientiæ, qualis eſt inter typum & rem repræſentatam. Nam primo, quæ realia in Mente creata ſunt formaliter, ea in Deo ſunt non quidem formaliter, hoc eſt, eadem forma eodemve modo, ſunt tamen eminentiori & perfectiori. Secundo, (quod prioris aſſertionis probationem involvit) quod eſt in mente creata non formaliter, ſed objective, hoc eſt, quod repræſentatur per perfectiſſimam perceptionum Mentis ſpecialium ſive idearum quas creata contemplatur, id vero in Deo eſt non modo objective, ſed & formaliter, hoc eſt, Deus revera poſſidet illas perfectiones quarum ideæ ſunt objectum noſtræ cogitationis. Atqui quæ realia in nobis ſunt formaliter, ea, ut probatum eſt, ſunt cogitatio, perceptio, voluntas: quæ vero realiſſima in noſtris ideis ſunt repræſentative, ſunt ipſa Cogitatio perfectiſſima, perceptio voluntaſque nullis defectibus obnoxiæ. Inter Deum igitur & inter Mentem creatam non obſtante infinita diſquiparantia ea eſt ſimilitudo quæ non poteſt non iiſdem verbis, Cogitationis ſcilicet, ſive perceptionis ſpontaneæ, efferri ab eo qui Deo omnes perfectiones tribuit. Dicat aliquis, unde ſcis illa quæ concipis perfectiſſima de Cogitatione, de Perceptione voluntaria, & ſi quæ ſunt

ſimilia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſimilia, in Deo eſſe, non autem alia quæ tu plane non noſti? Reſpondeo id probari cum exiſtere probatur: nam per Deum non ſolet intelligi aliquid quod plane non cognoſcitur, ſed hoc ipſum quod per ideam de perfectiſſima cogitatione repræſentatur; aut, ſi nomen Cogitationis recuſas, Res perfectiſſima, ſive omnia perfecta perfectiſſime poſſidens, ea eſt quæ per vocem *Deus* denotatur. Verum illud quod omnia perfectiſſima poſſideret, ſeipſum autem aliquo modo non poſſideret, perfectiſſimum non eſſet: id vero quod ſe non percipit, ſuique non eſt conſcium, ſe plene non poſſidet: debes igitur neceſſario concipere, id ipſum, ſiquidem perfectiſſimum ſit, habere cogitationem, & quidem perfectiſſimam: qui conceptus cum non potuiſſet in te poni ab illo qui re illa deſtitueretur, cumque involvat exiſtentiam, ſiquidem concipere perfectiſſimam cogitationem ſit concipere exiſtentem cogitationem, determinat te ut judices illam exiſtere. Atqui res eſſe ſimiles conceptibus & judiciis clariſſimis & diſtinctiſſimis, primum eſt cognitum, quo negato, poſſis concludere te non eſſe, etiamſi concipias & judices te eſſe: Datur igitur cum Deo & in Deo Cogitatio quæ ipſe Deus eſt.

IV. Proinde à vero aliena ſunt quæ periculoſe, ut fere omnia, docet Hobbius, Nos cum Deo attribuimus ea quæ de illo concipimus, non debere putare illis *quid ſit* ſignificari; ſed tantum ſic noſtram admirationem & obedientiam, & humilitatem denotari: Non dari ideam & conceptum Dei, & ſimilia, ex quibus homines à Dei, ut qui non modo ignotus, ſed & qui incognoſcibilis habeatur, notitia & ſtudio revocantur. Omnia quæ abſurdis inmixta hinc inde conjicit, ſæpe refutantur per ea quæ ipſe iiſdem in locis proponit. Exempli gratia, locus unus inter multa, in quo omnes ſui hac de re errores breviter recolliguntur, conſideretur obiter, qui exſtat Cap. xv. §. 14. de Cive. Ibi abſurda ſunt, quod per *Deum* intelligi velit id quod *concipi non poteſt*; quod per *intellectum* intelligat *tumultum animi ſuſcitatum ab organis externis*; per *ideam* vel conceptum, *phantaſma imaginarium*. Contradicentia his ſunt, *in Deo eſſe aliquid voluntati noſtræ analogum*, nam hoc deſtruit præcedentia, & adverſatur ei quod addit, *nos tamen id concipere non poſſe*, cum potius impoſſibile ſit judicare de analogia rerum niſi prius eæ concipiantur, tum ſeorſim, tum junctim, ut quid differant, quidve non, judicetur. Huc ſpectant quæ addit, *quando* (inquit) *dicimus aliquid* (Deum ſcilicet) *eſſe infinitum, non aliquid in re ſignificamus, ſed impotentiam in animo noſtro, tanquam ſi diceremus, neſcire nos, an & ubi terminetur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Egregia analyſis! *Dico Deum eſſe infinitum*; idem eſt ac non dico Deum eſſe infinitum, neſcio an ſit infinitus, dubito an habeat terminos, & ubi ſint, volo hoc reſpectu eſſe ignorans. An putat, uti equidem prætendit, ſic Deum digne honorari? Denique ſe ipſum refutat, 1. Cum de Deo dicit ibidem ea ex quibus ſequitur Deum eſſe Creatorem, Æternum, Omniſcium, Rectorem omnium, Omnipotentem, Infinitum, Immaterialem, Unum, Felicem. 2. Cum ait nos debere eum admirari, eique obedire cum humilitate: nam quid admiraberis ſummopere id quod non poſſis affirmare non eſſe in ſe rem brutam, ſed cogitatione revera præditam? imo, quæ admiratio Dei hæc eſt, admiror Deum æternum, maximum, juſtum, dubito tamen, imo (ut loquitur) nolo dicere eum talem eſſe, ne limitibus phantaſiæ meæ illum circumſcribam? Atqui ſi Deus non eſt talis, tunc propria tua figmenta, & te ipſum qui illa cudis, admiraris. Sed & obedientia ex animo, qualem intelligit, non præſtatur, niſi ubi ſunt leges, leges vero cogitationis ſigna & effecta ſunt: neque etiam coram aliquo humiliter ex animo nos gerimus, niſi judicemus eſſe eum conſcium (cogitantem) ſuæ Potentiæ & noſtræ imbecillitatis. 3. Poſtremo, cum fatetur unum nomen Naturæ Dei eſſe ſignificativum, cujus ſignificatum proprie & reipſa in Deo ſit, nempe *Exiſtens* ſive *Eſſe* vel *Eſt* ſimpliciter, omnia quæ dixit reſorbet. Nam nomine hoc, quo Deus ipſe ſuam deſignat Eſſentiam, omnia includuntur quæ Deo poſſunt attribui: etenim qui eſt ſimplex & merum eſſe, ei deeſt nullum eſſe, nullum purum eſſe; igitur is non deeſt ſibi ipſi, hoc eſt, is ſui eſt conſcius, ſive cogitat. Sic de cæteris attributis perfectiſſimis, quæ hic recenſere non eſt opus, ſi ipſi ea deeſſent, non eſſet utique eſſe ſimplex, ſed eſſe imperfectum, compoſitum ex eſſe & non eſſe.

V. Probatum igitur eſt, quia id negantes exſtiterunt, in Deo eſſe aliquid conceptibus noſtris conſonum, idque idea de cogitatione digniſſima repræſentari. Unde facile deducitur, Eſſentiam Dei, atque conceptum quem de Deo poſſumus habere quam ampliſſimum, omnia complectentem, ad quem omnia reducantur, ex quo fluant, ſine quo non poſſit concipi Deus, (qui conceptus ſane eſſentiæ conceptus eſt,) in una Cogitatione Divina quæ à nobis pro modulo noſtro concipitur, conſiſtere. Perfectiſſimæ Cogitationi nihil deeſt, ergo omnia complectitur, eſt igitur una Cogitatio omnia. Hinc ſimplicitas, quæ hoc ipſum eſt, quamque aliqui ultimum attributum in Deo conſiderandum eſſe dicunt, revera primum eſt, namque ejus cognitio præſupponi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

debet ante ſpecialem cæterorum cognitionem, & in cujuslibet conceptu involvi, abſque quo nullum attributum Deo dignum concipies: quanquam poſt perluſtrationem omnium, denuo poſſis ad illam attentius & clarius reflectere, quo ſenſu ultimum attributum eam dixeris. Sed pergimus. Id quod eſt in Deo omnia, proculdubio eſt Eſſentia Dei, Cogitatio igitur eſt eſſentia Dei. Ad hanc quæcunque in Deo ſunt reducuntur, nulla enim res in Deo eſt cujus Deus non ſit conſcius per illam ipſam rem: alioqui darentur in Deo res perceptione deſtitutæ quas Deus cogitatione ab illis diverſa perciperet, res brutæ igitur, & incogitantes, quod blaſphemum eſt, & non Deo, ſed imperfecto idolo dignus conceptus. Ex illa etiam cætera fluunt attributa omnia. Poſita Cogitatione perfectiſſima, ſequitur eam ſe ipſam noſſe, *Intelligentia*; ſe ipſam ſimul poſſidere, *Æternitas*; ſe ipſa ſubſiſtere, ſive ſe ipſam ſufficere ſibi, *Sufficientia*, ſive *Independentia*; ſibi ipſi acquieſcere, *Felicitas*; ſe ipſam probare, *Juſtitia*, *Sanctitas*; non fruſtra aliquid velle ſeu cogitare, *Potentia*; & ſic de cæteris omnibus. Nega de Deo quæcunque voles, modo unam cogitationem Divinam ſive perfectiſſimam concedas, manent omnia, ſupereſt omnium Dei attributorum ſufficientiſſimum fundamentum: at ſine illa, non poteſt ullum concipi Dei attributum, neque ipſe Deus. Poſſum concipere Deum potuiſſe eſſe non Creatorem, non Redemptorem, & ſimilia; poſſum ita concipere unum Dei attributum ſine alio attributo, ut in ejus conceptu non inſit formaliter conceptus alterius: at impoſſibile eſt ut Deum qui ſit ſine Cogitatione cogitem; impoſſibile eſt ut ejus aliquod attributum concipiam in cujus conceptu non ſit formaliter cogitatio, cujus baſis & fundamentum, ratio poſitiva, &, ſi ita loqui liceat, ſubjectum immediatum, non ſit ipſa Cogitatio Perfectiſſima. Nec video quid ultra requiri poſſit, ut concludatur, Naturam & Eſſentiam Dei eſſe ipſam Cogitationem.

VI. Abunde monitum eſt, Cogitationem, cum de Mente Increata & creata prædicatur, in ſenſu eodem acſi ea utriuſque Genus eſſet, non ſumi: verum ſimilitudinem aliqualem ſic notari inter res quarum una eminentiſſimo, altera diminutiſſimo ſenſu, voce notantur eadem. Ne vero ob vocis unitatem res ipſæ confundantur, addendæ ſunt aliæ voces, non quidem ut per eas, tanquam per differentias, Cogitatio, acſi genus eſſet, in Deum & creatam Mentem, ut in ſpecies quaſdam reſtringitur: Sed ut quod in utraque Mente diverſum eſt, id explicite cum voce quæ ob analogiam communis eſt, ſignificetur. Eſt igitur quo-

modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

modo differant inquirendum, vel potius, utriuſque natura penitius eſt inſpicienda, & deinde comparanda.

CAPUT VI.

1. 2. Prima inter Cogitationem Creatam & Increatam differentia, cum utriuſque definitione & ſequelis nonnullis. 3. 4. Secunda itidem proponitur. 5. 6. Tertia: ſed omnes generalius.

I. PRimo, cum Mentem ſive cogitationem meam intueor, deprehendo quidem illam quoad ſubjectum ſeu conſcientiam ipſam immediatam quæ eſt in nobis, quam liceat appellare materiam ſive materiale cogitationis, unam eſſe; at unam illam eſſe variabiliſſimam quoad formas quas ſucceſſive induit, in percipiendis objectis innumerabilibus, in judiciis, inque paſſionibus quamplurimis: quæ omnia nec ſimul nec eodem modo percipio, quæque ſi ad differentiam cogitationis creatæ ſingulatim eſſent recenſenda, ſuo numero me obruerent. Adverto tamen omnia illa in hoc unum reduci, ut ſint variabilitas cogitandi; ita ut prima notio quam diſtincte de mente mea, qualis jam eſt hoc in ſtatu, efformo, hæc ſit, quod ſim Cogitatio variabilis multiplicitate & reduplicatione actuum Cogitandi. Hæc eſt forma prima generalis Mentis creatæ, ſuſceptibilitas nempe innumerabilium formarum, ſive modorum cogitandi quoad numerum, tempus, & modum. Hæc imperfectio omni Menti creatæ eſſentialis eſt eatenus, ut quanquam in futurum gratia Increatæ Mentis fieri poſſit ut creata mens actu fixetur, ut ſic dicam, cum uno objecto, idque uniformiter & conſtantiſſime, maneat tamen, tum ejuſdem actus repetitio ſeu ſucceſſio, vel ejus fundamentum, tum capacitas variationis inconſtantis. Ulterius, cum quæro, unde illa in mea Cogitatione variabilitas? Video eam inde eſſe, quod Cogitatio mea ſit limitata, & non omne cogitabile, ſed quoddam tantum, una vice complectatur, ita ut ſi ad aliud attendere velim, prius ceſſet mente percipi. Hinc quæ ſecundo occurrit notio qua creatam Mentem diſtinctius novi, eſt limitatio in Cogitando. Quapropter, quod Mens Creata ſit Cogitatio mutabilis & limitata, prima generaliſſimaque ejus definitio eſt, & plus negat realitatis quam ponit: neque enim aliter eſſe poteſt quin illud quod non eſt Ens Summum, involvat neceſſario in natura ſua, & proinde in definitione, defectus quamplurimos, quos ei eſſentiales eſſe inde patet, quod iis in Cogitatione poſitis, ponatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

eam creatam eſſe, id vero negetur ſi ii adeſſe non poſſe concipiantur; quodque ab eorum mixtura omnis formarum ſeu modorum multiplicitas, quos humana mens induere poſſit, oriatur.

At res aliter ſe habet in ea Cogitatione quæ Deus eſt: non enim illa formarum, actuum, ſucceſſionis, multiplicitate variatur, ſed uniformis eſt, ſui ipſius conſtans forma eſt (qua voce liceat cum ſacris uti), ſive mera eſt Cogitatio omne cogitabile ſemel & ſimul complectens, vel, ut oppoſite ad id quod de creata Mente dictum eſt definiatur, ſive, (ne quis ob vocem definitionis pueriliter rixandi occaſionem ſumat) notetur, eſt Cogitatio ſimplex & infinita. quæ etiam, ſiquidem illa duo quæ in Mente creata mox notata ſunt, in hoc unum conveniant, quod ſint defectus, vel non-realitas, ex oppoſito poſſit dici una voce, perfectiſſima, ſive realiſſima Cogitatio.

II. Ex his patet, in ſubſtantia increata omnia eſſe ipſam ſubſtantiam, ſive rem ipſam ſimpliciter: aſt in Subſtantia creata, eſſe quidem aliquid fixum & unum, per quod ſubſtantia fixe & conſtanter à nihilo, & ab alia, ſi detur, ſubſtantia, diſtinguatur; verum illud fixum, quod eſt ipſa ſubſtantia, cum ſimpliciter perfectum non ſit, debere eſſe mobile ſeu variable. quæ varietates modi appellantur. Sic in mente, Cogitatio eſt illud fixum, quod ſemper & conſtanter adeſt; at illa quot modis variatur & limitatur? In corpore itidem eſt extenſio fixa, ſed innumerabilibus modis variata. Patet etiam faciliorem eſſe Dei Cognitionem, quam creatæ Mentis: nam ut Deus unus noſcatur ſufficit contemplatio Cogitationis quæ ſimpliciter, ſine ulla limitatione, diſcriminatione, adjectione, reſtrictione, eſt Cogitatio. Cogitatio mera omnia novit ſimul, omnia complectitur, omnia etiam quæ vult extra ſe ponit, nam Cogitatio mera cogitat ſe eſſe efficaciſſimam, alioqui hac cogitatione deſtitueretur, & ſic eſſet in illa non-Cogitatio, nec eſſet mera Cogitatio; etiam cogitat res eſſe ut ipſi placet cogitare: nam ſi aliter eſſent, determinaretur & variaretur Cogitatio ab externis, & ſic non amplius eſſet merum quid; ſi vero plane non eſſent, limitaretur, nam non poſſet id quod vellet cum veritate cogitare. quod alienum eſt à Cogitatione mera. (Hoc de Potentia ſpecialius hic monitum eſt, quia de aliis attributis facilius videre eſt quod omnia ſub Cogitatione una, abſolute ſic dicta, comprehendantur: & forſan id alibi oſtendetur.) At in una Mente creata, hac illave, cognoſcenda, quantum difficultatis! ſtudio cavendum eſt ne quid nimis, vel non ſatis, ei tribuatur; in limitando & reſtringendo ſudandum eſt; & cum in

Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Deo noſcendo cogitata noſtra ruptis omnibus repagulis intrepide effundere poſſimus, hic parce ſtillandum eſt: nec etiam quemadmodum individualem Dei cognitionem, cum ille unus ſit, dant quæ generalius dicta ſunt, ita ad individualem Mentis cujuſdam creatæ notitiam, ſufficit ut habeatur notio Cogitationis variabilis & limitatæ: quamvis enim ſcias in genere ex ejus limitatione ſequi in ea multarum rerum ignorantiam & inconſiderantiam, paucarum vero ſcientiam; facultates, quæ ipſi tribuuntur, eſſe, non quid ab illa diverſum, ſed illam ipſam quatenus conſideratur ut à multis cauſis variabilis vel varianda; actum ei tribuere, nil aliud eſſe quam eam ut variantem vel dum variatur ſpectare; habitum, ut jam variatam, & aptam ad actum repetendum: (nam id omne quod his verbis cum ratione deſignari poteſt, eſt ipſa cogitatio ſic conſiderata, unde ſequitur id à Deo hoc ſenſu eſſe removendum, quod in anteceſſum ad omnia quæ de Deo dicentur, hic notaſſe juvet) tamen animus hic non acquieſcit ubi de aliqua mente in particulari eſt quæſtio. Iterum limitanda ignorantia, ſcientia, alia, ſecundum objecta, aliaque fere infinita; quænam facultates per actus in habitus tranſiere; ex actibus & habitibus bonis maliſve, qui innumerabiles ſunt, quoſque ſimul habere poteſt nemo, deſignandum eſt quos ex omnibus habeat, ad quem uſque gradum, nam variationes eunt quaſi in infinitum. Quæ omnia vix ex longiſſima experientia & familiaritate nota ſunt (ut neque etiam requiruntur in vita cum aliis degenda, cum tunc de Mentibus aliorum præſumendum ſit, niſi contrarium pateat, Deum æque in illis ac in nobis bona, vel forte meliora, eſſe operatum, quod ab amore, non autem à ſcientia procedit.) Hæc ſi cum Divinis comparentur, evidentiſſime evincent, Deum facillime omnium rerum, ipſaque adeo Mente mea, quæ omni corpore notior eſt, noſci poſſe.

III. Secundo, ut non tantum generalius Cogitationem meam noſcam per modum negationis quæ eſt in ejus limitationibus & variationibus; ſed etiam ſpecialius, per modum affirmationis eorum quæ tanquam poſitivum quid in Mente variabili ita ſunt, ut cum ejus ſtatu arctius quam cætera omnia nectantur, conabor me omnibus, quantum potero, cogitandi formis exuere, & quamminimum mihi tribuere, ut tandem id realitatis remaneat, quod mihi ex natura ſtatus mei creati eſt intime innatum. Exuo igitur eos cogitandi modos qui ſenſus externi vocantur, cum dolore, voluptate, & paſſionibus turbidis cunctis: nam hæc ſunt ab alieno, ab extrinſeco, ex occaſione corporum; cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

pora vero vel plane non eſſe, vel ſaltem me non ſpectare poſſunt. Imaginationem item ſemoveo, eaſdem ob cauſas. Depono præterea cogitationes de omni re creata à me realiter diverſa, ſive Mens ea ſit, ſive corpus: nam poſſent illæ res non eſſe, ego vero illarum ideis, prout à me diverſæ ſunt, carere, me nihilominus ſubſiſtente. Etiam averſationem, triſtitiam, odium, ſimileſque paſſiones, etſi ut plane ſpirituales ſpectatas, ſepono: fieri enim potuiſſet ut nihil exſtitiſſet à quo averſari, ob quod triſtari, odiſſe, opus eſſet. His dimiſſis, remanet tamen Cogitatio tendens ad aliquam formam qua impleatur, ad aliquod ubi acquieſcat, quæ Cogitatio nec ſenſus, nec imaginatio, nec turbida paſſio eſt; id eſt, ſuperſunt Intellectus & Amor, ſive, Quæſtio intelligens acquieſcentiæ: remanſit quidem mea etiam Cogitatio ut eſt objectum ſui ipſius, at hoc ipſo quo ſe inſpicit, imperfecta ut eſt, ſiſtitur ei maximum aliud objectum per ideam cogitationis abſolute perfectiſſimæ, Deus nempe, quem non poteſt non concipere ut exiſtentem, ſumme potentem, à cujus placito omnia, ipſaque proinde, pendeant: ex cujus comparatione ipſa ſuæ imperfectionis, quod à ſe nihil ſit, nihil habeat, nihil omnino poſſit, magis magiſque convincitur: Unde ſi ejus Intellectus & Amor id quod in ſe eſt, quatenus à ſe procedit, velint amplecti, fruſtrantur, nihil enim à me in me eſt; ſi vero in id ferantur quod eſt à Deo in me, cum hoc ſe ipſo non ſit nec ſubſiſtat, ducit id hoc ipſo ad Deum, perfectiſſimam potentiſſimamque Cogitationem, quæ Intellectus & Amoris unum, proprium, realiſſimum objectum eſt, quo Intellectus & Amor implentur cum acquieſcentia. Exutis igitur, quantum fieri potuit, omnibus formis, remanet in Cogitatione creata, ſui quidem forma non conſiderabilis & æſtimabilis, quod nempe ex ſe ſit prorſus nihil; Dei vero forma, ſeu imago, intellectum & amorem poſtulans & implens. Atqui hæc eſt Mentis creatæ dos, qua quid ei vel intimum magis, vel convenientius? ita ut in culpa ſint, & contra naturam agant, qui alienis formis cogitationem implendo, hanc, quæ propria eſt, ſeponunt: cum hæc tamen neceſſario involvatur in ea Mentis creatæ definitione, qua quid in ipſa omnium maxime poſitivum & intimum ſit, exprimitur. Scilicet, *Mens Creata eſt Cogitatio intellectu & amore ad Deum tendens cum ſui deſpectu.* Ne quis tamen putet *tendentem eſſe* denotare hic actum, ſed, ut in definitionibus fieri debet, poſitivam & inſeparabilem ab omni creata mente facultatem: nam vel in damnatis, capacitas illa Dei, ſed inexpleta, manet, cum fundamento non-acquieſcentiæ in ſeſe, abſque quibus

nec

nec miſeræ eſſent. Nec *deſpectus* hic eſt Mentis improbatio & contemptus quatenus illa opus Dei eſt, ſed eſt prætermiſſio, imo rejectio ſui ipſius quatenus quæritur, an ipſa ſit objectum cui intellectu & amore acquieſcere poſſit? Non eſt etiam quod quis definitionem hanc ſpectet ut Theologicum aliquod conſectarium. certe, ſi quod confidenter proponere auſim, illud maxime eſt, hanc Creatæ Mentis (ſine relatione ad corpus ſpectatæ) definitionem talem eſſe, ut magis poſitiva, ſimplex, naturalis, adeoque vere Philoſophica dari non poſſit; quod attendenti ad modum quo inventa eſt, fiet evidens, nam profecto hæc res, ſi ulla alia, attentionem meretur.

Jam ſi modo ſimili Cogitationem quæ Deus eſt, contradiſtincte ad hanc noſcere tento, ipſam etiam concipere poſſum ut exutam multis formis quæ relationem ad externa habent, quales ſunt, eſſe decernentem, Creatorem, Conſervatorem, Miſeratorem, Redemptorem, Judicem, & ſimiles: nam potuiſſet fieri ut nulla eſſent creata & creanda, ad quæ hæc referuntur; & quamvis adſint, non tamen ei eſſentialia ſunt. At remanet ſuæ ipſius Cogitationis Forma, ſeu Imago, invariabilis & uniformis, quam Cogitet, & in ſe eſſe probet, velit, hoc eſt, cui per amorem acquieſcat; ita ut bene dicatur *Cogitatio in notitia ſuæ Formæ Amore acquieſcens.* Quomodo quantum fieri poteſt complete, genuine & diſtincte Deum deſignare datur.

IV. Certe in his quæ de utraque Mente jam dicta ſunt, latent quamplurima quæ nullius non ſunt momenti, è quibus unum aut alterum advertere non fuerit plane fruſtraneum: In primis autem Logicam veram in hac denudatione & ſejunctione formarum cogitandi, ut eo melius poſtea unaquæque valore juſto æſtimetur, ordine debito reponatur, eique pro merito incumbatur, conſiſtere, ne in nugis & indebitis teratur vita. Non enim eſt Logice, ſive cum ratione agere, primam cogitandi formam quæ vel occurrit, vel placet, v. g. de angulis aut circulis, de numeris, de ſonis, de ſenſibilibus, aliiſve vitam brutam terreſtremque ſpectantibus, arripere, totamque in iſtis cogitationem, quanquam cum ordine aliquo, impendere. At omnes primo removere, ut deinde eam quæ reſtat, Dei, tanquam digniſſimam amplectamur, & porro ex cæteris quaſdam ut acceſſorium reſumere quatenus in digniſſima illa fundantur, cum ea nectuntur, ad eam referuntur, ea demum vera & Sacra Logica eſt quam cum homine Deus condidit. Calamitoſum eſt, homines conſumere ſecula in detegendis, diſponendis demonſtrandiſque corporum formis & proprietatibus, unde naturalem

ſcien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſcientiam educerent, ut à Mathematicis aliiſque factum eſt; neminem autem ſimile quid de formis Cogitationis aggredi, quamvis inde Ethicæ veræ fundamenta, omniſque qui cæterum ab hiſtoriis ſolidior fructus exſpectatur, dependeant. Siſtitur & illa formarum denudatione ſpecies nonnulla nobilis illius abſtractionis tantopere à Sanctis commendatæ eis qui ad Deum tendunt. Patet etiam inde quid ſit Lex Dei, & quomodo fundetur illa in natura ſtatus Cogitationis creatæ. Quodnam officium Mentis creatæ, Qui nexus mentis cum Deo. Deum in Mente eſſe quærendum, externaque, ubi illis adhæretur, impedimenta eſſe. Nexus mentis cum corpore rationem dari non poſſe ex conſideratione Mentis ipſius, vel corporis, ſed eam eſſe à principio alio libere de his diſponente. Libertatem Mentis corpore deſtructo majorem fore quam eo integro: etenim vere tunc, ſi ſe antea aſſuefecerit in Dei contemplatione & amore, in libertatem aſſeretur. Sed hæc pluraque alia mittimus. Hic certe, ſi ullibi, ea inveniuntur Dei inviſibilia, quæ ab ipſo manifeſtata, ab omnibus videntur qui ea mente perpendunt, ut ait author ſacer. Quinimo Myſterium Sanctæ Trinitatis verbis quibus Deus deſignatus eſt connotari ſatis explicite, agnoſcent illi qui ea quæ non modo Auguſtinus, atque poſt eum plurimi, veluti Mornæus, aliique de hoc myſterio dixere, ſed etiam quæ Sacri Authores reliquere, attentius meditabuntur.

V. Tertio, ut ad propoſitum redeatur, ſi ſpecto, unde accidant Cogitationi meæ talia quæ ita limitantur? unde tot formæ? Cur in ſe non acquieſcens ultra ſe tendit? Video id inde eſſe, quod à me non ſim, nec per me, nec ob me, acſi mihimet eſſem ſcopus, nil ſolidi ſim, nec mei ipſius repræſentativum, alioqui quæ in me eſſent omnia perfecta eſſent, ſiquidem non haberent aliud exemplar, alium ſcopum, quam ſe, nec à ſe diſcederent: Sed quod è contra ſim ab alio, per alium, ob alium, umbra quaſi & imago alium referens. Iſta, quæcunque in me ſunt permeant, &, ut ſic loquar tranſcendunt, diſcriminantque Cogitationem meam ab illa Cogitatione quæ talis eſt qualem dixi, quia à ſe ipſa eſt, per ſe, ob ſe, ſolide ſubſiſtens, & ſui repræſentativa; unde eſt etiam quod quicquid illa cogitat, bonum ſit & perfectum, nam ad aliud non tendit à cujus ſcopo aberret.

VI. Et hæ quidem ſunt Generaliores Cogitationis creatæ ab increata differentiæ, cæterarum magis particularium ſcaturigines: quæ cum ſufficiant ad oſtendendum Deum cum creatura non ideo permiſtum fuiſſe etſi eodem Cogitationis nomine ſit expreſſus, hic non deducentur latius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

latius. Sed tamen de via qua ad illas certo cognoſcendas, hoc eſt ad mentis utriuſque perfectiones imperfectioneſve oppoſitas aut inhærentes diſterminandas pervenitur, quædam neceſſe eſt addere, quibus omnes ſcrupuli, quantum fieri poteſt, è medio tollantur.

CAPUT VII.

1. Viæ tres noſcendi Dei perfectiones. 2. Sola cauſalitatis demonſtrativa eſt. 3. Probatur ipſam eſſe in via eminentiæ, novumque Exiſtentiæ Dei argumentum proponitur. 4. 5. 6. 7. Via negationis aut nulla eſt, aut ad cauſalem referenda. 8. Proprietates perfectionum Dei eſſentialium.

I. AJunt paſſim Dei notitiam tum generaliorem, tum quæ ſpecialior ſit, viis tribus acquiri, è quibus primam nominant cauſalitatis viam, cum à conſideratione effectuum qui in mundo proſtant, devenitur ad eorum cauſæ primæ, quæ Deus eſt, cognitionem. Viam eminentiæ appellant alteram, cum nempe poſtquam creata aliqua perfectio perſpecta eſt, ea deinceps Deo tribuitur, Sed in gradu eminentiſſimo & ſummo. Tertia, negationis via dicitur, quæ eſt cum viſæ in creaturis imperfectiones à Deo removentur.

II. Fatendum eſt, ſi de occaſione qua ad cogitandum de Deo excitemur, quæſtio ſit, tunc omnia eſſe vias ad notitiam ejus: atque adeo cum omnia poſſint conſiderari vel ut effecta quædam, vel ut habentia perfectiones, vel ut limitata in ſuis perfectionibus ſeu habentia imperfectiones, quemadmodum mox mentem meam, ſed inverſo ordine conſideravi 1. ut limitatam & variabilem, 2. ut intelligenter quærentem acquieſcere, 3. ut non à ſe, ſed ab alio, quorum trium, 1. eſt viæ negationis, 2. viæ eminentiæ, 3. viæ cauſalitatis, ſic omnes vias ad tres illas cauſalitatis, eminentiæ & negationis poſſe reduci: quomodo etiam in libro ſequenti ex inſpectione eorum quæ in nobis ſunt effectorum utcunque perfectorum, vel imperfectionibus nonnullis præditorum, occaſionem ſumemus de Deo cogitandi ſpecialius. At ſi ſit quæſtio de modo demonſtrandi certitudinem eorum quæ Deo attribuuntur, ſive, ſi quæratur, qua via aliquis ita cogitabit de Deo ejuſque attributis, ut certus ſit ſuam quam de illis habebit notitiam eſſe veram, tunc illa trium viarum enumeratio ſuperflua & vitioſa eſt: Nam poſtremæ duæ in quantum non poſſunt ad viam cauſalitatis referri, nullius ſunt robo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ris ad certam notitiam ingenerandam. Etenim quicquid in creatis, præſertim vero in Mentibus, effectus operatioque Dei non eſt, id omne vel merum nihil, vel error, vel peccatum eſt: & viciſſim, quicquid neque error, neque peccatum, neque nihil eſt, id Dei operatio & effectus eſt à cauſa illa ſumma procedens. Atqui indubium eſt, id omne unde notitia Dei in nos derivatur, non eſſe nihil, vel errorem, ſed opus aliquod: quod cum non niſi à Deo procedat, evidenter concluditur, Deum agnoſci ſolummodo per ea quæ ipſe operatus eſt, hoc eſt per viam ſolius cauſalitatis. & cavendum eſt ne quis per opera Dei hic ſola intelligat opera corporea, quin potius his dimiſſis, ad ea quæ alterius ſunt ordinis, ad cogitationem nempe, ideaſque ejus immutabiles, quibus nil addere poſſumus, nil detrahere, in primis vero ad ideam Cogitationis ſumme perfectæ, eſt attendendum: hæ enim operationes Dei ſunt, à quibus notitiam ejus acquirimus, quatenus nempe eæ ſoli Deo tanquam earum Authori & Cauſæ poſſunt referri. quales demonſtrationes de Deo ſolidas propoſuit in Meditationibus ſuis Carteſius. Et quamvis in quinta videatur Philoſophus ille alia via quam Cauſalitatis & effectuum, Dei exiſtentiam demonſtrare, attamen attendenti bene ad rerum ordinem & ad res ipſas, manifeſte patebit inibi demonſtrata certitudinem ſuam ſummam à præcedentibus deſumere, nec poſſe omnes difficultates repelli, quin ad cauſam efficientem recurratur. quod pluribus oſtendi poſſet, niſi à commentando in aliorum ſcripta locus hic eſſet alienus.

III. Imo de tribus iſtis quas enumerant alii, viis, omnino fuiſſet tacitum, niſi neceſſitas oſtendendi Dei notitiam ideamque non eſſe quid ficti & negativi, ſed aliquid veri & maxime poſitivi, id requiſiiſſet. Etenim viæ hæ duæ, eminentiæ & negationis, prout à cauſalitatis via diſtinguuntur, rem obſcurant: nam etſi certam perfectionem quam in creaturis agnoſces, plurimis adaugeas gradibus ut eam quam eminentiſſime Deo tribuas, unde ſcies tamen exinde ſequi perfectionem illam adauctam dari in aliquo, nempe in Deo, niſi id per viam cauſæ conſequaris, ab ea edoctus, perfectiones quæ in te & in tuis ideis ſunt, debere eſſe à Suſtentatore tui tantas ad minimum revera poſſidente? vel, generalius loquendo, debere dari cauſam tantis perfectionibus in re ipſa præditam, quantas in repræſentatione habes? Sic igitur, cum in nobis detegentes perfectionem aliquam, eam, poſtquam ampliata fuerit, attribuemus Deo, erimus certiſſimi attributionem fictam non fore, quæque ſit cum variis mentis noſtræ figmentis caſſa reputanda; ſed judicium eſſe ſolidum,

lidum, ex eorum genere quæ ab effectu ad cauſam remeant. atqui nihil magis eſt neceſſarium judicio fundato in neceſſitate concludendi effectum à cauſa procedere, non vero à nihilo, perfectumque ab imperfecto ut à cauſa non venire. Et notandum eſt effectum hic dici, non Cogitationem ſolum in ſe & materialiter ſpectatam, neque tantum ut in genere limitatam & variabilem, ſed maxime ut ſuis formis ſeu ideis, ſaltem quibuſdam, indutam. Quæritur cauſa formarum, ſive modorum cogitandi, & ſpecialius formæ ſive modi cogitandi de Ente ſummo, ſeu, quod idem eſt, ideæ Dei. Certum eſt ejus cauſam non eſſe Cogitationem meam generaliſſime & ut materialiter conſideratam: nam ſi cogitare, ſeu conſcium eſſe, inferret Dei ideam, hæc idea deberet eſſe in omnibus meis, etiam imperfectiſſimis, cogitandi modis, ſiquidem Cogitatio in illis eſt. Præterea, ſi cogitatio mea, ſeu conceptus meæ cogitationis, ſufficeret complетè ad conceptum Cogitationis perfectiſſimæ, non poſſem me ipſum non concipere ut cogitationem perfectiſſimam cum concipio me cogitare. Neque etiam quæſita cauſa in aliis meis cogitandi modis & formis, Dei forma ſeu idea minus perfectis, latere credi poteſt, quaſi imperfecti forma haberet in ſe (non dico comparatè) formam perfecti. Quicquid autem in me eſt, Cogitatio eſt cum ejus modis: igitur non in me, ſed extra me, poſtulata cauſa quærenda eſt, quærenda inquam, ſed in re de qua eadem incommoda quæ de me non poſſim allegare, ob quæ vidi me cauſam illam non eſſe. Ergo cauſa danda eſt Cogitatio, in cujus cogitandi modis omnibus involvatur Cogitatio perfectiſſima, quæque ſe ipſam non poſſit non vere concipere perfectiſſimam Cogitationem, hoc eſt, quæ ſit Deus. unde invictiſſime Deum eſſe concluditur. Quod etiam clarius conficietur, ſi non ſolum meorum modorum Cogitandi, ſed & ſimul ſubſtantiæ cogitantis, ejuſque præſentis durationis, quæratur cauſa. Imo, quæſtio cauſæ Cogitationis meæ materialiter ſive ſubſtantialiter ſpectatæ, ducit me ad Dei exiſtentiam, ut dicetur ubi de ſufficientia Dei agetur. Denique auſim dicere, ſequendo viam Cauſalitatis, omnium optime de Dei exiſtentia certos reddi nos poſſe, ſi attendatur ad illam acquieſcentiam in eo qui per ideam perfectiſſimam repræſentatur: Nam certitudo illa de Deo quæ ex eo venit quod in noſtra cogitatione intellectuve ſit idea Dei, eſt quidem firmiſſima, ſed fatendum eſt eam non raro eſſe infructuoſam inutilemque, vel talem quæ nil niſi vanos pariat diſcurſus, relinquatque ſui poſſeſſores practice Atheos. At dum datur ut videam & ſentiam me habere in Illa re quæ per ideam de cogitatione ſumma repræſentatur, ubi

pleniſſime & abſolutiſſime jam & in æternum acq uieſcam, non poſſum non determinari potentiſſime ad confitendum ex toto animo meo Cogitationem illam Summam ſibi ſufficientem & acquieſcentem: etenim ſentio & video, etſi non complete, tamen evidentiſſime, nil magis poſitivum & perfectum in me eſſe illa, non modo tendentia, ſed & acquieſcentia in Deo agnito, quæ certe non poteſt eſſe ab ulla alia re quam ab illo, nam ubi ſuperiori capite cogitandi formis me quantum poteram exuebam; omnia præter me & Deum evaneſcebant, nec in iſtis quieſcere dabatur; etiam in me nil intellexi, nec etiamnum intelligo quod non ſit (in reſpectu ad acquieſcentiam) deſpectu vel prætermiſſione dignum, & incapax fundandæ acquieſcentiæ. Reſtat igitur pro cauſa Deus, ſive cogitatio, quam concipio ſuæ ipſius de ſe notitiæ acquieſcere, quamque ut ultimum tendentiæ & acquieſcentiæ ſcopum & fundamentum amplexor. Si non exiſteret Ille, cur non potius in me, qui ſum res vere exiſtens, quam in figmento mero, quale eſt id quod non exiſtit, quieſcere daretur? Quanquam ubi quis ſe ipſum prætermittens in Deo vere acquieſcit, non opus ſit multis ejuſmodi ratiocinationibus: nam certitudo ſplendida & inconcuſſa immediate ei acquieſcentiæ jungitur. Hinc eſt quod probi, qui ſcientias humanas edocti non ſunt, de Deo verius & ſolidius certiores ſint quam Doctores Theoretici; idque non ex eo quod ab aliis audiverint, vel ex libro legerint, ſed quia fundamenti cui acquieſcunt ſoliditatem potentiſſime, efficaciſſime & vividiſſime ſentiunt, etiamſi exprimere non poſſint humana ſcientiarum methodo ſenſa animi, nec verbis compoſitis argutias oppoſitas refellere omnes, utpote Metaphyſicis reflexionibus non aſſueti. Sed id omnibus commune eſt cum de Dei exiſtentia & perfectionibus certiores fiunt ex conſideratione Cogitationis, ſive illa ſpectetur ut indeterminata ſubſtantia, ſive ut modificata in intellectu per ideam Dei, aut in voluntate per acquieſcentiam in re ab idea repræſentata, ut omnes per viam Cauſalitatis gradiantur.

IV. De via negationis idem dici poteſt, oſtendique eam ſine cauſalitatis incluſione nequicquam probare de Deo quæcunque de illo concludit. Conſtanter redeundum eſt ad poſitivam operationem. Et quamvis ad negandum de Deo imperfectiones quaſvis non videatur cauſa poſitiva opus eſſe, in hoc tamen ipſo maxime falluntur, errantque errorem ita communem, ſimulque notitiæ rerum ſpiritualium ita adverſantem, ut non poſſit ejus falſitatis detectio hic prætermitti.

V. Peperit hunc iſta negationis via, quam qui ſecuti, cum imperfectiones

ctiones quas in ſe animadvertebant, à Deo removerent negando eas de illo, nomina etiam illi negativa, qualia ſunt immortalis, immutabilis, incomprehenſibilis, independens, infinitus, & ſi quæ ſimilia, tribuerunt. Idque inde primo proceſſit, quod homines qui iſta nomina primi adhibuerunt, cum prius ad creaturas quam ad Deum attenderent & reflecterent, magiſque eis adhærere, iiſque frui cuperent & quærerent quam Deo; ipſis quoque, earumque modis, utut imperfectis, prius nomina ſimplicia & poſitiva impoſuere: Cumque poſtea Deus eis in mentem veniſſet, notaſſentque talia in eo non eſſe qualia in creatis, ſed omnino alia, iiſdem nominibus, præpoſita negatione, perfectiones ejus, ab illis, quæ creaturarum ſunt, diverſas, deſignaverunt. Simili opera erga mentem creatam, quatenus cum corporibus comparatur, ſunt uſi: hæc enim, ultimum ſtudiorum curarumque ſuarum fuit objectum. Corporea prius optata & quæſita poſitivis nominibus appellarunt, ſed tandem advertentes ſe etiam eſſe præditos re aliqua, quæ aliud quam corpus erat, & cujus proprietates nil corporibus ſimile involverent, eam à rebus corporeis, ſed negatione præfixa, denominaverunt incorpoream, immaterialem, inviſibilem, immortalem, &c. Quod ſi eorum Mentes Deum & ſeſe omnium primo eſſent contemplatæ, credendum eſt eos alio modo de illorum denominationibus diſpoſituros fuiſſe, nominaque corporum magis negativa fuiſſe futura quam mentium; magiſque ea Mentium creatarum, quam Increatæ Mentis.

VI. Atqui parum eſſet ſi de ſolis ageretur nominibus: Sed cum ex eo quod nomen negativum eſt, concludere prætendunt, conceptum illi nomini reſpondentem etiam in ſe negativum eſſe, hoc eſt, nil realitatis, nil poſitivi complectentem, id jam non leve quiddam eſt. Et hoc ipſum eſt quod multi prætendunt, dum nempe ex negativis quæ Deo tribuuntur nominibus, inferunt Deum à nobis noſci per viam negationis, eum itaque, ut quoque Mentem noſtram, à nobis noſci non poſitive, ſed negative, hoc eſt, noſci à nobis quid non ſint, non vero quid ſint. Tales ſi de notitia Dei aliarumque Mentium alloquaris, continuo te ridiculum, tuumque propoſitum impoſſibile clamitabunt: etenim, inquient, noſſe quid non ſit Deus, quid non ſit Mens, veluti, noſſe eos non eſſe mortales, corporeos, materiales, viſibiles, id vero non eſt noſſe quid ſint; tum tribuere negationes, non eſt eiſdem tribuere perfectiones & realitates, quæ poſitivæ ſint; neque ideam infiniti, quæ ad Deum refertur, cum negativa ſit, requirere cauſam poſitivam quæ eam in me poſuerit; ut neque etiam Deum idcirco poſitive perfectiorem per illam dici.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

dici. His ſimilibuſque ratiocinationibus, Dei, rerumque ſpiritualium notitiam deſtruere volunt homines iſti, eamque haberi magis pro negatione & ignorantia, quam pro vera ſcientia, quo deinceps rebus corporeis, quæ, vel ipſis judicibus omnium facillime, perfectiſſime, & maxime poſitive cognoſcuntur, poſſint immergi.

VII. At contrarium ab initio hucuſque manifeſte, ni fallor, eſt oſtenſum. Addendum tamen ex occaſione hujus negativæ notitiæ, Primo, non poſſe ſine contradicentia aſſeri aliquid negative cognoſci. Equidem poteſt de aliquo noſci, quod in natura ſua multas perfectionum negationes includat: ſed notitia in hoc non ſubſiſtit, verum ad ea quæ in re poſitiva ſunt pergit. Notitia mere negativa eſt proprie notitia de nihilo, nam non alia eſt in nobis nihili idea, quam per rerum negationem. Neque eſt quod regerant ſe ideo non concipere τὸ nihil, cum id ipſum quod negative noſci ajunt, præſupponant eſſe rem aliquam: nam non adeo novum eſt abſurda præſupponere. ea alicujus rei præſuppoſitio tanquam ſuppoſitio nihili habebitur, donec aliquid poſitivi in ea agnoſcatur. Poſſit quidem res generalius concipi ut de ea nihil particularius affirmetur: ſed hic agitur, non de conceptu rei abſtracto & generali, verum de re particulari, à corpore, &, cum de Deo quæritur, ab omnibus rebus quæ non ſunt Summæ, diſtincta, à qua non poſſis omne poſitivum particulare tollere, quin ipſam rem tolles ita ut remaneat nihil. Præterea, nil craſſius eſt eo errore qui quod in verbis poſitivum eſt confundit cum eo quod eſt in rebus & conceptibus poſitivum; qui grammaticam, uſumque verborum iniquum cum Philoſophia & ratione perturbat. Ecquis ignorat, id vere poſitivum eſſe, quod infert & ponit realitatem perfectionemque? Contra vero, id eſſe negativum quod perfectionem negat, aſſeritve imperfectionem? Atque adeo, ſi imperfectio denotetur nomine, Grammaticam ſi ſpectes, poſitivo, ejus nihilominus aſſertio in re & in conceptu negativa eſt; ejus vero negatio, poſitiva & affirmativa: nam imperfectionis poſitio eſt perfectionis negatio; & imperfectionis negatio, vera perfectionis & realitatis poſitio eſt. Reſpectus igitur eſt habendus ad id quod per verba ſive negantia, ſive affirmantia, in conceptu repræſentatur, ut ex perfectione quam hæc attribuunt, vel imperfectione quam removent, vel ſecus, judicetur utrum de poſitivis nec ne ſit quæſtio. Hoc modo examinandum eſt, an id quod verbis de Deo exprimitur, ſit poſitivum, nec ne? Profecto, vocabula, mortalis, comprehenſibilis, mutabilis, finitus, imperfectiones connotant, quapropter negativa ſunt, tollunt enim reali-

tates

tates quaſdam à ſubjectis quibus tribuuntur. Cum econtra, voces immortalis, incomprehenſibilis, immutabilis, infinitus, removentes illas imperfectiones, ſecum involvant inferantque manifeſte oppoſitas perfectiones, quapropter maxime poſitivæ ſunt, veluti etiam omnia quæ in idea Dei comprehenduntur. Certe idea Dei ita poſitive perfecta eſt, ut ea ſit ſola notio poſitiva quam habemus, ex cujus inſpectione judicare poſſimus, quid Dei vel noſtri reſpectu perfectum aut imperfectum eſſe dici poſſit.

VIII. Ergo de Deo concludimus, omnia quidem occaſionaliter ad ejus perfectionum, quæ omnes poſitivæ ſunt, notitiam ducere; viam autem cauſæ demonſtrare eas revera in ipſo exiſtere. Quales illæ ſint, generaliter ex præcedenti capite colligendum, nempe, non variabiles & limitatæ, ſed uniformes, infinitæ; non ad aliud tendentes, ſed ſibi acquieſcentes; non deſumptæ à creaturis, ſed à ſe ipſis exſtantes. unde ſequitur, omne quod formaliter in creatura eſt, id inquam omne, ſic ſpectatum, ſi ad naturam Dei referatur, involvere imperfectionem, & conſequenter ab illa removeri debere. Sequitur & ex hoc, eſſentiales perfectiones Dei non conſiſtere in externis ſive decernendis, ſive agnoſcendis, ſive efficiendis: Sed Deum ex neceſſitate perfectionis ſuæ eſſe Indifferentem omnibus ponendis vel decernendis, aut ſecus. Si quæ in his difficilia occurrunt, ea ſuis locis in Libro ſequenti, ubi de Dei attributis in particulari, reſervantur. Sed videamus prius nonnihil penitius de Mentis creatæ perfectionibus & imperfectionibus, ne harum regulis ignoratis, plus minuſve tribuamus illi.

CAPUT VIII.

1. 2. 3. 4. 5. *Cautelæ quinque de Modo cognoſcendi Perfectiones Mentis creatæ.* 6. 7. *Ubi non ſint quærendæ.* 8. *Ubi ſint.* 9. 10. 11. 12. 13. *Earum limites & complementum. probatur.* 14. *Certiores notæ de earum exiſtentia.* 15. *De imperfectionibus unde judicandum.*

I. NE Creator & Creatura confundantur, neve ulla ſuperſit occaſio eos confundendi, quaſi creaturæ imperfectiones poſſent ita in ipſa augeri, ut illa tandem deveniret in Deum; & quaſi ad hoc ipſum homini datus ſit amor, ut eo aſpiraret; neceſſe eſt creatæ Mentis perfectiones, earumque menſuram, & à Divinis differentiam, diſtinctius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ctius proponere. Statuamus itaque, Primo, notionem fundamentalem ad quam veræ & ſolidæ perfectiones exigendæ ſunt, eſſe id quod ſimpliciter & abſolute τὸ nihil excludit, hoc eſt, id quod per ideam Summæ Cogitationis, ſive Entis maximi, ſignificatur: nam non datur *eſſe* ſimplicius, eſt merum eſſe, quod ſimpliciſſime nihilo opponitur, ſine ulla reſtrictione, ulloque adjecto. Hinc noſcimus quæ perfectiones Deo ſint tribuendæ, & quæ de illo negandæ imperfectiones, veluti, dependentia, ignorantia, dubitatio, ſcientia incerta, vel incompleta, habere alium ſcopum quam ſe, eſſe alterius rei imaginem, & ſimilia.

II. Secundo, notemus Perfectiones Dei non eſſe regulam ſecundum quam de Perfectionibus Mentium Creatarum earumque imperfectionibus ita judicetur, acſi Mentes eæ perfectiores eſſent quæ de natura ſeu eſſentia Divinarum perfectionum magis eſſent participes; imperfectiores vero quæ minus. Nam contra, omnes creatæ mentes infinitè & æqualiter diſtant à reali poſſeſſione eſſentialium Dei attributorum: adeoque, quod illis careant oſtendit quidem illas non eſſe perfectas, perfectione ſcilicet Entis ſummi, at non ſequitur ideo eas non eſſe perfectas perfectione ſibi convenienti: nam ultimæ hæ perfectiones generis ſunt ab aliis diverſi. Ergo, non poſſidere perfectiones Dei, quod eſſet imperfectio Deum dedecens, non eſt dedecens Creaturas. Igitur quæ reſpectu Dei imperfectiones eſſent, pendere ab alio, ad aliud referri, non omnia noſſe perfectiſſime, cæteraque ſimilia, ea in creaturis habenda non ſunt pro imperfectionibus, ſaltem pro imperfectionibus creaturæ indecoris: Sed ſiquidem imperfectiones ſint, eas vocabimus imperfectiones vel neceſſarias, vel ſtabiles, vel decentes, pro diverſitate eas concipiendi: quibus opponendæ ſunt imperfectiones emendandæ, abjiciendæ, vel etiam indecoræ.

III. Tertio, notandum eſt, etſi natura Dei non ſit abſolute regula omnium perfectionum & imperfectionum, ut dictum, quia eſſe Dei nullo modo eſt eſſe aliarum rerum, attamen cum placuerit Deo, ut vellet eſſe aliquid præter ſe, quod ſit quaſi umbra vel ſpeculum, vel tabula, ubi ejus perfectiones adumbrarentur per aliquam ſimilitudinem, non ſibi cum illis eſſentialem, ſed umbratilem; hinc, iſtam voluntatem, quæ Deo non neceſſaria eſt, ſed ad quam ille indifferentiſſimus fuit, hoc placitum ut repræſentaretur, eſſe normam perfectionum creaturas decentium, earumque imperfectionum deponendarum, quatenus nempe eæ cum illa conformantur, aut ſecus. Nec datur alia via ad perfectiones Dei, quæ omnis perfectionis, etſi diverſo modo, regula ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſunt, accedendi, quam iſta. Nam via participationis cum eſſentia eſt impervia: putare autem ea quæ in creaturis ſunt, eaſve concernunt, repræſentare Deum immediate, non intercedente voluntate Dei quæ prius non fuerit ad hoc indifferens, quaſi creaturarum eſſentiæ, ideæ, regulæ, eſſent neceſſario nexæ cum intelligentia Divina ſimplici, taleſque quales ſunt eſſent ſine decreto ullo, placitoque Dei liberrimo; id ipſum falſum eſſe, plenius, ubi de Dei Dominio agendum, demonſtrabitur. Reſtat ergo ſolum placitum Dei, quo voluit utcunque, & per modum umbræ vel picturæ, à creatis repræſentari.

IV. Quarto, antequam hæc ſpecialius mentibus applicentur, eſt etiam advertendum perfectiones eſſe vel ſubſtantiales vel modales, ſeu modum quo ſubſtantia diſponitur ſpectantes; haſque, etſi ſine illis eſſe non poſſint, illis tamen multo digniores & magis conſiderabiles eſſe. Ratio, quia τὸ eſſe illius rei umbratilis ſive umbræ, non eſt ſuum eſſe, ſibi eſſe, ad ſe referri, (ſolius Dei eſt tale eſſe) ſed eſt eſſe reſpectivum & ad aliud; non abſolute eſſe, ſed hoc vel illo modo eſſe: adeoque ejus perfectio maxima non in ſimplici eſſe, ſed in modis τοῦ eſſe quærenda eſt. Patet hoc vel ex ipſius Dei judicio, aſſerentis ſatius eſſe aliquem non exiſtere, cum de illius perfectionis ſtatu agitur, quam peſſimo quodam modo diſponi; vel ex ipſarum rerum inſpectione, e. g. Extenſionis ſive corporis quoad materiæ eſſentiam perfectio eſt, ut ſit longitudine, latitudine & profunditate conſtans: At hoc ſolum, chaos quoddam eſt. Perfectiones autem quæ ex diverſo diſpoſitionis materiæ modo oriuntur, & unde ordinatur pulcherrimum & admirabile mundi ſyſtema ejuſque partes, tam egregie in vaſtitate cœlorum, in expanſis aërum, in aquarum profundis terræque meditullio, viſceribus, ſuperficie, quæ innumeris plantarum, animalium, aliorumque mirabilium ſpeciebus condecorata eſt, variatæ, quæ omnia nexibus tam arctis aptiſque adhærent & conſervantur; nonne extenſum ſine ordine chaos, & eximii ordinis diſſolutionem multis paraſangis præcedunt? Quo fit etiam ut Philoſophi iſtis, quæ ex modis materiæ pendent, perfectionibus cognoſcendis omne fere tempus ſtudiumque impendant, eſſentialem materiæ perfectionem non ſic, utpote quæ non præcipua ſit, curantes. Cur in Mente agnoſcenda non ita ageretur? Certe in ejus perfectionibus conquirendis non eſt quod uni ejus ſubſtantiæ, &, ut ita dicam, materiæ perfectioni, quæ eſt cogitatio, conſcientia, conſcium eſſe, quæque in miſerrimis imperfectiſſimiſque exſtat mentibus, unice hæreamus. de hac jam non eſto quæſtio: Sed de perfectionibus quæ ſpectantur in modis formiſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cogitandi, quæ conſideratu digniſſimæ ſunt, & veræ Philoſophiæ præcipuam partem revera conſtituunt.

V. Advertendum denique eſt, nihil hic quæri de perfectionibus Cogitationis ſive Mentis Creatæ, prout inter ſe poſſent complicari, unæque in aliis fundarentur: Sed prout quælibet ſeorſim ſe habet. Nam cæteroqui, quemadmodum in prognoſticis productio aliquarum plantarum vel animalium, etſi in ſeſe valde vilium, ſi tamen ex bona aëris, tellurisque temperie procedat, magna perfectio reputanda eſt; Sic modus Cogitandi ſenſualis, audire, videre, vel imaginari, quatenus ex nobiliſſimo amoris Dei principio venit, & cum eo involvitur, perfectio magna eſt, quamvis ſi ſolus ſit, vel ſpectetur, non ita ſit reputandus. De ſimplicioribus autem & verioribus modorum cogitandi in mente creata perfectionibus, non vero de complicatis & nonnunquam æquivocis, quæſtio hic eſt, eaque generalior.

VI. Hiſce in anteceſſum animadverſis dicimus, & quidem primo (quod facile ex eis quæ hic & cap. VI. dicta ſunt elicitur) Perfectiones Mentis non conſiſtere in modis cogitandi quibus materialia repræſentantur. non in hoc ut Mens quæcunque ſunt aut eſſe poſſunt videat, audiat, guſtet, tangat, non ut voluptuetur, vel ut imaginetur. Externa hæc ſunt, nec Dei placitum de ſui perfectionibus mente repræſentandis referunt. Adeoque non dedatur illis ea Mens quæ perfectione vera cupit indui. Quin imo his craſſaminibus non raro ſtudeat ſubduci parata præ excellentiori bono, vel omnibus iſtis exſpoliari, planeque iis exui quæ viſu, auditu ſenſibuſque cæteris, cum affectibus & imaginatione, proprie uſurpantur. Nobile hoc ſtudium mortificationis veram Philoſophiam non quidem facit, etſi hoc ſenſu aſſerat Plato mortis meditationem Philoſophiam eſſe, ſed ad veram Philoſophiam diſponit: ſic enim itur ad veras Mentis perfectiones, quarum unum ſtudium vera Philoſophia meretur dici.

VII. Porro, & hoc manifeſtum eſt, perfectiones mentis cui, omnibus imperfectionibus exutis, ſupereſt intelligentia & amor, ſive quæſtio intelligens acquieſcentiæ, non in hoc jacere, ut illa ſui conſideratione & complacentia, ſive placito, impleatur, ſibique acquieſcat. Nam cum illa à ſe ſit nihil, nec ſibi ſufficiat conſervandæ, nec ſui ſit ſcopus, ſuique repræſentativa, perfectio illa falſiſſime fundata, adeoque imperfectiſſima eſſet; hoc eſt, perfectio non eſſet. Hinc patet, ad veram perfectionem adſpiranti neceſſario diſſolvendam eſſe ſui ſibimet ipſi adhæſionem per omnimodam prætermiſſionem ſui.

VIII. At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VIII. At vero Mentis perfectiones ſunt in illis cogitandi modis, actibus, & habitibus, qui ad Deum tendunt, dicunturque intelligentia & amor Dei, ſive acquieſcentia in Deo; qui cum ſint innumeri, recenſeri facile non poſſunt, ſed nec ubi ſeſe offerunt, ignorari. Effati hujus probatio in capite mox citato reperitur, ubi viſum eſt, nil magis poſitivum, hoc eſt perfectum, in Mente eſſe Dei notitia & amore: cumque ibidem dictum ſit inter imperfectiones mentis, eaſque non indecoras, diverſitatem ſive reiterationem actuum quoad numerum, (quod eſt ab habitu & eum facit) inveniri, hæc, quam jam dicimus Mentis creatæ perfectio, eo ipſo extenſa eſt ad actus habituſque innumeros. Sed nonnulla hic addenda ſunt, ut complementum & limites harumce perfectionum deſignentur.

IX. In Modo cogitandi de Deo eſt quidem perfectio mentis vera, at non quatenus Mens ſuper illius modi poſſeſſionem reflectens, ei adhæret, ſeſe conſiderat ut intelligentem, ut in Divinis doctam, & in idea Dei noſcenda peritam; ſibi placet quod ſit talis & tanta, in ſe exultat, ſibi applaudit, & intime ſibi de ſe ipſa teſtimonium optimum largitur liberaliter: Hoc enim eſſet proprie ſuam ipſius de Deo Cogitationem, vel ſe ipſum quemque, quatenus Deum quiſque cogitat, admirari, adorare, ſibique ipſi acquieſcere. Idea Dei quæ in nobis eſt, non eſt Deus ipſe, ſed modus mentis noſtræ; & amor ille noſter, ſive acquieſcentia, non eſt ens ſummum, adeoque horrendum eſſet in illis quieſcere, illaque ſic adorare. Hæc peſſima & ſubtiliſſima omnium ſuperbia & idololatria. Notandum igitur, ideas perceptioneſque rerum non ducere ad ſemetipſas, nec repræſentare ſe ipſas ut ſunt modi cogitandi in cogitante; ſed res ipſas quas imitantur repræſentare, atque ad eas ducere: nec enim tabula picta ſeipſam, ſed aliud quid exhibet; nec viſio ſignificat ſe eſſe modum cogitandi in Mente, aut etiam ſe ex certo motu partium cerebri enaſci; ſed fert cogitationem ad rem quæ extra ſe eſt. Sic modum ipſum Cogitandi de Deo per notitiam & amorem non debet Mens amplecti quatenus in Mente eſt, ſed extra ſeſe efferri in objectum modo iſto repræſentatum. Deus me fecit talis naturæ, ut quod optandum eſt, quod amplectendum tanquam bonum, debeat 1. à me noſci, 2. ut ejus notitia excitet ſenſum gratum, allicientem, pellentem me ad id. Illa notitia & ſenſus iſte non debent quidem rejici, ſed quæri & aſſumi, verum quatenus ſunt vehicula ad ſcopum Deum, non vero ob illa ipſa & ut iis hæreatur.

X. Et hoc ſatis aperte deſignatum eſt cum omnia illa ad Deum tendere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

dere dicta ſunt. Quid vero hoc eſt, ad Deum tendere? An quod debeamus Deum concipere ut in ſcopo, ſive in uno extremo, nos vero in alio, à quo nobis ſit diſcedendum, & progrediendum per medium magis ac magis, ut tandem ad eas perfectiones, quæ in Deo ſunt, poſſidendas perveniamus? Hoc eſſet cupere fieri Deum, & ſolio ſuo Deum velle deturbare, quo nihil non modo magis impium, ſed etiam magis abſurdum fingi poteſt. In mente creata imperfectio naturalis eſt & ſtabilis pendere ab alio, nempe à Deo, à qua ſi diſcedere cuperem, mihi ipſi contradicerem: Cuperem me perfectum eſſe, hoc eſt, me ſaltem aliquid eſſe; & tamen optarem ut non penderem à Deo, ut me non ſuſtentaret Deus, hoc eſt, cuperem me eſſe nihil: quod contradictorium eſt: nam quod à Deo non pendet eſt nihil. Atqui revera imperfectio decens eſt, &, ſi ita dicere liceat, perfecta, fundamentumque cæterarum in creatura perfectionum, ut à Deo abſolutiſſime pendeat creatura. adeoque non decet ab imperfectionibus ſtabilibus deficere velle, & ad independentiam, omnipotentiam, aliaſque Deo eſſentiales perfectiones tendere: nam, ut monitum eſt, hæ ſcopus & menſura noſtrarum perfectionum non ſunt: nec repræſentatio Dei in hoc conſiſtit ut imago ejus umbratilis, & picta, omnia quæ ſunt in originali poſſideat, ut neque id in rerum aliarum imaginibus etiam requiritur, alioquin ipſa imago eſſet originale illud; Sed ſufficit ſi ductus tales, lineamentaque talia in illa ſint, ex quibus quale originale ſit poſſit agnoſci. talis autem in imagine independentia originale, ipſamque adeo imaginem, deformaret, tolleret, nec repræſentaret. Præterea, iſte progrediendi modus abſurdus eſt: quamvis enim in infinitum perfectiones tuas augeas, nunquam eo devenient ut cum Divinis eædem ſint eſſentialiter. Perfectionem creatam quot velis gradibus amplifices, nunquam idcirco Divina fuerit. Ut neque putandum eſt, illam viam eminentiæ, qua ad Deum per creaturarum perfectiones venitur, talem eſſe, ut perfectio creata quæ ampliari dicitur, maneat tanquam fundamentum cui gradus ſine numero ſuperexſtruas, ut digna evadat quæ poſtea Deo tribuatur: Sed omnino gradatione illa nil conficitur, niſi ſaltetur, ut ita dicam, ſaltu infinito una vice ad aliud quid à perfectione creata prius poſita diverſum prorſus, in quo illa non ſubſternatur ut fundamentum, ſed cui occaſio ſolum cogitandi fuerit. Tendentia igitur illa alia eſſe nequit niſi ad hoc, ut intelligentia & amor Mentis impleantur & occupentur, non à ſe ipſis, vel ab ipſa Mente, ſed ab alio objecto, à Deo nempe. quo ſenſu accipienda ſunt, ut vera ſint, quæ in Meditatione tertia Carteſius ſic effert:

Dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Dum in me ipſum Mentis aciem converto, non modo intelligo me eſſe rem incompletam, & ab alio dependentem, remque ad majora & majora ſive meliora indefinitè aſpirantem, ſed ſimul etiam intelligo illum à quo pendeo, majora iſta omnia non indefinite & potentia tantum, ſed re ipſa infinite in ſe habere, atque ita Deum eſſe. Incommodæ alioqui locutiones.

XI. Hic iterum limitibus & cautela opus eſt: non enim ad hoc tendendum eſt, ut omnia quæ ſunt in Deo pernoſcam, quod curioſitatis, temeritatis & ſuperbiæ eſſet, non modo ſi ad ipſam Dei naturam reſpiciatur, ſed etiam cum quæcunque Deus de aliis decrevit, diſpoſuit & noſcit, ego noſſe & intelligere optarem. Ut neque etiam amor hicce eſt Mentis unitio cum Natura Dei quam poſſidere Mens creata judicaret naturæ ſuæ eſſe conveniens: Nam cum iſte amor non ſit cæcus affectus, impetuſve brutus, ſed maxime ſit intellectualis, perſpicit naturæ ſuæ non competere permixtionem cum Dei perfectionibus, intelligitque notitiam omnium quæ in Deo ſunt, vel quæ Deus vult de aliis ſibi non convenire, ideoque ad illa iſto modo non fertur: At poſſim illum *Amorem Intellectualem*, ſi in me ſit, dicere, eſſe mei traditionem ipſi Deo de me quicquid ei placet ſtatuenti, qua acquieſco & delector in eo quod Deus ſit id quod eſt, quodque de ſe ipſo manifeſtavit, & volo ut ille repræſentetur & noſcatur in me & in cæteris prout ei placitum eſt. Etiam hic locum non habet ea ſpeculatio qua amans cum objecto amato ſeſe ut unum aliquod totum conſiderat cujus ipſe ſit pars nonnulla, quæ ſi minor ſit reliquo, huic etiam, tunc magis amando, ſit poſtponenda. Non enim Mentem meam ſpectare debeo ut Divinæ auræ particulam portionemve nonnullam Dei maximi, & ex hoc figmento imaginario in Deum magis quam in me ferri: Sed, ſi aliquis ad me reſpectus ſit habendus, conſiderandus ſum ut minima particula objectorum innumerabilium ſui placiti, immenſorumque ſuorum operum, quæ tamen omnia ſunt ejus tantum umbra, nil ex ſe ſolidi, nil ſubſiſtentis, nil realiter proprii habens. Magnæ hujus umbræ ſum ego tenue punctulum, cujus omnis realitas eſt in illo Dei placito, quo ſic ipſe voluit adumbrari quia ipſi placuit ita velle, nam eſt Dominus. Ita ut tandem ad ipſum Deum ſit deveniendum, ibique acquieſſendum.

XII. De qua acquieſcentia notetur, eam non terminari & quieſcere in placiti Dei effectu, qui res creata eſt, & ſæpe à nobis non diverſa, ſed in ipſo placito quatenus à Deo eſt, ſive in Deo volente, quicunque ſit ejus in me effectus ſive terminus. Adeoque, etiamſi, ut fieri poſſet, ſe plane aliter erga me haberet, & alia quævis in me operaretur, vel operari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

rari deſineret, quia tamen id à Dei placito eſſet, etiam ei eſſet ob hunc reſpectum, non vero ob reſpectum ad me, acquieſcendum. Ea quidem quæ placitum Dei noluit à nobis ut indifferentia ſpectari, indifferenter ob placitum idem ſpectare non debemus, verum potius, quia ſibi ea placere Deus teſtatus eſt, ea etiam ob Deum amplecti, ut ejus placito ſic conformemur: at quæ ut indifferentia ex ſe voluit ſpectari, ut (certo modo) quæ nexum mei cum corpore, ejuſque durationem anxiam aut levem, gratam aut ingratam, longam aut brevem; modum quo cæteri mecum agere poſſunt durum mollemve, aliaque innumera quæ mihi accidere poſſunt, ea ita indifferenter ſpectanda ſunt, atque, cum placitum Dei decretumque eſſe conſtat, ita excipienda, ut ne velimus quidem, etſi poſſemus, cupere quicquam mutare, eiſve, quæcunque ſint, vel minimum reſiſtere: quod eſſet noſtrum placitum præ Divino amplecti: quamvis paratos nos eſſe deceat contrarium quoque experiri, ſi Deo id videretur.

XIII. Hanc acquieſcentiam perfectionem eſſe Mentis ſummam & fundamentalem inde patet, quod ea optime Deum repræſentet. Nam non dubium eſt quin placitum Dei quo voluit Deus à creaturis repræſentari, ipſum optime repræſentet. nec dubium eſt quin in illius placiti repræſentatione ſit ſumma creaturæ perfectio: at talis acquieſcentia intelligens optime placitum Dei repræſentat, id refert, id probat qualiter Deo placet: quæ Summa imitatio Dei eſt.

XIV. Summa illa perfectio cæteras omnes Mentis, etiam diminutiſſimas, etiam ſenſuales, permeare poteſt, & in illis inveniri. At ſæpe in eo falluntur homines quod illam ibi adeſſe credant unde tamen abeſt. Certior ejus nota probatioque eſt, non ubi arrident omnia, ubi ſenſus nullo tanguntur incommodo, ubi corpori deeſt nihil, ubi imaginatio demulcetur, ubi ſocii cæterique vel adulantur, vel non adverſantur, ubi Mens ſuper ſe reflectens cogitat ſe intelligentem, ſe amantem Dei eſſe, ſe ei acquieſcentem cum gratiſſimo ſenſu, unde delectatio & ingens gaudium. Nam in illis ipſis quæ vult Deus, quæque Mentem dulcedine afficiunt, timendum eſt, ne Mens ea amplectens, id ob ſe agat, adeoque, contra ſuperius demonſtrata, ſe ut ſui ſcopum ſuique repræſentativam conſideret. At ubi omnia iſta ei adverſiſſima accidunt, ipſaque velut arida languet ſine gaudio quod ex ſenſu amoris Dei, tunc ſuſpenſo, enaſcitur, & tamen iſti Dei placito, utut duranti, quia à Deo eſt, acquieſcit Mens, ſine affectatione, parata cæteroqui vel jucundiſſimum, vel qualemcunque Deo placuerit ſtatum ob ejus placitum, ſive ob

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ob Deum volentem, ingredi, ibi demum Summæ perfectionis, cujus quidem creatura ſit capax, probationem adeſſe, utique agnoſcendum eſt: ibi enim patet placitum Dei puriſſime, ſine ulla alieni mixtura, repræſentari.

XV. Atque hæc de perfectionibus Mentis creatæ generaliora ex principiis internis deducta huc uſque, ſatis ſunto: unde patet quam longe, quantaque cum certitudine eas à Divinis diſtare, non obſtante earum cum placito Dei conformitate, aſſeri poſſit. Quod de ejuſdem imperfectionibus ſit cenſendum paucis etiam apertum eſt, idque amplius poteſt deduci ex regulis oppoſitorum. Sed hoc ipſum ex profeſſo deinceps tractabitur.

Ipſius inviſibilia à condito mundo ex effectis mente perpenſa conſpiciuntur. Rom. 1. v. 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

LIBER TERTIUS

IN QUO

De Deo & de Mente Creata, ſive Anima, ſpecialius tractatur.

CAPUT I.

1. *Quomodo de Dei attributis ſpecialius ſit tractandum.* 2. *Conſiderationes nonnullæ de Cogitatione creata ex quibus occaſio agendi de Deo deſumetur.* 3. *Attributa Dei ex his conſideranda.*

I. IAm de iis ſpecialius agendum eſt quæ in Dei Idea veniunt obſervanda, quæque reſpectum ad particularem præſentemque creaturarum ſtatum, earumdemque regimen particulare, non involvunt, etſi nonnulla ad earum eſſentiam, nonnulla ad generalem exiſtentiam, earumque nexum reſpiciant. Ut autem ordine nonnullo procedamus, & ſimul quæ de Deo dicenda ſunt illuſtrentur, ad mentem noſtram reflectere debemus, ut ex iis quæ in illa contemplabimur, ad Dei perfectiones conſiderandas deducamur. nam cum uno conſpectu quicquid à nobis de Deo ſciri poteſt attingere non poſſimus, non dubium eſt quin nobis liceat id pluribus, qui diverſis nominibus deſignentur, tentare & utcunque exequi; cumque ſi Deum ſolum intueamur, is adeo Simplex & uniformis Cogitatio nobis appareat, ut, præter id quod in ejus definitione fuit expreſſum, nullus in eo ordo, nulla diſtinctio, nullum prius & poſterius reperiatur, non immerito, cæteris rebus prætermiſſis, ex mentis noſtræ inſpectione occaſionem noſtrarum de illo Cogitationum ordine nonnullo diſponendarum, depromemus. Diſtributiones attributorum Dei in negativa, poſitiva, communicabilia, incommunicabilia, aliaſque ejuſmodi, quoniam difficultatibus non carent, & controvertuntur, nec etiam quæ de Deo ſunt dicenda, ita illuſtrant ut ea quæ ex conſideratione Mentis veniunt, prætermittimus, alias forſan in fine allaturi. Cæterum ex iis, quas in Mente noſtra animadver-

vertemus, ſive perfectionibus, ſive imperfectionibus ſtabilibus aut indecoris, ſive imperfectionibus deponendis emendandiſve, ad Dei perfectiones recurremus, non quaſi multis probaturi ex hís principiis illas in Deo eſſe, ſed illuſtraturi, ut dictum, ex hac occaſione: nam via qua Deum illis prædítum eſſe demonſtretur, jam ſupra oſtenſa eſt. tametſi nulla Deo perfectio ſine ſua demonſtratione, ſed ea brevi, in poſterum tribuetur. Rem igitur ipſam aggrediamur.

II. Quod ut fiat, terminis multa ſubtilitate conquiſitis valedicens, rebus corporeis cæteriſque creatis non conſpectis (quanquam ex incidenti earum ideas in Mente mea contemplabor) ad Mentem meam me converto, in ejus cogitationibus ea animadverſurus quæ ſponte ſua jam ſeſe offerent, ex quibus ad Deum fiat reditus. Animadverto igitur (1) me cogitare: (2) me, qua talem, præter cogitationem nihil habere: (3) me illud ipſum à me non poſſidere: (4) in me eſſe tam multiplices diſpoſitiones ſeu aptitudines ad diverſimode cogitandum, (5) ut omnes enumerare, imo concipere non poſſim, ita ut eatenus egomet mihi ſim incognitus; (6) quamvis omnium cogitationis meæ objectorum ego ſim proximum, (7) me facile concipere res à me differentes quamplurimas, quarum quædam pares mihi æqualeſque ſint: (8) adverto etiam inter eas dari poſſe quaſdam majores me, quaſdam etiam inferiores, (9) at me non poſſe illarum omnium ideis & proprietatibus quicquam addere, vel detrahere: (10) idque me incaſſum tentaturum: unde patet mei reſpectu cæterorum ſterilitas: (11) Imo ſcio ne à voluntate quidem mea eſſe, ut res illas, præſertim me majores, modo convenientiori in me ponam, ita ut illis fruar decenter, & ſicut cum ratione opto; (12) nec ab eadem voluntate mea pendere ut extra me exiſtant; (13) nec quot ſint, quæ earum natura, quod regimen, aliaque de illis ejuſmodi, me perfecte cognitione tenere: (14) Animadverto tamen licere mihi cogitationes illas meas de iſtis eo quo placet ordine diſponere, quamvis primarum cum ultimis concatenatio decens, & ultimarum à primis deductio, ſit perdifficilis, & ſæpe in illis ita diſponendis, inopinata & inexpectata oboriantur, nec ſequatur quod erat intentum. (15) Deprehendo quoque, quantum quidem contendam, impoſſibile mihi eſſe, omnes uno aſpectu intueri, ſed debere ut defectui iſti ſuccurratur, cogitationem meam prolongari, (16) & conſequenter variari, hoc eſt, ſucceſſive objectis diverſis mox huic, mox illi, & quidem modis ſæpe diverſis, applicari, (17) meque nec adhuc eis omnibus præditum eſſe, ad quæ mea ferri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

poſſet cogitatio. (18) In cogitationibus illis meis quæ verum & bonum noſcendum poſſidendumque ſpectant, non adverto coactionem ullam, nulla enim in me, me reluctante, ab extraneo impetu ponitur: (19) at idem dicere non ſuſtineo de modis cogitandi quibuſdam, qui ſenſus vel doloris, vel voluptatis, vel aliis nominibus appellantur, quoſque tanquam à rebus à me diverſis vel præter voluntatem recipio. (20) Novi denique libertate mea me poſſe abuti, eadem me negando, quæ in me eſſe vel fuiſſe vere percepero, (21) aut vera fore voluero & promiſero; (22) vel etiam res viles & me indignas, amore proſequendo. Quæ omnia cum Mente recolo, adverto ita imperfecta eſſe, (23) ut eis ſemper perfectionis novus gradus addi poſſit; (24) aut aliquis, imo omnes detrahi, quia nempe nil in me eſt quod impediat, quo minus author meus in priſtinum nihilum me, (ſi voluiſſet) reducat: (25) Ita ut nil ſit cur adeo de me ipſo bene opiner, meque mihi ipſi ſpectandum commendem. Poſſent proculdubio plures aliæ hiſce ſimiles addi conſiderationes, & ordine ab hoc diverſo componi: eſt enim cuilibet id juris in ſuas cogitationes, & ob id ipſum mihi perſuadeo in numerum & ordinem mearum hic poſitarum neminem infenſum fore, cum liceat cuivis eas non probanti, proprias ſuas numeroſiores & ordinatiores proponere.

III. Cæterum, quamvis ea quæ de Deo concipi poſſunt ex relatione vel occaſione quæ à creaturis aut vero à mente ſola eſt, non poſſint numero aſtringi, ſintque indefinita; Præcipua tamen Dei attributa, &, ut ſic efferam, Primitiva, ex ſingulis hiſce notatis proponentur & diſponentur, Nempe 1. Dei Vita, 2. Spiritualitas, 3. Sufficientia, 4. Activitas, 5. Incomprehenſibilitas, 6. Intelligentia, 7. Unitas, 8. Altitudo, 9. Dominium, 10. Bonitas, 11. Felicitas, 12. Potentia, 13. Cognitio vel Scientia, 14. Sapientia, 15. Æternitas, 16. Conſtantia, 17. Simplicitas, 18. Libertas, 19. Impaſſibilitas, 20. Juſtitia, 21. Veracitas, 22. Sanctitas, 23. Infinitas, 24. Immortalitas, 25. & Gloria. Literæ A & D interpoſitæ, ea quæ de Mente creata, ſive Anima, (perinde enim eſt qua voce utamur, cum quid ea ſignificatur ſit ſatis evidenter expreſſum) & illa quæ de Deo dicentur, diſterminabunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Caput II.

(1) Vita.

§. A.

1. *Vita Animæ naturalis.*

I. Omnium primum quod mihi de me occurrit illud eſt, Me Cogitare, ut ſupra etiam animadverti: videoque cogitationem mihi ita annecti, ut ſine illa eſſe non poſſim id quod de me novi, at poſita intima illa conſcientia, poſito me eſſe conſcium, ſufficiens hac ex parte exiſtere fundamentum cur credam, ſciam, ſentiam, me eſſe, vigere, magis ac magis perfici poſſe. Hoc ipſum eſt quod proprie appellare poſſum *Vitam Mentis meæ naturalem*, & ideo affirmare, Mentem ex naturæ ſuæ conditione eſſe rem viventem. Alias vocis hujus, vitæ nempe, ſignificationes, præſertim quæ in rebus corporeis obtinent, relinquo: nec jam ad illam nobiliſſimam attendo quæ eſt cum cogitatio mea ad gradum perfectionis ſuæ ſummum adducetur: Sed de illa ago quæ Menti eſt naturalis, nec aliud per eam video poſſe deſignari quam Cogitationem, ſive, actu eſſe Conſcium, ad quam cætera quæ illa carent ſi comparentur, mortua dici poſſunt. Hinc de eo quod ſupra adduxi, nempe Mentem ſemper cogitare, magis magiſque perſuadeor: nam cum Mentis natura vivens ſit, ergo natura ſua eſt actualiter agens, (latiori ſenſu, qui paſſionem vividam includit), cum viventem eſſe, ſit agere, & vita non ſit facultas, ſed actus. Quid autem eſt, præterquam cogitare, ob quod agere dici poſſit. Ad facultatem quod attinet, quod ſola facultate ſive potentia vivit, id actu mortuum eſt, nec vivens dicitur: neque etiam facultas pro vita ſumi poteſt, nec diſtingui à Mente quatenus hæc eſt & exiſtit, niſi Mentem fatearis rem eſſe in ſe mortuam & brutam. Quæ de animalculorum quorumdam vita ſopita allegari poſſent ad hanc rem nihil attinent.

§. D.

2. *Vita Dei, fundamentum attributorum.* 3. *Jurare per vitam Animæ vel Dei.* 4. *Vitæ Mentis creatæ inimica. mortua. Bona vita.*

II. Deum etiam, ad quem me converto, non poſſumnon concipere Cogitantem ut jam ſupra vidi. neque dubium eſt quin cogitare, ſi

modo cogitationis objectum præcipuum & ipſe cogitandi modus non limitentur, vera ſit perfectio: igitur ea non deſtituitur qui ut perfectiſſimus concipitur. Eſt ergo Deus cogitans, ſui & omnium ſi quæ ſunt conſcius, nec ab ejus natura cogitatio eſt ſeparabilis. Hoc ipſum eſt, quod attributum *Vitæ* dicitur, de cujus excellentia hic nil ſpecialius addetur, cum dicta & dicenda ad eam pertineant. Addo tamen, quemadmodum in mente creata, imo in omnibus viventibus, vita eſt fundamentum quo ſtant omnia cætera, & quo diruto corruunt; ita etiam Vitam Dei omnibus ejus attributis ſubſterni, & in omnibus inveniri debere, omnia enim vitam involvunt, nec concipi poſſunt niſi in conceptu illo expreſſe includatur quod ſint viventia. At quid illud eſt, quod ut primum & quaſi fundamentum omnium aſſignari poſſit, præter cogitationem ſimpliciter conſideratam? Merito igitur hæc Dei Vita appellari debet.

III. Velim notari, ut nonnullus horum ſit fructus, id ipſum bene intelligi poſſe ubi in Sacris de Vita Dei vel de Deo vivente, mentio fit: nam quamvis nonnullibi forte ad id attendendum ſit, quod Deus non poſſit deficere ſeu deſinere, vel ſit potentiſſimum agens (quod ad immortalitatem & potentiam poſt hæc referetur) illud tamen, quod Deus ſit conſcius ſui, ſuarum perfectionum, potentiæ & bonitatis, &c. Imo conſcius omnium quæ fiunt, ut plurimum ſpectatur. Hinc maxime introducitur Deus ut, vivens ubi agitur de hominibus vel qui non attendunt ad hoc quod Deus ſit conſcius tum ſuæ juſtitiæ & potentiæ, tum eorum quæ ipſi agunt, dicuntve, vel qui ad id ipſum attendunt aut attendere debent; unde formula jurandi, *Deus vivit & anima tua vivit*, &c. quaſi dicerent, Deus qui ſuæ potentiæ ad vindicandum malum conſcius eſt, ſcit me hoc vel illud (de quo agitur) ſincere cogitare, hujuſque eſto ita perſuaſus ac tuæ ipſius cogitationis conſcius es. Sed & ibi interponitur Deus ut vivens cum certiores vult reddere homines de eo quod ipſe revera cogitat, & cujus conſcius eſt, exempli cauſa, in illuſtri illa proteſtatione, *Vivo ego*, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, &c. Ne peccator peccatis ſuis territus apud ſe cogitet, ſi quidem Dei amore non ſum dignus, ſed contra, ejus deſertione, ſequitur ut ille cogitet de me non reformando, ſed potius de me, ut mereor, in peccatis meis relinquendo & deſerendo; eſt quod ego cogitem ſive conſcius ſim eum mihi bene non velle, non ſibi de me bene conſcire, vel ſaltem an bene velit, dubito & neſcio: Opponit Deus *Ego Vivo* nolo mortem peccatoris. Quæ ita ſumi poſſunt acſi diceret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Quis novit Mentem Domini, aut ejus præ Domino conſcius eſt? Atqui ego vivo: Ego conſcius ſum & mei, & eorum quæ in me ſunt, adeoque ſcio & conſcius ſum illud in me non eſſe, nempe velle mortem peccatoris, ſed conſcius ſum quod velim ego ut vivat, hæc eſt mea mens & cogitatio; & quam certum eſt illud prius, me mentis meæ conſcium eſſe, tam certum eſt hoc poſterius. Atque hoc eſt ſummum certitudinis noſtræ de Dei placito erga nos fundamentum, Proteſtatio per vitam Dei.

IV. De ſe ipſa, Mens creata reputet omnia quæ cogitationem, quæ vita ejus eſt, obtundunt, ut vitæ inimica eſſe evitanda. Omnia quæ cogitatio non ſunt, ei ſpectanda eſſe ut in ſe mortua, etiam litera quæ ſacra dicitur mortua eſt, ſolus Spiritus, ſive cogitatio quæ à Deo eſt & Deum refert, vitam infert. Denique ſiquidem in cogitando vivit, cum cogitans cupiat vivere bene, ut bene cogitet danda eſt opera; & in hoc totum artificium conſiſtit, ut bonis formis induatur Cogitatio.

CAPUT III.

(2) SPIRITUALITAS.

§. A.

1. *Spiritualitas.* 2. *Spiritualis vita.*

I. NOn jam hic iterum, niſi animo, recolam ea quæ ſuperiori libro fuſe demonſtrata ſunt, Cogitationem nempe ita in me eſſe, ut præter illam nihil ſit, quod ad mei, qualem jam me conſidero, eſſentiam naturamque pertineat, ita ut in illa ſola tota mea natura includatur excluſis omnibus cæteris. Completa hæc notio rei ſive naturæ cujuſdam quæ cogitatione abſolvitur, *Spiritualitas* proprie dicenda eſt, ob quam aſſero mentem meam Spiritum eſſe.

II. Inter plurima quæ hinc colligi poſſunt, illud in primis notetur, eam mentem dicendam omnino ſpirituali vita vivere cujus omnes cogitationes ad cogitationem ita feruntur, ut illæ hac ultimo terminentur, in ea omnia inveniant, eique acquieſcant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

§. D.

3. 4. *Mera Cogitatio Dei Spiritualitas.*

III. In Deo, cum ad illum ex hac occaſione attendo, ita etiam cogitationem eſſe animadverto, ut tota ejus Natura in illa ſola conſiſtat, excluſis omnibus cæteris, quæ præter cogitationem poſſunt concipi. Id nî eſſet, in Deo darentur plurima quæ eſſentia inter ſe differrent, nam quicquid cogitatio non eſt, id eſſentiam à Cogitatione diverſam obtinet: atque Deus ita componeretur ex partibus, quarum una alteram excluderet, uniuſque realitas & perfectio in alia non inveniretur: quo modo Deus conciperetur ut imperfectus & non ſimplex. Sed contrarium ſuperius demonſtratum eſt, ubi etiam hoc ipſum quod jam de Deo aſſerimus, cum nempe præter cogitationem nihil habere in ſua natura, firmis, ut puto, argumentis probatum eſt, quæ labore idem hic demonſtrandi nos levabunt. Notetur idcirco, omnia quæ in ſequentibus Deo attribuentur, nil eſſe præter meram Cogitationem.

IV. Ex hiſce facile eſt concipere, quid ſit Dei *Spiritualitas*, nimirum quod non tantum cogitet Deus, ſed quod omnia quæ in ejus natura ſunt cogitatio mera ſint. Sic Deus eſt Spiritus.

CAPUT IV.

(3) SUFFICIENTIA.

§. A.

1. 2. *Quæſtiones de exiſtentia rerum. Ratio, cauſa, cauſa efficiens, eſſe à ſe poſitive.* 3. *De re poſitiva quæritur abſurde an ſit à ſe negative, & an ſit ſui cauſa efficiens?* 4. *Mens humana non eſt à ſe poſitive.* 5. *Nec ulla alia res, niſi ſit perfectiſſima.*

I. NIl magis naturale & obvium eſt quam ubi quid eſſe percipitur, ejus cauſam ſive rationem poſtulare. quapropter, cum cogitans exiſtem, occurrit conſequenter menti meæ ut quæram, unde hoc? quæ ratio, quæ cauſa? At, priuſquam quæſito ſatisfiat, & ad Deum ex hujus occaſione aſcendamus, nonnullæ voces quibus utendum eſt, ut ſunt cauſa, ratio, cauſa efficiens, eſſe à ſe poſitive vel negative, ſunt explicandæ, ne, quod aliquando eſt immerito factum à rixandi cupidis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cupidis, abſurditatem & falſitatem nonnulli impingant veriſſimis ſententiis.

II. Cum aliqua res exiſtit, vel noſcitur ut exiſtens, de ejus exiſtentia duæ poſſunt quæſtiones proponi; altera quæ habeat reſpectum ad cognitionem noſtram de ea, ut ſi quæratur, Cur aſſeris te noſſe quod hæc res, v. g. Deus, aut Mens finita, exiſtat? Cui non difficulter reſponderi poteſt, De mente finita quidem ex mei experientia; De infinita vero ex rationibus quibus ejus exiſtentia demonſtratur. Quæſtio altera quæ de rei exiſtentia formari poteſt, non tam reſpicit cognitionem noſtram, ſive aſſertionem qua dicimus nos noſſe rem exiſtere, quam rem ipſam in ſe conſideratam: ut ſi petatur, Quare res illa non tantum eſt poſſibilis, ſed eſt etiam exiſtens? Cur extra poſſibilitatis terminos exiſtentiam actualem habet, vel in eam devenit? Quæ cauſa, quæ ratio, quæ perfectio allegabitur? Cui quæſtioni non niſi duobus modis reſponderi poteſt: vel enim extra Rem ipſam non ibitur; vel ad aliam oportebit converti. Primum fit, ubi ratio exiſtentiæ rei redditur ex natura rei ipſius quæ ita perfecta perſpicitur, ut non opus habeat exiſtentiam aliunde mutuare, cum ejus naturæ perfectiones ad hoc ſufficiant, illam ſecum inferant, adeoque ſint ratio, cauſa, realitas, perfectio illa, quæ rei exiſtentiæ, & quæſtioni de illa, ſatisfaciunt. Et nota hic vocabulo *ratio*, *cauſa*, non deſignari rem ab illa de qua quæritur diverſam, ſed ipſammet eandem, quatenus tales ſunt ejus perfectiones ut abſque alterius interventu exiſtere ſufficiant. Hocce modo exiſtere, id eſt quod dicitur *eſſe à ſe*, cujus loquendi formulæ ſignificatio eſt maxime *poſitiva*, quoniam ponit ſive affirmat perfectiones maximas. Modus alter quo ultimæ iſti quæſtioni reſpondetur, in hoc conſiſtit, ut ad aſſignandam rationem, ſive cauſam, cur res ſit exiſtens, nec ſolum poſſibilis, ad rem aliam à quæſita diverſam nos converti oporteat, quod tunc fit, cum poſtquam animadverſum eſt rei quæſitæ perfectiones non tantas eſſe ut natura earum exiſtentiam inferat, ut illarum conceptus à conceptu exiſtentiæ ſit inſeparabilis, vel illis neceſſario junctus, aſſeritur, nexum illum naturæ rei poſſibilis cum exiſtentia actuali, quando adeſt, ideo adeſſe, quod à re alia, quæ non ſimpliciter cauſa, ſed cauſa efficiens dicitur, poſitus ſit. & iſtarum vocum prima, *cauſa* videlicet, indigitat exiſtentiæ quæſitæ rationem à re aſſignata cui nomen cauſæ tribuitur, deduci; altera, nempe *efficiens*, denotat rem aſſignatam ita inferre exiſtentiam quæſitam, ut tamen illa (cauſa nempe) non ſit cum hac (de cujus exiſtentia quæritur) unum & idem quid, ſed ſit diverſa à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

re exiſtente, quæ ejus opus externum, non vero una eademque res cum illa ipſa eſt. Adeoque, quamvis res quæ eſt à ſe poſitive, exiſtentiæ ſuæ cauſa ſeu ratio in ſenſu jam allato dici poſſit, nequaquam tamen ſui cauſa efficiens eſt dicenda, quoniam voces iſtæ ſi ex uſu recepto uſurpandæ ſunt, tantum adhibendæ ſunt ubi à re aliqua alia res natura diverſa exiſtentiam habere ſignificatur.

III. Hiſce præſuppoſitis, &, cum evidentia ſint, conceſſis, ad me redeo qui cogitans exiſto, & peto, non quamobrem judicem me exiſtere cogitantem, ſed, cur exiſtam? Quid judicem eſſe cauſæ cur exiſtam? Sumne ego à me? Certe, ſi quiſpiam ſuggereret mihi me à me eſſe, illudque *à me eſſe*, intellectum *negative* oportere, nempe ita, ut nihil aliud ſignificetur, quam me nec noſſe, nec aſſignare poſſe in me & extra me ullam exiſtentiæ meæ cauſam, ineptiſſima eſſet talis ſuggeſtio, eſſet enim loco rationis, ignorantiæ ſolius productio. Non novi ego in me, neque extra me, cauſam ullam realem meæ exiſtentiæ, ergo non datur, vel non quærenda eſt, adeoque ſum à me negative, abſurdum fuerit ratiocinium de nulla re quicquam concludens præter ignorantiam ejus qui ita de re quacunque ratiocinaretur: at ignorantia noſtra non eſt regula veritatis rerum. Sed neque ignorantiæ tantum nota eſt ſenſus iſte negativus iſtius formulæ *eſſe à ſe*, cum per eam reſpondetur quæſtioni de re aliqua poſitiva, verum etiam abſurditatum ſcaturigo: nam cum ipſum nihil ideo ſit nihil, quia nec in ſe nec extra ſe cauſam exiſtentiæ habet, ſive cauſam cur exiſtat, neque, quamdiu eſt nihil, habere concipi poſſit, non modo dici poterit juxta doctrinam illam lepidam ipſum nihil eſſe à ſe, at negative, (de quo loquendi modo non eſt adeo contendendum;) verum ſic non impedietur quin τὸ nihil habendum ſit pro re poſitiva, utpote de quo in ratione exiſtentiæ eadem cauſa quæ de re poſitiva ſit alleganda. Commodius ergo quæram, an Ego ſim à me poſitive? Qua in quæſtione adverto etiam notionem efficientis cauſæ locum non obtinere. Abſurde quærerem, an Ego ſim cauſa efficiens mei ipſius? Nam ſic ſupponerem me à me ipſo poſſe differre, meque non eſſe memet ipſum: non enim proprie nominatur efficiens cauſa, niſi ubi res ab effectu differt, & viciſſim ubi effectus à cauſa ſupponitur diverſus: efficiens dicit ex rebus duabus alteram poſſidere prius quam det, alteram nil habere priuſquam recipiat, ſed demum incipere aliquid habere cum cauſa diverſa, prius exiſtens, determinatur ad hoc, ut det. quæ quidem omnia non poſſunt concipi vel de me vel de ulla re cum ratione quæri poſſe, cum neque ullo modo concipi poſſint. Reſtat itaque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

itaque ſignificatio poſitiva exiſtendi à ſe, cujus reſpectu petam, an ſim à me, poſitive nempe, ſive, An quæ in natura mea ſunt perfectiones ſint tales, ut mei, vel, quod idem eſt, ſui, exiſtentiam inferant?

IV. Id vero nequicquam aſſeverare queo, ſi attente perſpexero, quod *eſſe à ſe* ſit habere neceſſariam exiſtentiam; perfectiones ita completas & reales poſſidere, ut abſque contradictione non poſſit negari, cum attente conſiderantur, eas exiſtere; includere exiſtentiam in eſſentia & conceptu ejus; talem eſſe, ut quærenti cur exiſtat res? ſolide ex ſolius rei conſideratione, cæteris prætermiſſis, reſponderi poſſit; denique eſſe conſcium (nam de re cogitante agitur, & de actuali exiſtentia) ſe ſibi ſufficere, & re ipſa ſibi acquieſcere, imo ſponte ſua habere ſive in ſe, ſive extra ſe, omne quodcunque placet. Quæ ſi ſingulatim diſcutio, ut videam, an in me ſint, omnia experior à me aliena. Exiſtentia mea non neceſſario juncta eſt eſſentiæ meæ, ſive, ut cum ſchola loquar, non eſt de eſſentia mea; vel, ut clarius dicam, idea ſeu conceptus quem de mei natura quiſpiam poſſet habere, (qui eſſentia in creatis rebus dicitur) non eſt talis, ut cum eo neceſſe ſit concipere & judicare rem exiſtere extra conceptum qualis in conceptu intelligitur. etenim, antequam exiſterem fieri facile potuit ut ego tanquam poſſibilis, nec tamen tanquam exiſtens, ſi quidem re ipſa nondum eram, conciperer: quare non ea eſt natura mea ut ab exiſtentia ſit inſeparabilis, eamque inferat, cum fuerit olim actu ab illa ſeparata. Neque etiam quæ in me ſunt perfectiones tantæ ſunt, ut negari nullo modo poſſint, aut etiam ut ſi vere concipi debeant, ſtatuendum ſit eas exiſtere: nam ego innumeras ejuſdem mecum naturæ & conditionis mentes ita mihi repræſento, ut conceptus de illis à me tamen non exigat ut ſtatuam illas exiſtentia frui, quam ab illis ſine contradictione removeo, cum liceat mihi eas ut non exiſtentes, ſed tantum poſſibiles, clare, diſtincte, abſque ulla in conceptu repugnantia & ſine contradictione conſiderare. Præterea cum plurima in me ſint quæ à me realiter non diſtinguuntur, ſed, quatenus modi ſunt mei, modali diſtinctione, & quorum tamen ratio à mei ſolius conſideratione nunquam reddi poteſt, ut notio entis me majoris, cupiditas perfectionum meas ſuperantium, quæſtio acquieſcentiæ extra illa quæ jam in natura mea poſſideo, ad quorum cauſam ad aliquid præter me reſpiciendum eſt; multo magis ad meæ exiſtentiæ cauſam aſſignandam recurrendum eſt ad rei à me diverſæ conſiderationem: ſi enim ipſe modus cogitationis à me non eſt, multo minus ipſa ſubſtantia, ipſa cogitatio. Denique ſi à me eſſem, ſi jam ponerem mei exiſtentiam, cum illud ſit actus,

& ego res conſcia eorum quæ in me actu ſunt, ejus rei eſſem conſcius. Atqui ego ad me quam accuratiſſime poſſum attendens non tantum hujus non ſum conſcius, ſed contra percipio evidenter & experior, meam exiſtentiam, imo, ut alicubi ſuſius videbitur, omnia quæ in me ſunt, in quibus vel minima realitas reperitur, non eſſe opus mei, &, ut ſic dicam, ea ſe ipſa in exiſtentia non poſuiſſe, ſed omnium omnino cauſam atque rationem extra ipſa eſſe requirendam, adeoque extra me, qui ſemper alterius opus ſum, ab aliena potentia & voluntate, non vero à mea, plane dependens. Quæ enim potentia illa mea qua me exiſtentem ponerem? Si cogitatio ſpontanea non eſſet illa, mea non eſſet, ſed aliena. Cogitare autem ſponte & volens, me non ponit. Equidem exiſto volens, ſed in quæſtione cur exiſtam non poſſum acquieſcere voluntati meæ, nam illa non ſatis realis eſt ut eam concipiens, judicem exiſtentiam ab ipſa eſſe inſeparabilem, ut jam animadverſum; nec illa me ponit qualem vellem reſpectu modorum, ut dictum. Sum quidem me attendente quod velim eſſe, ſed ſum etiam me id non cogitante: imo experiri poſſum me ſi ob angores animi evitandos eſſe non vellem, ideo tamen non deſiturum eſſe, quod fieret, ſi abſurda fictio, quod à mea voluntate eſſem, locum habere nonnullum dici poſſet. Unde ſequitur me eſſe ab alio, qui is eſt quem voco Deum.

V. Antequam vero ad illum tranſeam id notabo quod ex mox dictis in omnia defluit: ſcilicet (1) hinc manifeſtum eſſe me non ſolum, ſed etiam omnia in quibus eſt vel minima imperfectio, non eſſe à ſe: nam ſi eſſentia illorum non excludit eam quantumlibet parvam quam habent imperfectionem, nec includit illi minimæ imperfectioni oppoſitam, quæ valde parva debet eſſe, realitatem, quomodo excluderet maximam illam imperfectionem *τὸ non eſſe*, includeretque omnium primam & præcipuam realitatem *eſſe?* Quomodo illud quod in genere Entis id quod maximum eſt includeret, excluderet (ut fiat) id quod minimum eſt, & naturæ ſuæ conveniens, & cujus defectus illi eſt imperfectio? Sic aliquid eſſet reſpectu ſui potentiſſimum & impotentiſſimum, nam maximam perfectionem ponere poſſet in ſe, minimam autem ponere non poſſet, quæ contradictoria ſunt. (2) Ergo ſi quid eſt à ſe, illud nullam, ne minimam quidem, imperfectionem habet, & conſequenter omnes perfectiones cogitabiles habet, quibus nulla major eſt ea quæ exiſtentiam per ſe infert. (3) Ergo etiam abſurdum eſt fingere, id, quod prius nihil fuit, incepiſſe poſtea eſſe à ſe, ſive ſe ponere; & præterea id quod ſe ponit, non eſſe perfectiſſimum: nam prius dicit quod ipſum nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nihil ſit adeo perfectum ut rerum exiſtentia ab illo ſit petenda, quod ſtultum eſt; poſterius vero aſſerit, ei quod maximam habet perfectionem, ſiquidem ſit à ſe, deeſſe maximam perfectionem, ſiquidem negetur eſſe perfectiſſimum: quæ contradicentia ſunt. Aſſueſcat ex his Mens in poſitione omnium ſibi non hærere, ſed ad aliud ſemper reſpicere: nec ſolidam ullius rei exiſtentis cauſam rationemque ſe habere putet, donec ad Ens Perfectiſſimum devenerit.

§. D.

6. 7. Deum eſſe à ſe poſitive, quæ ejus Sufficientia eſt. Cauſæ duæ à Metaphyſicis omiſſæ. 8. Sufficientia Dei ut in literis ſacris expreſſa.

VI. Nunc ex horum conſideratione ad Deum, Cogitationem illam ſummam, tranſiens, non modo novi eum eſſe exiſtentiæ meæ rationem & cauſam, quam efficientem appellare poſſum, cum ſim ejus opus ab illo differens, & extra ejus naturam poſitum; verum etiam, Divinam illam ejus naturam perfectioneſque intuens, percipio illum eſſe à ſe, non negative, quaſi ratio cui ens ſummum exiſtat, hæc eſſet, quod non noverim aliquid diverſum unde is eſſet, aut quaſi ejus ratio ſeu cauſa, eſſet res negativa, ſive imperfectio quædam; ſed quam maxime omnium poſitive. Hoc eſt, ratio, cauſa, vis, efficacia, virtus, quæ in Deo concipitur & quæ intelligitur exiſtere, eſt res omnium maxime poſitiva, realis, perfecta, adeo ut exiſtere dicendus ſit ille vi & efficacia naturæ ſuæ, ſive perfectionum, quæ tantæ, tam abundantes realitate, ita plenæ, ita completæ ſunt, ut earum, adeoque Dei, exiſtentia, non aliunde ſit accerſenda, cum nihil eis aliunde ſuperaddi poſſit. Cum igitur cætera omnia per cauſam à ſe ipſis diverſam exiſtant, quæ eam ob rem efficiens appellatur, Deus ſolus exiſtit per ſe & propter ſe ſuaſque perfectiones, id eſt, quoniam eſt Ens perfectiſſimum. Et iſta cauſæ notio, cum nempe non itur ultra rem propoſitam in qua tantas perfectiones reperire eſt ut eæ ad exiſtentiam rei ſufficiant, prior eſt notione cauſæ efficientis, imo ejus fundamentum eſt: nam quî ille cujus exiſtentia eſſet deſumenda aliunde quam à naturæ ſuæ conſideratione & virtute, origo exiſtentiæ aliorum à ſe diverſorum eſſe poſſet? Ergo Deus ita eſt à ſe, ut ratio ſive cauſa qua exiſtit, ſit cauſa omnes alias antecedens, prima & radicalis, unde etiam omnes rerum aliarum exiſtentiæ, etſi mediante alia cauſa, quæ eſt placiti, pullulant. Et hinc patet quam jejune Metaphyſici vulgo de cauſis, etſi omnia tranſcendere prætendant, philoſophentur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cum de hac omnium nobiliſſima & prima, quæque ſi inſolita voce efferenda eſſet, cauſa Identitatis vel Suitatis (qua voce, alia quidem in re, illuſtris Baconus uſus eſt) poſſet vocari, nihil dixerint; ut neque de cauſa ab hac nobilitate ſecunda, quam prorſus neſcierunt, qua tamen rerum veritates & eſſentiæ, non dicam efficiuntur (eo quod ad exiſtentiam id ſoleat referri) ſed ſtatuuntur, quæque idcirco cauſa ſtatuens eſt dicenda. de qua inferius ad Dominium Dei.

VII. Quod autem (ut in viam redeamus, & ſupra aſſumpta Deo applicentur) quod inquam Dei natura & perfectiones exiſtentiam inferant, ut non poſſint non exiſtentes concipi, quod de illis exiſtentia negari nequeat abſque contradictione, quod Deus à ſe, ſe ipſum ſolum requirens, & ſe ipſo ſufficiens ſit affirmandus, id ex attentione ad illum atque ad ea quæ in illo ſunt, fiet evidentiſſimum. Conſideretur is ut merum eſſe, ſive ut mera Cogitatio, & omnia patebunt. Mera Cogitatio eſt Cogitatio ſine ulla limitatione, Cogitatio ſine ulla limitatione in ſe habet exiſtentiam, alioqui ſi hæc extra illam eſſet quærenda, limitaretur illa, ſiquidem extra illam aliquid, quo opus habet, & quo in ſe deſtitueretur, exiſteret. Idem conficietur ſi terminis Entis ſummi, ſive perfectiſſimi utamur, nam contradicens eſt concipere velle tale Ens ut non exiſtens; aut judicare, repugnando conceptui, id non exiſtere. Plura non addam. videatur Carteſii Meditatio Quinta, cum primis reſponſionibus, ubi rem pluribus perſequitur, quæ non libet hic reſumere.

VIII. Atque ad hanc Dei prærogativam perfectionemque reſpicitur, cum ei tribuitur *Sufficientia*, ſive independentia in exiſtendo. quo ſenſu Sacræ literæ dicunt, præter illum nil eſſe, ut ſignificent à nulla re ab illo diverſa exiſtentiam ejus deſumi; ſed eum ſibi ipſi ſufficere, ut & aliis rebus, quæ ſine illo nihil ſunt. Et huc præter nomen שדי, quod ſciunt omnes ſufficientiam deſignare, referri poteſt apprime illa Dei reſponſio, qua Moſi quærenti, quis vel quid Deus ſit? Reſpondet ſe ipſum notificans, Sum qui ſum. *Sum*, hoc eſt, mea eſſentia, *qui ſum*, id eſt, eſt ut exiſtam, eſt mea exiſtentia, eſt illa quæ ab exiſtentia eſt inſeparabilis: Sum ita perfectus ut exiſtentiæ meæ ratio ſit ego ipſe, non diverſa, non ſeparabilis à me ipſo. quo etiam nomen tetragrammaton, quod eſſe & exiſtere ſignificat, revocari poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT V.

(4). ACTIVITAS.

§. A.

1. *Facultates Mentis plures.* 2. *An in mala mente ſint facultates ad bonum?* 3. *Facultates obſunt activitati meræ. Memoria Spiritualis. Habitus.*

I. POſt præcedentes de me obſervationes quæ mihi advenit quarta hæc eſt, quod cum mihi ipſi me notum magis & familiarem reddere conor, ut ſciam quis ſim, & ſimul omnia quæ in me eſſe poſſunt ſpecialiora colligam & amplectar, tum capacitas adeo immenſa cogitandi innumera innumeris modis occurrit, ut certos limites ipſi præfigere cum ratione non auſim: nam non poteſt cogitatio mea tam multipliciter variari, quin facile concipiam illam pluribus poſſe variari modis ab eo à quo ego ſum, qui cum novas novaſque ſine termino in me excitare queat cogitationes, video me eſſe variabilem indefinite, ſive me innumeris eſſe præditum facultatibus; eſt enim hoc ipſum facultas in mente creata, nempe aptitudo ſive capacitas ad variationem quandam, quarum ingentem numerum ab illa haberi antea probatum eſt, ubi aſſertum fuit eſſe de Mentis natura ut indefinite ſit variabilis, utut variatio ipſa actualis ſive actus facultatis, non adſit idcirco niſi præſente cauſa.

II. Ad hæcce, (ut hoc obiter dicam) attendentibus, non difficile erit ſe quibuſdam difficultatibus quæ nonnullos importune exercent, extricare: Exempli cauſa, diſputatur, an homo lapſus habeat facultates reſipiſcendi, credendi, & ſimiles? facultas eſt variabilitas, Mens autem non eſt invariabilis, quod ſolius Dei eſt. Sed, an forma illa cogitationis quæ conſtituit reſipiſcentiam, fidem, &c. poteſt accidere cogitationi ſive Menti? an cum illa congruit, an vero repugnat illi, aut deſtruit illam? Nequaquam. Hoc ſenſu, quidni has habeat facultates? Si vero ad actum, ſive ad ipſam Mentis variationem reſpiciatur, quæſtio fuerit, vel, An tales variationes poſſint accidere Menti ſine cauſa ſufficiente? quod abſurdum eſſet aſſerere; vel, an poſſit Mens ita mutari, ſi nempe cauſa adſit ſufficiens? Quo ſenſu iterum omnes Mentes & illas & plures alias habent facultates, hoc eſt, à cauſa ſufficiente ita mutari & poni poſſunt. Sed ſi jam quæratur, An illa mu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tationis cauſa ſit non-Deus, an hujus poſitionis ratio reddi poſſit ex conſideratione naturæ rei quæ Deus non ſit? Ex præcedenti capite, & ex ſequentibus, manifeſtum eſt quid ad hoc ſit reſpondendum. In his itaque, ut & in infinitis fere aliis, nulla eſt expenſis terminis difficultas. Quod ſi in hiſce nonnulli per *facultatem* ſe intelligere cauſam cujus vi res variatur profiteantur, cum ea vis ſit in Deo, nil vero quod in Deo eſt ſit ſubjective in creaturis, ut demonſtratum, conſequitur omnes ea deſtitui. Sed nobis facultas eſt id quod diximus.

III. Cum animadverti ſupra me, ſive Cogitationem meam à ſe non eſſe, ſed à Deo, concludendum reliqui me eſſe ex natura mea rem vere paſſivam, ſive aliunde recipientem: at jam id luculenter patet ex iſtis, quæ in me ſunt facultatibus, numero indefinitis, quæ omnes ſunt capacitates recipiendi id quod nondum actu in me eſt. An id venturum ſit per modum actionis, an vero ut paſſio, jam non examino: ſed, quicquid ſit, me non eſſe rem mere activam inde infero, idem illaturus ex iis quæ ex facultatibus iſtis poſtquam in actum fuere deductæ, in Mente reſultant, qualia ſunt, memoria ſpiritualis, quæ eſt in mente, capacitas cogitandi ſe olim attente & pure de nonnullis cogitaſſe, & habitus ſpirituales, qui ſunt aptitudo cogitationis ad recipiendam facile præ omnibus aliis formis formam eam quæ repetitis vicibus illi adfuit. qui, quamquam ſæpe verbo, non tamen conceptu confundendi ſunt cum facultatibus, quas ſemper præſupponunt, ſimulque cum illis capacitatem recipiendi.

§. D.

4. *Dei natura & placitum nil aliunde recipere poſſunt. Activitas Dei ut ab Impaſſibilitate diſtincta concipiatur.*

IV. Ad Deum quod attinet, nil tale in eo percipio; non facultates, non memoriam intellectualem qualem dixi, non habitus, non recipiendi in ſe capacitatem ullam: Sed ut purus actus à me concipitur, quod ipſum, dum illi *Activitatem* tribuo, indigitare volo. Cogitatio mera omnia ſibi convenientia actu includit & à ſe habet; ſi quid recipiendi foret capax, ejus non cogitatio actualis ſeu incogitantia, prius in illa fuiſſet, quod conceptui puræ Cogitationis repugnat. Sed quid illud eſſet quod conciperem eam recipere poſſe, & unde? Certe non ab alio id venire poſſet. hoc craſſius eſt quam ut expreſſe refutetur; ergo à ſe ipſo poſſet recipere Deus: quid vero? ſe ipſum? atqui jam ſe ipſum habere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

habere concipitur: aliud ipſo deterius? non admittere poteſt: aliud ipſo excellentius? non datur. ſed & unde Cogitatio quæ pure eſt à ſe haberet notionem rei ſe melioris? Certe cum talis notio è conſideratione rei à pura cogitatione diverſæ foret deſumpta, non poteſt eo in Cogitatione quæ puriſſime à ſe eſt ullo modo fingi eſſe. Abeſt ergo à natura Dei aptitudo quidvis recipiendi. A placito ejus id etiam abeſt, cum immutabilis ſit cogitatio: & quamvis alio modo id ſe habere potuiſſet, ſi Deo viſum fuiſſet, ea tamen non eſt receptio à creatura, nec ejusmodi diverſitatis aptitudo, Dei naturam reſpicit, ſed res creatas vel ſtatutas. Sed hæc ipſa ex aliis attributis, Unitatis nempe, Dominii, Simplicitatis, Libertatis, Impaſſibilitatis, qua actus recipiendi, ut hic per Activitatem potentia ſive facultas, removetur, luculentius patebunt.

CAPUT VI.

(5) INCOMPREHENSIBILITAS.

§. A.

1. *Anima Incomprehenſibilis. Incomprehenſibilitas abſoluta, ſive objectiva & ſubjectiva ſimul, magna imperfectio: ſed ſtabilis nec culpanda.* Culpanda *oppoſita curioſitas.*

I. CUm autem, ut ad me redeam, iſtarum facultatum quæ in me ſunt, numerum cognitione aſſequi non poſſim (impoſſibile enim eſt ut determinem quot modis variari poſſit Cogitatio mea) inde convincor, non modo eatenus me mihi eſſe incognitum, verum etiam me ne poſſe quidem à me cognoſci, adeoque hoc ſenſu me mihi incomprehenſibilem eſſe. Et noto attributum illud incomprehenſibilitatis ſi abſolute ſpectetur, ſive, ſi non referatur ad aliud ſubjectum quam ad illud de quo dicitur, ita ut illud ſibi ipſi ſit incomprehenſibile, imperfectionem non parvam involvere: eſt enim defectus Cogitationis magnus & ignorantia, ſibi ipſi notum nec eſſe, nec eſſe poſſe. quamobrem materialia maxime infra Mentes imperfecta ſunt, quoniam nullo modo, ne minima quidem ex parte, ſe noſſe, ſe capere, multo minus ſe comprehendere queunt, adeoque abſolutiſſime ſibi incomprehenſibilia ſunt. Adverto etiam imperfectionem illam in me ſtabilem eſſe, non rejectaneam: nam me ipſum comprehendere, nil aliud eſt quam complete

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

plete noſſe omnia quæ Deus placito & potentia ſua in me ponere poteſt: quod ut noſcam, natura mea nec requirit, nec admittit, ut amplius dicetur. Ex quo principio improbatur & damnatur cupiditas illa curioſa, qua quæ mihi evenire poſſunt aut eventura ſunt, quæque me Author meus celavit, mihi quocunque modo prædici velle poſſem.

§. D.

2. *Deus incomprehenſibilis.* 3. 4. *Non poteſt complete, ſive adæquate repræſentari per rem diverſæ ab illo naturæ; neque etiam ulla res.* 5. *Incomprehenſibilitatis Dei uſus.*

II. Quanto magis ergo Deus *Incomprehenſibilis* putandus eſt, non quidem ſibi, cum hoc à Cogitatione mera & activiſſima exulet, ſed mihi, & aliis quibuſcunque ab illo diverſis ſortiſque meæ creatæ ab illo participibus? Ut mirari ſubeat quædam de illo, de ejus potentia, de placito, à nonnullis ideo eſſe negata, quod ea cogitationibus ſuis comprehendere non poſſent. Atqui cum vidi modo me mihi eſſe incomprehenſibilem, id in eo fundatum erat quod Dei potentiam & placitum, unde quamplurima mihi eventura aut evenire capacia ponere valet, à me non comprehendebantur. Igitur quanto magis illius natura, eſſentia, & quæ in ea ſunt omnia, mihi ſunt incomprehenſibilia? Certe, ſiquidem comprehendere ſit adæquate omnia mente complecti, aut Deus eſſet Cogitatio imperfecta, ſi à me, Cogitatione imperfecta, ſic caperetur; aut ego eſſem Cogitatio mera, ſi illum, vel unum ex illis quæ in eo ſunt in quo omnia unum ſunt, comprehenderem, atque ita, & ego eſſem Deus, ille vero, ſiquidem à me qui tunc Cogitatio mera eſſem, ut diverſus comprehenderetur, tanquam finitus conciperetur: nam nihil à Cogitatione mera, quæ infinita eſt, diverſum eſt, quin finitum ſit. Hac igitur aſſertione, Deum eſſe mihi comprehenſibilem, abſurde Deo eos limites tribuerem quos à mente mea removiſſem prius. Deus itaque eſt omnino à me Incomprehenſibilis.

III. Quamvis autem hoc attributum ſit relativum, nec ſit in ſubjecto reſpectu ſui, ſitque verbo negativum, attamen ejus fundamentum eſt maxime in Deo, maximeque poſitivum, eſt enim ipſa Dei natura, ſive mera & perfecta Cogitatio, quæ ideo à Cogitatione deficiente non poteſt adæquate repræſentari. Imo, ut id addam, repræſentatio adæquata per aliquid quod ſit naturæ à repræſentato diverſæ, eſt quid contradictorium: nam repræſentatio per rem naturæ diverſæ ſiquidem

non

non habeat omnia prout in repræſentato ſunt, eſt inadæquata; quod ſi vero omnia habeat, tunc non differt à re ipſa: quomodo Deus repræſentatur per ideam ſeu imaginem à ſe de ſe conceptam, ſibique naturalem, quæ adeo ab ipſa natura non differt; aut denique ſi res quæ aliquid adæquate repræſentare vere dicitur, ſit diverſa à repræſentato, tunc proprie non repræſentat, ſive non recipit ſimilitudinem rei, ſed eſt ejus cauſa efficiens vel ſtatuens: quomodo Deus omnia quæ ab ipſo ſunt diverſa, non proprie repræſentat, ſed ſtatuit, vel efficit, cum earum ideas concipit. Ultra hæc non poteſt repræſentatio extendi, nec ea qua Deus à nobis repræſentatur vel concipitur, eſt ultimi vel medii generis recenſiti, ſed primi, adeoque non poteſt ea non eſſe inadæquata, & Deus Incomprehenſibilis.

IV. Quæri poſſet, Annon quemadmodum Deus effecit ut repræſentaretur in me utcunque per ideam quæ ipſa non eſt Deus, nec formaliter habet ea quæ in Deo, ſed objective; ſic poſſet etiam quoad omnia quæ in illo ſunt, per ideam in me adæquate repræſentari, quæ non ideo tamen inferret me infinitum eſſe, vel me omnia quæ in Deo ſunt, adæquate poſſidere formaliter, ſed idealiter & objective tantum? Reſp. Quid de quæſtionibus, quæ circa id quod Deus facere poſſet proponuntur, cenſeri debeat, alibi dicetur. Sed ad rem ipſam reſpondeo, eſſe in terminis contradictionem. Hic conceptus abſurdiſſimus eſt, repræſentare Deum complete & adæquate, nec tamen formaliter, ſed objective: cum iſta repræſentatio Dei completa ſit de forma, de natura, de eſſentia Dei, adeoque inſeparabilis ab illo, nec extra illum poſſibilis. Objecti illius ſummi notitia adæquata eſt ipſum illud objectum, alias Deus ſe ipſum adæquate noſcens, haberet notitiam ſive Cogitationem, quæ non eſſet ille ipſe, quod abſurdi convictum eſt. Verbo, non dari adæquatam repræſentationem per rem naturæ diverſæ, notio communis eſt, quæ cuilibet attendenti meditatione perpendenda, & exemplis omnium quæ in mundo ſunt illuſtranda relinquitur.

V. Hæc Dei Incomprehenſibilitas maxime confert ad Fidem tum perſuaſivam, tum operativam, ſive Theoriæ, & Praxeos, in iis quæ Deus revelat, ſeu ipſum ejuſve naturam, ſeu ejus placitum, aut ea quæ ab eo efficienda vel facta ſunt, concernunt. Nam cum Deus ea de ſe concipiat quæ ab hominibus concipi non poſſunt, hoc ipſum poteſt hominibus iis verbis declarare ex quibus illi ea utcunque attingant, non autem comprehendant. Præterea, poteſt illi placere ut velit, imo effecturus ſit, vel efficiat quædam quæ cogitationis humanæ limites excedant, hinc

judicia ſive placita Dei incomprehenſibilia exclamat ſanctus vir. Hæc igitur fide perſuaſiva recipienda ſunt, (quod etiam peſſimi quique faciunt, & ipſi quoque Dæmones) attamen, ubi demum ea revelata eſſe conſtat: nam quod quædam quæ non modo concipi nequeunt, ſed & conceptui repugnant, nec revelata ſunt, hac via obtrudantur, omnino ridiculum eſt. Sed & fidei vere efficaci hic eſt ſuus locus: cum nempe Deus hominem ducit per avia, quorum ſequela, eventus & ratio non cernuntur, cum jubet ingredi ea, qualia ſunt, in hoc patientiæ ſuæ regno, amare inimicos, beneficum eſſe in perſequentes, vim vi non repellere, pati, fugere laudes & honores, non quærere delectationes, ſed contraria amplecti, imo ſe ipſum odiſſe, &, quod æterni eſt exercitii, ſe ipſum non ſpectare, pluraque ejuſmodi: quæ etſi Menti bene meditanti clariſſime inſtar notitiarum ingenitarum conſpiciantur, ſunt tamen cogitationi ſibi adhærenti & adhuc carnali, abſurda & ſtulta, ei vero quæ valde attente non meditatur incomprehenſibilia; tunc homini ea non comprehendenti & vere fidere volenti volupe erit juxta principium allatum, Deum ſuum clauſis oculis, prudentia & ratiocinatione carnali ſpreta, ſequi ſecure: Si enim Deum & ejus placitum intellectu puro non comprehendi poſſe conſtat, multo minus à Mente adhuc incraſſata, & concupiſcentiis gravata, aut in deducendis & concipiendis ordine veritatibus ab una aliqua prima dependentibus non exercitata, comprehendi poterunt.

CAPUT VII.

(6) INTELLIGENTIA.

§. A.

1.2.3. *Mens intelligit ſe primum, ſed confuſe, nec diſtincte, niſi Deum prius noſcat.*

I. ETiamſi ſenſu mox explicito egomet mihi ſim incognitus, novi tamen me generalius, quatenus exiſto cogitans: quare hoc reſpectu ex omnibus objectis & formis quæ cogitationi meæ accidere poſſint, quæ à me confuſius noſcantur, de quorum exiſtentia ſim certus, objectum primum & proximum ſum Ego ipſe, proximaque forma ea eſt quæ me ipſum mihimet, ſed generalius, repræſentat. Id ne prave detorqueatur, vel immerito ſine notitia traducatur, nonnulla eget

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

explicatione: fieri enim forte poſſet, ut maligne inde concluderetur, me Creaturæ præ Creatore primum locum aſſignare, illiuſque exiſtentiam Dei ipſius exiſtentia certiorem proponere. quæ vero à Cogitatione mea valde ſunt aliena. Nam, ut ne dicam contrarium exinde concludendum eſſe, non hic loci quæritur, quid reſpectu perfectionis prius ſit? neque, quid in re ipſa ſit certius, conſtantius, neceſſarium magis & exiſtens? quod jam ſupra viſum eſt: Sed petitur, quid prius ſit cognitione, & quidem confuſa? & quid confuſo illo modo prius cognoſcatur exiſtere? Certe cognoſcentem cognito eſſe ratione & conceptu prius, extra dubium eſt. Igitur Cogitatio creata, quæ cognoſcens eſt, & cujus natura in hoc eſt ut ſit ſui exiſtentis conſcia, hoc ſenſu prior eſt eo quod poſtea novit, nempe Deo: nam ea revera cogitare concipitur, & hujus conſcia eſſe, priuſquam concipiatur ut de re à ſe diverſa cogitans. Quod vero objectaretur, nempe ſic exiſtentiam Dei ut dependentem ab exiſtentiæ creatæ mentis ſtatui, vel illius certitudinem huic poſtponi, & hac ſtatuminari, unde ſequeretur Mente creata deficiente vel remota, exiſtentiæ Dei certitudinem commoveri & concuti, ſi non plane proſterni; quam abſurde illud opponeretur, inde patet, quod hic neque de ipſa Dei exiſtentia, neque de ejus certitudine ſubjectiva ſive vi qua illa in ſe ſtat, plane agatur, ſed de notitia quam ego de me vel de illa habere poſſum, deque hujus meæ notitiæ certitudine cujus objectum eſt illius exiſtentia in ſe certiſſima. Profecto certitudo notitiæ meæ de illius exiſtentia omnino corruit ſi non exiſto, eamque habere nequeo niſi prius ponatur me eſſe, me præditum eſſe perceptionibus quæ immediate ſui ſenſum certitudinemque inferant. At ſi, quid prius ſit dignitate aut etiam cognitione diſtincta, quæratur, tantum abeſt ut ego ipſe vel mei ipſius notitia præcedat, quin potius plane non noſſem quouſque perfectus aut imperfectus ſim, niſi prius oculos in Deum Authorem perfectiſſimum conjicerem, unde colligerem me magis vel minus perfectum prout ejus perfectiones magis vel minus repræſento.

II. Et hæc omnia in ſuperiori libro demonſtrata ſunt: nam ubi me omnibus alienis exuebam, remanebat primo conſcientia ſeu notio meī ſive meæ intelligentiæ, at illa informis, ſe ſola nec ſe intelligere, nec implere valens, ad aliud, nempe ad ſummum Ens, tendebat, quod prius contemplata, & ad ſe reverſa, ſe poſtmodum ſuaſque perfectiones novit diſtinctius.

III. Ergo Cogitationis intelligentiæque meæ objectum primum Ego ipſe ſum, ſed obſcure: ut autem lux affulgeat, ut quid meum ſit, quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quid non ſit, diſtincte ſciam, deficit in ſe intelligentia mea, & in theoria, haut ſecus ac in praxi (ubi etiam intellectus mei objectum primum tenebræ meæ ſunt) alterius objecti poſcit opem; Itaque mei ipſius intelligentia ſe ſola, eo quo compleri poſſet modo, incompleta eſt.

§. D.

4. *Intelligentia Dei de ſe, primo, complete, eſt ipſemet ille, in illo ſolo, de illo ſolo.* 5. *Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ objectum ſolus Deus, non res creabiles aut poſſibiles.*

IV. Demonſtrata jam ſuperius Re vivente, & pure quidem, ſibi ſufficiente, activa, à ſe ipſa ſola comprehenſa, facile eſt percipere id quod ex ſexta hac de mente mea conſiderationis occaſione in Deo eſt animadvertendum. Nempe primo, Eum ita cogitare ſive intelligere, ut primum proximumque ſuum objectum ſibi ille ſit, nam eſt res cogitans, in qua primum omnium eſt, ut ſit ſui conſcia: Deinde, Illam ſui cognitionem eſſe perfectam, clariſſimam, completam ſe ipſa, ut non ad aliud ab ipſo diverſum ſit attendendum, cum cogitatio ſit mera, ſibique ſufficiens: Adeoque tertio Intellectionem ſive Intelligentiam ab ipſo ſive ab ejus Eſſentia non differre, ſiquidem perfectiſſima cogitatio ſit: Unde & hoc ſequitur, eam ita eſſe Deo naturalem ut nullis ſit communicabilis creaturis, quippe quæ perfectiſſima intellectione capaces non ſint; ſed id omne eſſe Deum quod Deum complete intelligit; Et illud denique, notitiam illam Dei de ſe, ſolam eſſe, quæ ei ſit eſſentialis & immutabilis. Quod ſi alia præter ſe noſcat, non neceſſario illa noſcit, ſed ex placito, cum potuerit ea non noſſe uti jam novit; ut tamen inde concludi nequeat ſic in illo futuram fuiſſe ignorantiam, mutationemve, nam tunc iſta nec exiſtentia, nec vera, nec etiam poſſibilia dici potuiſſent, ut poſtmodum demonſtrabitur.

V. Hæc Dei notitia de ſe ſolo, completa, quæ in ipſo ſolo eſt, & ipſemet eſt, ſola ei eſſentialis, naturalis, neceſſaria, immutabilis, ea eſt, quæ voce *Intelligentiæ*, etiam in literis Sacris, denotatur: eadem ſola *Simplicis Intelligentiæ*, vel ſimpliciter intelligens *Scientia* eſt appellanda, neque, pace aliter ſentientium, ulla creabilia, ullas rerum eſſentias vel abſtractas veritates, reſpicit. Nam Deus ſimpliciter intelligens ſibi ipſi ſufficit, neque eſt neceſſe ad complementum Intelligentiæ ſuæ ut ad alia reſpiciat, quamvis ſi ex abundanti ipſi placet ut aliquid præter ſe ſit verum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

verum, ſi velit aliquid fingere, ſequatur illud eſſe verum, illudque ab illo cognoſci & videri: ſed id ad ſcientiam viſionis, quam vocant, refero, non vero ad Intelligentiam, quod nomen Notitiæ Dei de ſe ipſo ſignificandæ eſto ſacratum, altera de cæteris quibuſcunque rebus notitia nomine Cognitionis vel ſcientiæ inſignita. Hæc & ſimilia conferre licet cum eis quæ de Filio Dei, qui ipſa illa Intelligentia apud Sacros Authores cluet, dicuntur, ut à nonnullis factum, & à nemine caſſa opera, ſi modo debite fiat, faciendum.

CAPUT VIII.

(7) UNITAS.

§. A.

1. *Anima ex natura ſua non eſt unica, ſed multiplicabilis.* 2. *demonſtratur.* 3. *Maxima Mentium inter ſeſe unitas. Non impedit quin ſint plures numero mentes.* 4. *Sequelæ notabiles. De principio individuationis & multiplicitatis. Individuum perfectiſſimum tantum unicum numero eſſe poteſt. Ab individuorum cognitione eſt incipiendum. Scientia eſt de individuis.*

I. POſtquam objectum meæ Cogitationis primum memetipſum eſſe deprehendi, ita tamen ut, ſi diſtincte ſim mihi agnoſcendus, præcedere debeat notitia Dei, qui hoc modo etiam primum proximumque mei objectum dici poteſt, imo mihi præſentius evidentiuſque quam egomet mihi; jam quaſi extra me vadens (quod minus neceſſarium, & ſemper, niſi de primis bene proſpectum ſit, noxium) libet ſecundaria quædam objecta quærere, non quidem ut præcipue examinem, an præter Deum & me exiſtant? Sed ut ea contempler inter Mentis ideas tanquam à me diverſa, & exiſtendi capacia. Incipiam ab illis quæ mecum quammaximam ſimilitudinem nexumque habere poſſent. Animadverto igitur me habere ideas aliarum Mentium ejuſdem mecum naturæ, ſive, me concipere objecta æque perfecta & earumdem mecum realitatum, quæ tamen non ſunt Ego ipſe; ſive, quæ concipiuntur ut à me diverſa, etſi quæ ego habeo, ipſa ſimiliter habeant.

II. Neque dici poteſt pluralitatem illam objectorum diverſorum, ejuſdem mecum naturæ participum, eſſe tantum figmentum Mentis meæ, quæ cum ideam numerorum habeat ex eo quod quaſdam ſui variationes ſentiat & numeret, ſimulque idea ſui prædita ſit, numerum plu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ralitatis & ideam ſui per figmentum componat, adeoque plures Mentes concipiat, ut tamen conceptus in natura poſſibilitatis plurium Mentium non fundetur, cum ſit fictio: Nam contra, non tantum eſt ex numeris modorum Mentis cum Mente mea conflatus, ſed ex natura ipſa Ideæ Mentis creatæ, quæ omnia non complectitur, fluit conceptus iſte. Etenim poſitio Cogitationis qualis Ego ſum, non excludit poſitionem alterius cogitationis meæ ſimilis; nec perceptio ſive conſcientia ejus quod in me eſt, impedit quominus alter aliquis habeat etiam perceptionem ejus quod in ſe eſt eodem prorſus modo; nec prohibet quin hæ duæ perceptiones omnino differant, non ſolum quoniam, utut perfectæ ſint æqualiter, nonnulla inter eas diverſitas eſſe poteſt in modis quibus ad objecta vel diverſa, vel etiam eadem applicabuntur, ubi tam ſtupenda multiplicitas & differentia eſt, ut ſi exempli cauſa, mille myriadibus hominum incumbat cogitare, verbi gratia, de Deo, ne duo quidem ſuas eadem de re cogitationes, eodem modo ſint diſpoſituri; ſed etiam quia quæ ab alio percipiuntur, non ideo, & eo ipſo, in me & à me percipiuntur; nec, pari modo, quæ percipio, ideo quia in me ſunt alius mihi ſimilis percipit.

III. Fieri quidem poteſt ut quæ in me percipiuntur eadem etiam ab alio mihi ſimili percipiantur ſimiliter: ſed hæc unitas non eſt perceptionis ipſius, nec ab ipſa petenda eſt, ſed ab alia cauſa. Poteſt ille à quo Ego & cæteri (ſi qui) ſumus, velle, ut cum aliquid percipio aliquis alius ſit ejuſdem perceptionis conſcius, vel etiam plures, idque vel mediante ſolo Dei placito, vel ita ut cum illo conſenſus quoque meus intercedat, adeoque fiant unius cogitationes tanquam omnium, & omnium tanquam unius: (quæ admiranda unitas & communio in Sanctis mentibus corpore ſolutis eſſe poſſit, quæ omnes, quantum fieri poteſt, prorſus admirabiliter unum quid inter ſe fiant.) Attamen, quemadmodum Corpus & Mens unum arctiſſimo nexu conſtituentia, nihilominus reipſa ſunt duæ numero res; ita etiam hic eſt, nam hoc non obſtante, manet diſtinctionis & pluralitatis fundamentum, cum omnes poſſint ſeparari, & ſeorſim quantum ſufficit complete concipi. neque enim neceſſe eſt ut dum præciſe concipio Deum ponere in me cogitationem, concipiam ideo & hoc ipſo ejus conſcientiam in alio poni, vel alium dari qui ejus conſcius ſit: quia, cum ego non ſim omne perfectum, ne quidem omne perfectum creaturam decens, poſitio cogitationis meæ non ponit in altero cogitationem, quaſi alter ille, ut pars, in me, toto omnia comprehendente, contineretur; nec alterius cogitationis poſitio meæ Cogitationis

tionis poſitionem infert, acſi alter ut pars extra me ut totum non exiſteret: Ego, ſive, opus Dei in me, Ego inquam cogitans, ſum quidem aliquid, ſum non nihil, ſed non ſum omne, non omne creabile, non omne Dei repræſentativum, ut ex potentia Dei facile demonſtrare eſt, adeoque non excludo infinita alia mihi ſimilia ejuſdem mecum naturæ, nil repugnat quin eorum pluralitatem innumeram evidenter concipiam.

IV. Non jam deducam ſpecialius quæcunque ex iſtis, quæ nonnullis ſterilia, vel forte inepta videri poſſint, (ad quid enim probem me non eſſe alium, vel poſſe dari à me alios qui non ſint ego?) ſequuntur, & momentoſa quidem. In illis omnis unitatis communioniſque in quibuſcunque rebus, imo & diverſitatis, fundamenta, cum exemplo evidentiſſimo ad quod omnia componi poſſunt, continentur. Quid ſit principium individuationis, ut vocant, de quo dant tot ſine mente ſonos, & pluralitatis, ſive multiplicitatis, ex his patet. Exemplo quoque patet, eſſentiam individualem prius noſci quam abſtractus habeatur conceptus, ſive quam noſcantur eſſentia generalis, quæ inde venit quod individuum non habeat omne perfectum, quare de perfectiſſimo individuo non concipitur eſſentia generalis, ſed individualis tantum, cum individuum illud omnem ſolidam realitatem exhaurire (ut ſic dicam) concipiatur, ſecus quam in creatis, ubi realitas quæ in ipſis concipitur, ejuſque cauſa, Dei placitum, ad alia, non obſtante unius ex illis poſitione eſſentiaque, extendi, poteſt percipi (qui conceptus eſſentia abſtracta vel univerſalis dicitur.) Inde etiam manifeſtum eſt, falſum eſſe tritum illud, A cognitione univerſalium, non autem particularium, in detectione veritatis eſſe incipiendum: particularium non dari ſcientiam, ſed univerſalium. Quin contra, ab individuis (& utinam in ſpiritualibus atque praxi quilibet à ſui ipſius individui inſpectione!) exordiendum eſt, eorumque propria, &, quantum fieri poteſt, completa datur ſcientia: At quia unum aliquod individuum non eſt omne, ſive non exhaurit omnem realitatem, ſed reduplicari & multiplicari poteſt, ſive, ſimilia dari poſſunt, hinc quam de uno ſcientiam habeo ad alia iſta extendere queo, at non ita amplam, ſed magis reſtrictam, quia plures de uno circumſtantias, quæ ſunt variabiles, novi, quam de cæteris, unde de Mente mea habeo ſcientiam magis completam, quam de idea mentis à me abſtracta. Hoc eſt malum noſtrum, quod in omnibus, in divinis etiam rebus, omnia à nobis abſtrahamus, contemplemur eorum ideas tanquam phantaſmata extra nos in aëre, ut ſic dicam, volitantia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tantia, nec ea in individuo quiſque ſuo requirat, cum tamen vera omnis ſcientia incipiat ab individuo, ab individuali experientia, & in ea fundetur. Nimia abſtractio omnia in omnibus fere corrupit. Sed, ut ad metam redeam, horum uſus præcipuus eſt, ut inſerviant unitati Dei dilucide percipiendæ.

§. D.

5. Conceptus plurium Deorum fictio abſurda & contradictoria. 5.6.7.8. *Demonſtrationes de Dei unitate.* 8.9. *Polytheiſmus, Atheiſmus, Deiſmus, Trinitas, Unitas.*

V. Quodſi jam tentem ſimilia eis quæ modo de me dixi applicare Deo, ut videam, num poſſet aliquis ejuſdem cum illo naturæ, ei æqualis, & tamen ab illo ut Ego ab alia Mente ejuſdem mecum naturæ, differens dari; tunc omnia quæ de me dixi ejus reſpectu prorſus corruunt, & ſe aliter habent. Si plures Deos concipere vellem, fictio eſſet, & quidem abſurda ex parte rei, hoc eſt, ideam pluralis numeri cum Idea Dei ita jungerem, ut ipſius ideæ Dei conſideratio abſurdi me convinceret, & judicii mei figmentum refutaret, tanquam naturæ rei conceptæ repugnans. Dico judicium illud fore figmentum: nam omnes rationes quæ me determinant ad judicandum exiſtere Deum, non niſi unius Dei exiſtentiam poſtulant & inferunt; qua agnita, difficultates quibus niſi notus fuiſſet Deus angebar, plane ſedantur omnes, ita ut unius Dei exiſtentiæ ſolide acquieſcere detur: unde ſequitur præter neceſſitatem & ſine cauſa & ratione alios quæri vel ſtatui; nec id fieri poſſe niſi ex mera mentis petulantia & fictione quæ nullius rei fictæ exiſtentiam demonſtrare poteſt. Sed dico inſuper illam fictionem eſſe abſurdam & contradictoriam: nam cum per Deum intelligatur ens perfectiſſimum, cum Deus ſit omne perfectum in genere perfectionis abſolutæ, cum omnia quæ realiſſima ſunt ipſe ſit, ex ejus definitione, ſequitur eo ſolo concepto, atque exiſtente, concipi & poni omne perfectum cogitabile, omne reale abſolutum quod eſſe poſſe dici poſſet: adeoque ejus conceptus & eſſentia omne perfectiſſimum extra & præter ipſum formaliter excludunt. Quod eſt omne abſolute id excludit aliud omne abſolute, alioqui quod eſt abſolute omne, non eſſet abſolute omne. Ergo Deus unicus eſt.

VI. Idipſum ſic quoque conficitur. Si plures darentur Dii, tunc vel convenirent in una Eſſentia, vel in ea non convenirent: Si in Eſſen-

tia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tia una Divina non convenire dicantur, non ſunt igitur omnes vere Dii; ſi dicantur convenire in una eſſentia, Ergo & in una exiſtentia, adeoque unum exiſtunt, ſeu unus Deus eſt: nam in Perfectiſſimo Ente Eſſentia eſt exiſtentia, (quod patet ex Simplicitate lib. II. cap. V. & VI. demonſtrata, & deinceps pluribus illuſtranda) & exiſtentia (ex ſupradictis) eſt individualis, cum unius exiſtentia exhauriat & complectatur totam & omnem realitatem ſeu perfectionem.

VI. Idem etiam demonſtratur ex aliis quæ generalius de Deo demonſtrata ſunt, exempli cauſa, ex eo quod Deus ſit Cogitatio mera: ſi autem daretur alius Deus, tunc uterque eſſet individuum illius ſpeciei *Deus*, ſic neuter eſſet Deus, neuter eſſet non-pars, vel totum, vel merum quid. Cogitatio mera præter ſe nil ſimile novit, (ex Intelligentia) Ergo præter ſe nil ſimile, nempe quoad eſſentiam, exſtat, nam ſi exſtaret, illaque id non noſſet, tunc mera cogitatio non eſſet mera cogitatio, ſiquidem in illa eſſet ignorantia ſive non Cogitatio, adeoque Deus non eſſet Deus, quod ſeſe deſtruit. Vel, ut clarius res proponatur, ſuppone Deos eſſe duos, dico, aut illos ſeſe mutuo noſſe ex neceſſitate, aut ſecus: ſi ſe non neceſſario norunt, non ſunt perfecti neceſſario, atque ignorantes ſunt vel eſſe poſſunt, nec igitur ſunt Dii, nec plures Dii; ſi ſe norunt neceſſario, tunc Cogitatio unius de altero eſt Cogitatio de altero alteri neceſſaria, quod Cogitationi meræ repugnat, cum illa ſe ipſa ſola compleatur. Illa autem, ut pergam, alterius de altero neceſſaria cogitatio, vel ab altero illo dependebit & veniet, quod iterum Deo vero non competit; vel ab illo ipſo dependebit qui de altero cogitat, adeoque ille cogitans de altero ita apud ſe reputabit, Ego me contemplans concipio me non eſſe omne perfectum, ſed præter me dari æque perfectum, quod à Deo alienum eſt. Sed nec poſſet unius cognitio de altero æque perfecto venire niſi ab altero: ut nec ego, Mens creata, noſſem alias Mentes mihi ſimiles eſſe poſſe, niſi id haberem à notitia alterius, potentiæ nempe Dei. Quod ſi unus ſe ipſum percipiens eo ipſo alterum percipere fingatur, & viciſſim, ita ut unius cogitatio, cognitio, adeoque perfectio, ſit alterius cogitatio & perfectio, tunc non ut duo, ſed ut unus percipientur. Itaque ad *Unitatem* veniendum eſt ex conſideratione Intelligentiæ Dei.

VII. Eo nos revocat ejuſdem acquieſcentia in ſe, ſine qua Cogitationis meræ conceptus deſtruitur. Mera Cogitatio ſibi acquieſcit: quod ſibi acquieſcit non requirit neceſſario alterius rei à ſe diverſæ notitiam nec præſentiam: Ergo excludit neceſſitatem alterius entis; igitur non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

datur, nec dari poteſt Deus alter, alioqui neceſſario daretur, cum Deus ſit ens neceſſarium. Eadem Unitas Dei ex ejus ſufficientia, aliiſque attributis demonſtranda relinquitur, cum, quæ hactenus, ſufficiant.

IX. Non poteſt concipi major in Deo diſtinctio quam quæ in Cogitatione una & eadem, eaque perfectiſſima, alioqui Polytheiſmus introducitur qui Deiſmo pejor eſt hæreſis. Nam, ut ex dictis patet, poſitio plurium Deorum non tantum eſt Mentis fictio, unde qui plures colunt Deos, idololatræ, ſui ipſorum vel fictionum ſuarum Mentium cultores dicuntur: Sed etiam eſt Dei abnegatio, conceptus de Deo deſtructio, negatio veritatis hujus: Deus eſt Res ſeu Cogitatio perfectiſſima & mera, ſive Deus eſt Deus. Unde coinquinati Polytheiſmo vere Atheiſmi rei ſunt, quod de Deiſtis iiſque qui Unitarios ſe vocant, ita dici nequit. Sed nec hi ex unitate habent unde ſuum propugnent errorem, non enim quæ concipitur in Deo diſtinctio talis eſt quæ Unitati ejus ſit oppoſita, ſed ea eſt quæ cum illa optime concordet. Ipſe Deus ob ſui Summam Perfectionem ſe ipſum ſumme amans & quærens, conatus (humano more loquendo) ſe ipſum quantum poſſet multiplicare ut ſe ipſum amabiliſſimum, quantum poſſet inveniret, amaret; id quidem extra ſe executus eſt ponendo ſui umbras, tabulas, imagines, quarum cum una non ſufficeret admirabilibus ejus perfectionibus adumbrandis, innumeras, eaſque omnimoda varietate diverſas produxit: at dum in ſe ipſo per adorandam quæ in Trinitate eſt, generationem ſe multiplicavit, quia perfectiſſime ſic expreſſus eſt, extra unitatem naturæ individuæ non abiit, ſiquidem extra unum perfectiſſimum nullum aliud ſit. Et qui notabunt eam unam Cogitationem includere acquieſcentiam in ſui Intelligentia per tendentiam ſive amorem perfectiſſimum, eaque ſimul cum illis quæ de Incomprehenſibilitate Dei dicta ſunt, meditabuntur, non ſument ex Unitate Dei occaſionem de Trinitate dubitandi, ſed potius ex illa de hac certiores fient. quod cuivis attendenti animadvertere eſt. *vid: praec: lib: 2. cap: 6. §. 3. & 4. in fin:*

X. Tandem notetur, Deum ita eſſe unum, ut ſtrictior ſit in illo unitas quam in Mente mea individua, ſeparatiorque ſuo ſenſu in me ſit pluralitas & diverſitas, quam in Deo. Sunt in Mente mea plures diverſique cogitandi actus à ſe ſeparabiles, ſæpe mea Mens ad ſe non attendit, à ſe quodammodo abeſt, ſibi incognita, interrupta in ſuis cogitandi modis maxime intimis, aliud à ſe poſtulans, quamvis illa numero una ſit: At hæc omnia à Deo qui numero, eſſentia, conceptu unicus eſt, plane ſunt remota.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT IX.

(8) ALTITUDO.

§. A.

1. 3. Mens quibuſdam rebus ſuperior, quibuſdam inferior. 2. Ejus dejectio ſumma cum ſubjicitur corpuſculo quod ad cætera proportionem puncto minorem habet.

I. POrro, inter res quæ mihi tanquam à me differentes repræſentantur, ſunt & aliæ quas tanquam me minores, aliæ quas tanquam me majores adverto: nec opus eſt ad hujus evidentiorem probationem, ut Deum, ad cujus eſſentiam omnia quæ ejus placitum in me contulit evaneſcunt, in exemplum adducam, cum inter illa quæ ab illo diverſa concipiuntur, Mentes creatas concipiam mea Mente multo perfectiores, vividius, purius, extenſius cogitantes, magis activas, ſibi ipſis notiores, & omnibus quæ in me vel jam notavi, vel notabo deinceps, me quam longiſſime ſuperantes, placiti Divini exactiores imagines, in quibus indefinite excellentiora quam in me Deus efficere voluerit; meque adeo inter res ejuſdem mecum generis, creatas nempe, ex mediis, vel fere etiam ex infimis, eſſe.

II. Et quamvis perfectiones meæ, ſi meo libuerit Authori plura melioraque in me operari præ iis quæ ipſe in quibuſdam agit, nonnullas quæ aliis inſunt, hocce modo præcedere poſſint; imo, quamvis jam corpore omni (ne me cum aliis mentibus temere comparem) quamvis inquam omni re extenſa (cujus ideam jam aliquatenus contemplabor) ſim perfectior, cum res quæ ſui, Dei, mirabilium ejus attributorum operumque conſcia eſt, omni re extenſa, mobili, figurata, quæ bruta omnis eſt, ſit auguſtior; attamen ſi has ipſas res mecum, quatenus illis utcunque jam alligatus ſum & ſubjectus, confero, ſummæ tenuitatis meæ per illas ipſas quoque convincor. Cogito, ut illuc parumper excurram, extenſionem univerſi immenſam cui limites fineſque ſine abſurditate & repugnantia in meo conceptu aſſignare non poſſum; ita ut ſtellatum, quod apparet cœlum, in quo innumeræ, ut in lactea, quæ dicitur, via, ſtellarum myriades utcunque deteguntur, præ immenſo illo univerſitatis ſpatio quod ultra & quaquaverſum ſine ullius finis conceptu, extendi concipitur, ſit revera inſtar puncti concipiendum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quanquam ſpatium à Sole, nobis hujus puncti centro, ad Saturnum (quod diametrorum terræ millibus quinque aut ſex conſtare ajunt) non immerito à peritioribus decuplandum eſſe putetur ſi ad proximarum nobis ſtellarum diſtantiam commenſurandam ſit aptandum, idemque centupliciter repetendum, imo millecuplex ſubſtituendum ſi ad remotiores inter apparentes applicandum ſit. Cogito præterea, apparentis illius cœli hoc noſtrum, quod ad firmamentum extenditur, iterum punctum eſſe, hujuſque puncti ſpatium illud quod à tellure annuatim circa Solem delata deſcribitur (veritas, ſine animo rixandi, ſi quæ eſt in tota Phyſica, neceſſaria, clara, & demonſtrabilis) iterum punctum eſſe, quod patet ex horizontis æqualitate apparente, & defectu parallaxeos in ſtellis. Porro, cogito iſtius puncti, ſive ſphæræ quam terræ circa Solem circulus in duas ſecare partes concipitur, ipſam terram iterum punctum eſſe, quippe quæ ſe non habeat ad illam quantum ſe habet unum ad ter millies millena millia. (Nam poſito, diametrum eclypticæ continere 1500 terræ diametros, ratio triplicata, quæ eſt ſolidi terræ ad ſolidum ſpatii ſphæræ quam illa circa Solem ambit, exurgit 3375000000. ſi vero pro maximo diametro ſumantur telluris 1550, ut exactiores circiter numerant, tunc exurget proportione unius ex his punctis ad alterum proportio 1--ad 3723875000.) Quid igitur ad hæc portio ſuperficiei terræ? quid regio? quid urbs? quid domus? niſi particulæ particularum punctuli? quid ipſaque adeo glebula luti exigua, pulviſculuſve quo detenta Mens eſt (ut notum) quaſi captiva atque vincta, atque ita vincta, imo ita depreſſa, ut sæpiſſime, quoties dormitur, vel ægrotatur violentius, ipſa cum omnibus ejus facultatibus quaſi deglutita & abſorpta reperiatur, idque invita, ſæpiſſime etiam, quæ omnium viliſſima eſt dejectio, ipſa volens, pulviſculi ſui onere, cura, cultu uno, ſeſe obruens, etſi ſciat glebulæ evanidæ ſtabilitatem momentis, quorum unum non infert ſequens, menſurari, omniaque vix duratura uſque dum punctum illud in cujus ſuperficiei punctiuncula recumbimus ex ſuis gyris abſolverit nonnullos, qui & ipſi univerſi cæterorum reſpectu pauciſſimi ſunt, quemadmodum terræ ſtatus præ cœlorum ſtatu non putatur durabilis, nec hic ultimus quicquam ad veram æternitatem, vel æternitatis, quantum in Mente creata dari poteſt, expreſſam imaginem ſit comparandus? Et tamen, quæ tua homo inſania eſt, hæc tenuiſſima vana, maxima maximeque ſeria eſſe putas, ob quæ ridiculo ſimul & execrando auſu, Deus tibi relinquendus, contemnendus, omnia turbanda & violanda, tuque ipſi

ipſi tibi magnifice æſtimandus videris homo, parve culex, vermicule inſtar ſcarabei in ſtercore puncti punctuli ex majoris umbræ puncto deſumpti, pulviſculi evanidi raſuram cumulans & verſans, atque illic agens cuniculos, thronos & triumphos, mox inibi conculcande! Certe, cum talem mentis cum corpore ſtatum ſic tacitus & ſerio apud me intueor, vix eo vilius quid & abjectum magis occurrit, ut ad ſtuporem admirandum veniat, unde illa his tota occupari, adhærere, iiſque deliciari poſſit.

III. Reſpiro nonnihil cum ad meas quæ Deum concernunt cogitationes recurro, præ quibus evaneſcunt cætera, licet infirmæ & valde paucæ illæ ſint, &, ut dixi, ſuperari poſſint ab aliis quas in quibuſdam poſuerit perfectiores Deus, unde vidi medium me inter duo quaſi conſtitutum, & corporeis quidem ſuo ſenſu ſuperiorem: ſed non eſſe cur me cæteris (quæ eſſe poſſunt) mentibus, præferam, aut etiam omnino æqualem iis reputem, cum ſuperiores me eſſe, poſſint à me concipi.

§. D.

4. 5. *Deus eſt abſolutiſſime ſummus.* 6. *Atheorum abſurda ratiocinatio.* 7. 8. 9. *Exploditur. Infinitum Ens quomodo nec includit nec excludit cætera entia.* 10. *Obmurmuratio; ſed repulſa, & deinceps magis repellenda.*

IV. De Deo autem non ita eſt: non modo enim nil majus eo absque contradictione dicere auſim me concipere; verum etiam illum ſe ipſo neminem majorem percipere evidenter intelligo. Nam cum nil ſit majus Cogitatione abſolutiſſima, perfectiſſimaque, cum ſe talem eſſe intelligat, ſequitur eum nil ſe majus concipere. Præterea, is qui omnia ſua poſſidet à ſe ipſo, nullam etiam habet notitiam niſi à ſe ipſo: Ergo nil noſſe poteſt quod ab ipſo non ſit, eſtque ille ſuarum notitiarum menſura, ut ſic dicam: nil igitur ſe ipſo majus novit, alioquin ea notio rei majoris à re à ſe diverſa proveniret, atque in illo eſſet aliam ob cauſam quam ob ipſum, ſive ob ejus naturam, nempe vel ob rem quæ major agnita eſſet, vel ob nihil; quæ omnia de Deo dici nequeunt. Huc faciunt quæ mox de Dei unitate dicta ſunt, nam quibus modis Deum alterum ab ipſo nec eſſe nec concipi poſſe oſtenſum eſt, eiſdem nec ipſo majorem poſſe fingi demonſtrabitur.

V. Ergo omnibus quæ Deus tanquam à ſe diverſa concipit, ipſe major eſt, adeoque inter ejus attributa *Altitudo* eſt agnoſcenda, ipſeque dicendus cum Scripturis Altiſſimus ſive primus, vel cum Scholis *Ens*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Summum, non aliquo reſpectu tantum, ut in genere rerum creatarum, ſed abſolutiſſime, ſuper omnibus quæ ab ullo concipi queant, quippe quæ nec minimum quid univoce cum illo commune habeant, ut alibi demonſtratum eſt: cum tamen minimæ inter creatas res nonnihil cum majoribus commune poſſideant.

VI. Occurrit hic difficultas, quæ quoniam ab Atheis videtur proficiſci, &, ſi diluatur, ad ſequentia ſex attributa, nec non ad præcedentia illuſtranda, confert, hic examinanda eſt. Quandoquidem, inquiunt illi, res quædam non modo concipiuntur, ſed & exiſtere dicuntur Deo minores, ut quilibet de ſe exiſtente affirmat, videtur inde concludendum nullum eſſe Deum, ſive Ens perfectiſſimum, ſummum & Infinitum. Etenim quemadmodum plures Deos exiſtere non poſſe inde concluditur, quod unus, cum infinitus ſit, jam omne capiat quicquid eſt exiſtentiæ & perfectionum, excludatque omnem alium ab ipſo diverſum; ita etiam, inquiunt, non poſſet unus exiſtere qui infinitus & perfectiſſimus ſit, niſi quicquid eſſe poteſt perfectionis & exiſtentiæ ab ipſo differentis poſſideat ita ipſe, ut extra ſe illud plane neget & excludat: nam infinitum & perfectiſſimum in genere Entis excludit aliud Ens, alioqui dici poſſet id non omnia comprehendere, neque omnia eſſe, ſi præter ipſum aliquid daretur quod non eſſet ipſum: adeoque non eſſet infinitum & perfectiſſimum. Unde ſic concludunt; Si Ens infinitum exiſtit, nulla ab ipſo diverſa exiſtunt: Sed multa ab ipſo diverſa, nos nempe, exiſtunt: non igitur exiſtit Ens infinitum.

VII. Ne jam repetam reſponſiones quibus ineptum hoc Sophiſma confutavit Carteſius in reſponſionibus ad ſecundas objectiones; notabo hic, falſiſſimum, imo contradictorium eſſe aſſerere Ens infinitum, ſummum, perfectiſſimumque, debere in ſe ſuaque natura & eſſentia omnis generis perfectiones, realitates & exiſtentias à ſe diverſas, quæ ſibi inferiores, comprehendere formaliter, hoc eſt, qualiter ſe habent, & quales concipiuntur: cum enim in ſe & in reſpectu ad ens infinitum ſint imperfectæ, ſi infinitum illas poſſideret in ſe tales, imperfectiones in ſe contineret, adeoque infinitum non eſſet infinitum, nec perfectiſſimum eſſet perfectiſſimum, ſummumque haberet non ſumma, quod contradicens eſt. Cum igitur natura infiniti iſtas res non comprehendat in ſe & formaliter, ſequitur exiſtentiam ſive poſitionem Naturæ Entis infiniti, ſummi, perfectiſſimique non tolli poſitione ſeu exiſtentia, nec etiam conceptu rerum ab ipſo diverſarum. Ergo ſic erat concludendum, Non dari Ens infinitum, perfectiſſimum & ſummum quod perfectio-

nes

nes creatas vel finitas formaliter in ſe includat, vel formaliter extra ſe excludat: quod conceditur libenter. etenim quemadmodum Ens perfectiſſimum, quia in natura ſua complectitur omnem perfectionem infinitam, ideo extra & præter ſuam eſſentiam omnem perfectionem infitam excludit; ſic quia in eadem ſua eſſentia & exiſtentia nullam capit finitam perfectionem, nullam igitur ejus eſſentia & exiſtentia extra ſe excludit, ſive impedit neceſſario quominus extra ſe exiſtat finita perfectio.

VIII. Ergo abſurdum eſt dicere, Deum non fore Summum & Omnia, ſi quædam realitas ſeu perfectio exiſteret, quæ ipſe non eſſet, quia nempe ſic aliquid, hæc ſcilicet perfectio, ei addi poſſet: Neque enim Deus dicitur Summus vel Omnia, quod ejus eſſentia habeat ſubjective omnia finita & creata, vel hæc ſit ipſa, alioquin eſſet imperfectus, & finitæ res eſſent Deus, quemadmodum etiam dictum eſt eum non dici *ubique* quod ejus eſſentia ſit ubique: ſed in ſe & ſubjective eſt omnia, nempe omnia quæ abſolutiſſime perfecta ſunt, & ſic ſibi ſoli eſt omnia, ut etiam ſibi ſoli præſentem eſſe dictum eſt; reſpectu vero rerum creatarum & finitarum omnia dicitur operative (ut ſupra de *Ubi* & eandem ob cauſam, nam eſſe Dei, & ubi eſſe, unum ſunt) & repræſentative, (ut, ſi placet, hic & alibi interdum cum Scholis loquamur:) ſive, ideo omnia dicitur quia rerum omnium perfectiones ab illo ſolo deſumuntur, eumque ita referunt, ut infinite majores in eo deſignentur. Non itaque dicendum eſt, Deum fore imperfectum & non-Summum, ſi perfectionibus creatis ipſe in ſe & formaliter deſtituatur, tunc etenim illum earum additione perfectiorem majoremque evadere poſſe: Sed contra, ipſius perfectionis & veræ Altitudinis conceptus deſtruitur ſi cum ipſo hæ perfectiones miſceri fingantur. Hinc patet quid de effato illo, *Infinitum in genere Entis ſive Perfectionis excludit quodlibet aliud Ens*, ſit cenſendum: quod vel figmentum eſt, nempe ſi fiat abſtractus conceptus ab omni Ente, qui *genus* vocetur, & tribuatur poſtmodum omni Enti & in ſpecie Deo addita voce *Infiniti* qua fingatur Deum omnia complecti ad quæ iſte conceptus abſtractus extendi poſſet: at tale Ens, tale ſpectrum non eſt Deus. Quod ſi per genus Entis ſeu perfectionis intelligatur aliquid omnes perfectiones tum finitas tum infinitas involvens, iterum eſt figmentum, nil enim tale eſſe ibi demonſtratum eſt ubi probatum fuit finitum & infinitum, ſive Deum & creaturam nil univoce habere commune. Verum autem eſt effatum ſi ſic intelligatur, Ens infinitum non patitur ut in ſe ſit infinitum quod ſit à ſe aliud, neque ut

extra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

extra & præter ſe ſit infinitum aliud, aliud Ens Summum, à ſe, vereque per ſe ſolidum: omne tale revera negat & excludit: præter Deum enim nil dari quod ſit vere ſolidum, ſubſiſtens à ſe, vere reale, ἀρχέτυπον, veriſſimum eſt, omnia præter ipſum non ſunt à ſe ipſis & ob ſe, ſed veſtigia, umbræ, figuræ, tabulæ realitatis ſolidæ, non ipſa realitas. Item hoc ſenſu axioma verum eſt; Ens infinitum non patitur eſſe in ſe, in ſua natura, quodlibet ens finitum & imperfectum, omne tale excludit ab eſſentia ſua, eſſetque contradicens ſi tale quid ex illo non excludi fingeretur. Sed ſi effati pars prior de Ente Summo, maxime ut potente extra ſe operari ſpectato, poſterior de infimo Ente extra Deum conſiderato, efferatur, tunc fallit: falſum enim eſt Infinitum Summum in perfectione ſumma excludere ſive non pati extra ſe eſſe aliud ens in genere perfectionis limitatæ, atque adeo ſui ipſius imaginem vel picturam umbratilem & ab ipſo effectam.

IX. Inde emerſerunt tenebræ iſtæ, quod opificis perfectiones cum perfectionibus opificii male ſint confuſæ. Sed ſi quæ ſupra dicta ſunt de differentia creatarum perfectionum ab increatis teneantur, diſſipabitur omnis obſcuritas, patebitque de Eſſentia perfectiſſimi Authoris omnium eſſe, ut operis ſui perfectiones, utpote quæ dependentes, finitæ, paſſivæ, quædam etiam extenſæ, formaliter non poſſideat, nedum ille eo ſit negandus quod produxerit talia à ſe diverſa opera. Uno verbo, nil naturæ ſummæ, Enti perfectiſſimo infinitoque tribuendum eſt, ei nil addi poſſe ſupponendum eſt, præter perfectiſſimas perfectiones, quas cum jam poſſideat, ſequitur nil ei addendum poſſe ſupponi, neque igitur perfectiones imperfectas finitarum rerum. Infinito quoque, ut hoc addam, exiſtente, finita poni nequeunt, ab alio nempe quod non ſit ens ſummum: At aſſerere Id operationes externas producere non poſſe, & quidem quia infinitum habetur, atque ita potentiam impotentem in illo concipere, aut etiam Id negare quia operationes externæ exiſtunt, inſania eſt eam excedens iſtorum quorum eſt elogium, Stultus dicit in corde ſuo, non eſt Deus.

X. Inſtari tamen murmure ſic poſſe animadverto: Ens ſummum ſi exiſtat, nulla cognoſcere ſe inferiora, adeoque multo magis illa omnia, ſi exiſtat, excludere debere. Quod autem nulla quæ ipſo ſint inferiora, adeoque finita, percipere poſſit & debeat, inde patere, quod perceptio perfectiſſima & mera non requirat alterius quam ſui ipſius perceptionem: nam ſi neceſſario aliud præter ſe percipit & noſcit, ſequitur eam ſolam ſuæ intelligentiæ non ſufficere, ſiquidem ſine alterius à ſe diverſi

diverſi perceptione eſſe non poſſit: quæ autem perceptio alterius perceptione abſente non eſt perfecta, ea perceptio non eſt ſumma ſeu ſumme perfecta, nec eſt Entis ſummi. Cui difficultati non video quî ſatisfieri queat ab illis, qui rerum creatarum ideas neceſſario in Deo eſſe, ab illo concipi ſcientia ſimplicis intelligentiæ, independenteſque eſſe ab ejus voluntate, ſibi perſuadent: At nos eam facile, ut ſuperiorem, eodemque modo, ſolvimus; dicimus enim: quemadmodum nullas perfectiones finitas in ſe complectitur natura Dei, ſic ejus Cogitationem ſive perceptionem eſſentialem, vel intelligentiam ſimplicem & naturalem, nil complecti, quod ut à ſe ipſa, ab ente ſummo, diverſum repræſentetur; & quemadmodum non eſt neceſſe Deo ut ponat extra ſe finita quædam, ſic non eſſe neceſſe ut Deus concipiat & noſcat quædam à ſe diverſa; utque potuiſſet Deus nil à ſe diverſum ponere, ſic potuiſſet nil à ſe diverſum concipere & noſſe; denique quemadmodum ſi placet ipſi ex lubitu quædam ponere, ea non ex neceſſitate ponit, quaſi ipſe ſine illis indigeret, vel non aliter poſſet facere, aut omnino abſtinere, ita ſi ipſi placuit quædam ſtatuere, adeoque concipere, (nam τὸ concipere Dei de rebus ab illo diverſis eſt ſtatuere) ea concipit quidem, ſed non ex neceſſitate, quaſi abſque illorum conceptu ejus Cogitatio deficeret, vel quaſi non aliter noſſe poſſet, aut omnino nil præter ſe ſolum noſſe. Quæ cum nonnullis forte inſolentia videri poſſint, erunt ſequentis capitis argumentum, poſt quod quæ de Potentia, quæ hiſce implicatur, dicenda ſunt, non longe amandabuntur.

CAPUT X.

(9) DOMINIUM ſive AUTHORITAS. vel, Jus abſolutum in Omnia.

§. A.

1. 2. *Mens creata, etſi quibuſdam ſuperior, non habet jus in ullas veritates, nullaſque ponit.*

I. NOvi me Cogitantem, cogitantem de rebus me majoribus, mihi æqualibus, meque inferioribus: Me quatenus cogito non eſſe à me, vidi: modum cogitationis de re me majore à me non eſſe perſpexi quoque, idem etiam viſurus de modis cogitandi qui res mihi æquales vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

me minores repræſentant, ſive, de ideis rerum quarumcunque creatarum, creabiliumve, quas, cum nil eis demere nilque ſuperaddere poſſim, à me video nequaquam pendere. Nam quamvis cogitando, exempli gratia, de materialibus, figuras multifarias mihi fingere videar ad lubitum, hæ tamen non ſunt à me proprie, nec figmenta mea dici debent, cum earum ſit nulla, quæ, ſi in conceptu ſolo ſpectetur, quamplurimas & mei reſpectu immutabiles veritates non includat, quæque adeo non ſit ab alio quam à me: Et quamvis modo hanc, modo illam, modo aliam quam forſan in me nondum animadverti imaginem, etiamſi chymericam dixeris, mihi actu concipere liceat, hoc tamen nequaquam eſt fingere, ſed variare conceptum, & applicare alternatim ad ideas quarum veritates & proprietates à me non pendent. Figmentum eſſet, ſi judicarem extra me ſimile aliquid exiſtere, eo quod illas ita concipio: at id non aſſeritur, ſed contra, quemadmodum nil habet juris, nil dominii, nil authoritatis Mens creata in ullas rerum ideas, formas, naturas, eſſentias, proprietates, veritates, ut mox oſtendetur, ſic nec in earum exiſtentiam, ut demonſtrabitur in poſterum. Quodcunque poſitivi creata Mens judicat in rebus eſſe quod ab alio quam ab ipſa non ſit inibi antea poſitum, id figmentum falſum eſt, nec vere poſitivum. Non eſt conceptus creatus ita efficax, potens, & perfectus ut ullius realitatis ſit verus fictor, nam omnis realitas quæ Deus non eſt à Dei placito non poteſt non eſſe.

II. De me quidem experior mentem meam rerum ideas, ſive eſſentias, ſive naturas, earumque proprietates & veritates, ſeu res illæ ſint ſpirituales, ſeu extenſæ, ita intueri, ut ea in illas ſponte feratur, cum illis congruat, illis conſentiat, eas approbet tanquam veriſſimas: at non illæ ideo ita ſe habent, non ideo veræ ſunt quia illis aſſentior, illas concipio, eaſque eſſe veras approbo. Quæcunque de creata Mente hactenus demonſtravi, & detegam deinceps, à me non pendent, ut neque pendent à me quæcunque de corporum natura ſive eſſentia, de motibus, eorumque regulis, vera poſſunt prædicari. De numeris figuriſque cunctis veritates omnes tales ſunt quales ſe habent, ut nequicquam eis contulerim, taleſque permanebunt, cum omni eo quod recte veri nomen habet, certaque natura & eſſentia eſt præditum, me ſive volente, ſive invito: nam nihil mutationis veritatibus illis poſſum introducere, ut neque eis ſtatuendis quicquam contuli. Adeoque præpollentia illa Mentium præ rebus extenſis, vel quarumdam Mentium creatarum præ me, vel mei præ quibuſdam aliis, iſta inquam præpollentia quam ſupra dixi

me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

me advertere cum concipio ideas rerum (præter Deum) me ſuperantium, vel me inferiorum, non alia eſſe poteſt, quam quod concipiam Deum ſecundum ejus placitum magis à quarumdam natura & regimine, minus vero ab aliis, repræſentari: non autem quod à Cogitatione finita procedat ut quædam, utut minima, concipiat, quorum veritatem magis vel minus ponat vel inferat. Ad hoc requiritur ut quis ſit ſui repræſentativus & ſui ſcopus: ſic enim omne ejus figmentum recte placitum ſive lubitum ſuum repræſentabit, & à ſui ſcopo non aberrabit, adeoque verum erit. Sed præter Deum, nullam mentem talem eſſe vidimus.

§. D.

3. Metaphyſica de tranſcendentalibus, falſa. 4. 5. Omnes rerum ideæ, naturæ, veritates, non ſunt tales ex natura ſua ſive ex ſe ipſis, ſed ex Dei placito, quod antecedenter liberrimum & ad illas indifferens conſiderari debet, ſtatutæ. 6. 7. 8. Demonſtratur ex natura & attributis Dei. 9. Eæ nihilominus Menti ſunt innatæ. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Difficultates. Ex conſideratione Dei quinque ortæ, reſolvuntur. 16. Veritates & eſſentiæ rerum ut ſint immutabiles & æternæ, aut ſecus. 17. Nulla quæ in rebus veritas fluit proprie ex Dei natura. 18. 19. 20. 21. Conſiderationes ex quibus omnes difficultates à reſpectu rerum ortæ poſſunt diſſolvi. 22. 23. Concluditur evidenti hujus doctrinæ expoſitione. 24. Horum utilitas.

III. Deum hoc reſpectu in eandem cum creatis mentibus claſſem fere ab omnibus reponi dolendum eſt, dum nempe docent, quod ille rerum ideas, eſſentias, veritates, concipiat adæquate quidem, ſed tamen ita, ut neceſſario eas concipiat, ut ejus neque conceptus, neque voluntas, ſit cauſa veritatum earum, quippe quæ aliter eſſe non potuerint, quæque dicantur eſſe à ſe immutabiles, veræ & æternæ, & ita cum Deo connexæ, ut ſi non omnes, ſaltem quædam, eæque præcipuæ non poſſint negari, (hoc eſt, ut interpretor, affirmari non poſſit quod illæ potuiſſent aliter ſe habere,) quin Dei natura negetur atque veritas. Quaſi vero fluerent illæ immediate & abſque interventu decreti ſive placiti ex ipſa Dei eſſentia! cum hoc modo Solus Filius & Spiritus Dei ex illo procedant. Emanarunt illæ tenebræ à vana Philoſophia otioſorum & fabuloſorum Scholaſticorum, qui cum Deum ejuſque opera pro objectis ſuarum cogitationum deſpicarentur, figmentis ſuis inhiantes, nobis cuderunt horribilem ſcientiam quam Metaphyſicam vocarunt: non eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quidem quæ in Cognitione Dei & præcipuarum realitatum, ſive veritatum & operationum ab ipſo poſitarum conſiſtens, veriſſima haberi debet, ad quam etiam quæ hic exſtant referri poſſe confido; ſed nonnullam aliam quæ ſit de Ente univerſaliſſimo, de Eſſentia, de attributis tranſcendentalibus, Uno, Vero, Bono, &c. ita ut hæc ſcientia præſcindat à Cognitione Dei & rerum cæterarum, imo eam præcedat: unde quæ concludit attribui poſſint omni enti ſive creato ſive increato, infimo & ſummo. Quaſi ſcilicet cognoſci poſſet aliqua, ſive veritas, ſive bonitas, ſive eſſentia, cujus fundamentum eſſentiale & ratio vera atque ſolida non eſſet Dei placitum! Quaſi veritas ut poſitive independens eſſet conſideranda, aut contradiſtingui poſſet à Dei dependentia & voluntate; cum hoc ipſum ſit! Horribile eſt, quod doceatur aliquid veri de creaturis poſtea prædicandi, eſſe conſiderandum ut tranſcendens reſpectum ad Dei dependentiam & voluntatem ſive placitum. Tenebræ tranſcendentales ſunt iſthæc, noxiumque figmentum dari talem notitiam vere fundatam de re vera, ſive talem ſcientiam, eamque omnium primam, de Ente, Vero, Bono, &c. quo ſic homines magis magiſque aſſueſcerent omnia ſpectare ut non dependentia à Deo: Cum tamen omne verum ſit à Deo, omniſque ejus certitudo & demonſtratio in Dei notitia fundata. Obteſtor quoſvis cordatos, An ex nugis iſtis tranſcendentalibus aliquid luminis, fructus, uſus, extra rixas & tenebras, in ea quæ Deum vel homines concernunt redundans, unquam reportaverint? Miſcet illa falſo nominata ſcientia in anteceſſum omnium Creatorem cum creatura, acſi univoce haberent quædam entitatis, veritatis, bonitatis, cauſalitatis, &c. communia, quod falſiſſimum eſſe undique mox patebit amplius: aut vero fateantur prætenſas ſuas definitiones, enuntiationeſque ſcientificas de Ente, uno, vero, &c. cum Enti creato & Increato non competant univoce, (etenim omnino nil reale vel ſubjective, vel cauſaliter, vel effective Deo & creaturis commune eſt ſenſu univoco) eſſe tantum diſtinctiones & definitiones nominis æquivoci, & eas (ſiquidem relinquant æquivocationem) ineptiſſimas: nominalia autem nullam pariunt ſcientiam. Exemplo lubet has tenebras diſcutere. Cum ajunt, *Ens eſt id quod eſt*, aut nomen *Entis*, quod eſt æquivocum utpote Summo increatoque & infimo ſeu dependenti commune, explicare volunt per voces minus æquivocas, ne maneat ambiguum, quaſi dicerent, *Per vocem Ens notamus id quod eſt ſuum eſſe, ſive cujus eſſentiæ & veritatis ratio in ſe ipſo eſt, nec ultra ſe quæri debet*: quomodo oſtendent ſe Deum deſignare, & aliud membrum, ens nempe dependens, excludere: quod

tamen

tamen ne ſemel quidem monere, ut neque etiam hæc eorum Mens fuit; Aut (quod intenderunt) rem definire volent, quaſi dicerent, *Ens eſt*, hoc eſt, *datur vel concipitur aliqua realitas, eaque univoce communis omnibus* (creatis nempe & increatis) quæ *eſt id quod eſt*, hoc eſt, *cujus communis realitatis natura, idea, eſſentia, veritas, eſt & concipitur in ipſa independenter ab omni re, quaque ipſa eſt ſibi ſuum eſſe, ſua veritas, &c.* quod effatum eſt improbum. Idem eſt de ſuæ tranſcendentalis veritatis definitione, *Veritas eſt conformitas rei cum ſe ipſa.* Hæc Deo ſoli, non vero, ut volunt, ſenſu eodem creatis rebus competit. Sola Divinæ naturæ veritas eſt, cujus eſſentia ſive natura conſiſtit in hoc, ut ſecum ſit uniformis, ſuæque perfectionis menſura: at in creatis, vel quæ circa creata ſunt id abſurdum eſt, nam hæc abſoluta non ſunt, nec ſui repræſentativa. Abſurdus eſſet qui de imagine cujus eſſentia & veritas in eo conſiſteret, ut alicujus placitum repræſentaret, cauſaretur in ea eſſe veritatem, eo quod illa ſibi ipſi eſſet conformis, & ſpectaretur ut independens à quavis alia re, ab omnibuſque præſcinderetur.

IV. Primus quo tenebræ illæ hoc ſeculo ex Philoſophia, unde in Theologiam Scholaſticam & omnia tranſcenderant, utcunque ſunt diſcuſſæ, Celebris Carteſius fuit. Sed cum hæc paucis ex occaſione & obiter tantum, nec ita exacte ſint propoſita [a] ab illo, nec, quod ſciam ab ullo exactius, quæ tamen digniſſima ſunt, & maxime conferunt ad Majeſtatem Dei Summam ſuper omnibus infinite elevatam & Dominantem agnoſcendam & celebrandam; operæ pretium eſt ea diligentius exponere. Sic dediſcemus tribuere Deo imperfectiones noſtras, qui volumus eum veritates concipere quas prius non determinaverit ipſe tales, ſed jam ut determinatas invenerit; cum tamen nos ipſi in praxi nos ita geramus, acſi voluntates ſive affectus noſtri erga objectum aliquod importarent in objectum illud veritates & qualitates quas inibi eſſe volumus: quomodo in theoria quod eſt noſtri Deo damus, in praxi quod eſt Dei affectamus.

(a) In Reſponſionibus Quintis, num. 1. & Sextis num. 6. & 8. Item epiſt. 104. in Tomo II.

V. Dico igitur, Deum concipere neceſſario, neceſſitate naturæ ſuæ, veritates illas quæ de illo ſunt, quæque ejus naturam, eſſentiam, attributa, immediate ſpectant, & illum nunquam fuiſſe ad has indifferentem. At non item de veritatibus quæ ideas, eſſentias, proprietates omnium eorum quæ ipſe Deus non ſunt, concernunt, ſive exiſtant, aut ſolum concipiantur, ſive ad Mentium naturam aut ad corpora, eorumve motus, regulas, ad figuras, aut ad numeros, aut alia quævis, referantur. Nam ideo eas tales concipit & cogitat Deus, non quod eæ ex ſeſe ſint tales im-

mutabileſque, ſed quod ipſi placuerit eas tales ſtatuere: adeo ut veritates illæ ſint dependentes à Dei placito, & veræ, quia Deo eas placuit ſic ſtatuere. Atque placitum iſtud, (ſive voluntas) quo hæcce ſtatuit Deus, concipiendum eſt ut indifferentiſſimum ex natura ſua ad hæc ſtatuenda vel plane omittenda, vel diverſa decernenda. Quomodo vel nullæ, præter illas quæ ipſam Dei eſſentiam concernunt, fuiſſent veritates, vel omnino aliæ fuiſſent quam quæ ſunt hodie. Imo, quod plus eſt, ita Deus horum omnium reſpectu concipiendus eſt, ut poſtquam veritates illæ ideales, eſſentiales, propriæ, &c. ad tempus uſque præſens duraverunt, potuerint deinceps immutari, aliæque vel nullæ prorſus, ſtatui, ſi hoc ei placuiſſet; adeo ut quæ jam ſunt, non ſint in ſe & ex ſe immutabiles, tametſi poſſint eſſe, ut revera ſunt, immutabiles ex placito Dei: nec enim habemus cauſam ſuſpicandi Deum illas ſtatuentem ad tempus ſtatuiſſe, cum placeat ei ſuum placitum, & tanquam bona probet quæcunque vel fecit, vel ſtatuit; nec ſit quod is illas deſtruat hac de cauſa, ut ſcilicet omnia à placito ſuo pendere oſtendat illis, qui eum hac gloria ſpoliant: nam & hi cum omnes mutatæ fuiſſent veritates, etiam ipſi fuiſſent mutati, neque eorum cognitiones manſiſſent; & id ipſum, quod in cauſam allegatum eſt, jam oſtendit Deus luculentiſſimis in omnium Mentibus teſtimoniis, quæ facile eſt agnoſcere ſi ad ſequentes demonſtrationes bene attendatur: nam eæ in hoc principium reſolvuntur, quod Deus non ſit confundendus cum illis quæ non ſunt Deus, ſive, quod ſolus Deus ſit Deus; & effata aſſumpta ex ſupra demonſtratis ſunt.

VI. Deus eſt unus. Non eſſet Deus unus ſi conciperet aliquid à ſe diverſum & tamen ſibi univocum, ſeu habens ſecum ſimilem radicitus & eſſentialiter proprietatem. Ergo præter ſe nullum concipit verum neceſſarium, nullum immutabile per ſe.

VII. Solus Deus eſt perfectiſſimus. Ergo ſola ejus Eſſentia eſt ſumme & abſolute neceſſaria: nam abſoluta ſimpliciter neceſſitas ſumma eſt perfectio. Neceſſitas abſoluta Cogitationis de objecto perfectiſſimo excludit neceſſitatem abſolutam Cogitationis de objecto imperfecto, nam ea opus non habet, eſſetque imperfecta ſi ea opus haberet. Præterea, abſoluta neceſſitas eſſentiis & veritatibus finitis ſive non perfectiſſimis tribui nequit, quin tribuatur eis una ex perfectionibus ſummis, & conſequenter omnes: quod in Deum peccat. Unde ſequitur eas omnes, finitas nempe, non eſſe ſumme & abſolute neceſſarias, id eſt, non eſſe abſolute & neceſſario id quod ſunt, adeoque abſolute loquendo, de iis aliter eſſe potuiſſe.

VIII. So-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VIII. Solus Deus eſt à ſe poſitive, id eſt, Solus ille eſt, qui talem habet naturam, eſſentiam, tales proprietates veritateſque, quarum ratio reddi poſſit ex conſideratione rei ipſius, ut non ſit opus ad aliud objectum ſe conferre & ulterius provocare. Atqui hoc attributum ab eo ad aliud raperetur, ſi præter ipſum fingeremus quaſdam eſſentias, veritates, naturas, &c. tales eſſe, ut ſi de illis quæreretur, cur eſſent tales? cur veræ? ex harum unarum inſpectione poſſet reſponderi, ideo tales eſſe, quia talis eſt earum natura; tales eſſe à ſe ipſis ab æterno; Deum non aliam ob cauſam illas tales concipere, quam quoniam ipſæ tales ſunt. Perinde dixeris dari eſſentias, naturas, veritates, à Deo independentes, à ſe ipſis autem dependentes, vel ſibi ipſis ſufficientes, quod ita Deo injurium eſt ut non putem ullum hæc percipientem ea deinceps probaturum, nam hæc important Dei dependentiam à rebus ab ipſo independentibus. 1. Cogitationis Dei complementum non penderet ſive non eſſet à ſui ſolius intelligentia, ſiquidem aliud eſſet quod Deus præter notitiam ſui neceſſario requireret, ideæ nempe rerum & veritates quæ neceſſariæ dicuntur. Illud autem quod non haberet id quod eſt neceſſario requiſitum, completum non eſſet, atque ita complementum cogitationis Divinæ penderet à quibuſdam quæ Dei natura non ſunt, quæ ab ejus voluntate independentia finguntur, & quibus ille carere non poſſet. 2. Non eſſet Ens ſibi acquieſcens, ſe ſolo gaudens, ſi aliud præter ipſum eſſet verum quo neceſſario ille frui deberet. 3. Non eſſet independens à ſcopo vel motivo à ſe diverſo, ſi aliquid noſſet & vellet tanquam verum & bonum, ea de cauſa quod illud jam antea tale fuiſſet. 4. Denique notitia & perceptio Dei, cum ejus Natura, penderet ab illis quæ non ſunt Deus. unde enim Deus, qui has novit eſſentias & veritates, notitiam illarum habet? an ab illis, aut vero à ſe ipſo? Quis dicat Deum ab illis cognitionem earum habere? Ad Deum ipſum recurrendum eſſe patet. At in eandem incidemus abſurditatem, imo in majorem ita quam evitare conabamur, niſi ad Deum recurramus tanquam ad cauſam earum rerum liberrimam, & plane ad eas prius indifferentem; aſſerere enim Deum res iſtas concipere neceſſario, quia ſuam ipſius naturam concipit, adeo ut illæ neceſſario conceptui ipſius naturæ ſic ſint connexæ ut in eo includantur, idem eſſet acſi quis aſſereret, non poſſe Dei naturam ſine illis concipi, unde qui eas negaret, naturam eſſentiamque Divinam etiam tolleret, quemadmodum una perfectione Dei negata, etiam negantur cæteræ. Igitur natura Dei ab illis penderet eo ſenſu quo dici poteſt eam à ſuis perfectionibus pendere, hoc eſt, in illis

& per

& per illas exiſtere. Quæ cum manifeſte falſa ſint, neceſſario fatendum eſt, aut notitiam Dei de illis rebus aliunde quam à Deo procedere, adeoque aliquid eſſe reale, eſſentiale, verum, bonum, quod non ſit ipſe Deus, quodque tum intellectum Divinum ad ſui cognitionem ita determinaverit, ut hic non aliter potuerit id concipere, quippe quod ab illo non pendeat, tum voluntatem Divinam inclinaverit ad id independenter ab ipſa approbandum: quod jam falſi convictum eſt; aut concludendum eſt, ut vere, omnia illa à placito & lubitu Dei tanquam prius indifferenti ſpectato pendere, eaque talia eſſe qualia ſunt, eſſentialia nempe, propria, vera, bona in ideis (neque enim de actuali exiſtentia hic ſermo eſt) quia placuit Deo velle hoc ita eſſe; Deumque illa concipere talia, quia novit ſuum placitum de illis, ſcitque ſe indifferentem prius fuiſſe, & aliter potuiſſe ſuum placitum determinare. Sic Summus Dominus eſt, à nullo ullatenus ullo ſenſu pendens, à cujus arbitrio liberrimo omnis quæ ipſe non eſt veritatis Authoritas pendeat. Aliæ hujus demonſtrationes ex aliis attributis prætermittuntur, cum hæ ſufficiant.

IX. Atque hæ ſunt origines idearum & veritatum omnium à natura Dei differentium, ſive materialia, ſive ſpiritualia ſpectent. quæ quamquam reſpectu Dei proprie innatæ & naturaliter ejus conceptui impreſſæ dici non poſſint, ſunt nihilominus innatæ cuivis creatæ Menti, eique naturaliter ita inſculptæ, ut diverſum ab illis nullatenus concipere poſſit. Et quemadmodum Rex aliquis monetam novam excogitare, vel novas leges ſtatuere valet, quas, ſi poſſet, in animis ſubditorum ita imprimeret, ut per ſe notæ innatæque haberentur; ita quoque nil impedit quin Deus ideas veritateſque omnes cum earum legibus finxerit & excogitaverit ex lubitu, caſque inſcripſerit ita mentibus, ut non poſſint concipi non veræ notitiæ innatæ, earumque contrarium ab ullo bene attendente non poſſit non haberi ut falſum, id eſt, ut non ſtatutum à Deo. Utque peritus Pictor nonnunquam figmenta non contemnenda gratis effingit delectabundus; ſic viſum eſt Beatiſſimæ Menti ſibique Soli ſecum ſufficientiſſimæ ex libero & ſuperabundanti placiti lubitu ludere, (ut illa de ſe in Sacris Scripturis ait) & ludibundæ inſtar fingere quæ delectabunda in conceptu ſuo contemplaretur, exhibituræ poſtea extra ſe per potentiam ſpecimina nonnulla luſorum figmentorumque ſuorum, ſed talia, quæ Mentem perfectiſſimam, ſufficientiſſimam, ſumme intelligentem, ſumme ſapientem, cujus ſtultitia omni ſapientia imaginabili celſior eſt, non male decerent. Ita etiam luſit in humanis divina placentia rebus.

X. Diſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

X. Difficultates forte non paucæ occurrent illis qui hæc nondum penitius ſunt ſcrutati, quæ ex conſideratione tum Dei concipientis & ſtatuentis, tum rerum ab eo conceptarum & ſtatutarum, poſſent emergere. Harum præcipuas conabimur è medio tollere. Ex reſpectu ad Deum hæ oriuntur.

XI. Primo, negandum eſſe non videtur Deum ſcire quid poſſit vel velit ſtatuere, aut ſecus; adeoque ſcientia vel conceptus præcedit ſtatutum. Sed qui hoc dicunt, præſupponunt eſſe quid diverſum à Deo quod ante Dei arbitrium ſeu placitum, habeat veritatem & poſſibilitatem à parte ſui. quod eſt πρῶτον ψεῦδος. *Deus*, inquiunt, *ſit quid*, &c. quid eſt illud *quid?* Non datur nec concipitur ullum quid ante Dei placitum. Abſurdum eſt dicere, Deum concipere vel ſcire id quod pendet ab ejus decreto priuſquam pendeat ſive pendere concipiatur, vel quaſi non penderet ab illo: noſſe id ut antecedens ejus placitum, cujus idea eſt placiti conſequens.

XII. Secundo, ex eo quod dictum eſt Deum ad has veritates indifferentiſſimum potuiſſe eas plane non ſtatuere, adeoque nec concipere, nec ſcire, videtur ſequi in Deo, ſiquidem potuiſſet veritates omnes quæ jam præter ipſum ſunt, neſcire, ignorantiam ſic dari potuiſſe: cujus abſurdi removendi gratia, antecedens, unde fluxit, tollendum fuerit. At, qui hoc putarent, neſcirent ipſi quid eſſet ignorantia. Ignorantia ſupponit eſſe objectum ſcibile & verum, eaque non datur ubi nil tale eſt: atqui nil tale eſt ante ſtatutum Dei, ut demonſtratum eſt. Ille à cujus ſtatuto omnis veritas pendet, & qui non novit quæ non ſtatuit, non eſt dicendus ignorans: non magis quam dici poſſit in Deo eſſe ignorantiam, quia non novit muſcas eſſe homines, ut neque novit omnes homines fore æternum beatos.

XIII. Tertia difficultas hæc eſt. Si ideæ & veritates potuiſſent aliter à Deo ſtatui & concipi, Dei conceptus eſſet mutabilis, vel potuiſſet aliter ſe habere quam ſe jam habet, & ſic in illo eſſet poſſibilitas varietatis: quod offendit in ſuperiorem demonſtrationem de activitate Dei. Hæc objectio omnium ſpecioſiſſima & validiſſima primo adſpectu videtur, quæ tamen omnium debiliſſima & abſurdiſſima deprehendetur, ſi animadvertas (1) non hic ſermonem eſſe de conceptu quem de ſe ipſo habet Deus, quemque ad Intelligentiam ſupra retulimus. Ille Dei de ſe conceptus non potuit nec poteſt aliter ſe habere, quia Dei naturæ ſive eſſentiæ nil vel à ſe vel ab alio de novo accidit vel accidere potuit: at (2) de conceptu quem habet Deus de illis quæ ipſe non ſunt, idem judicandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

non eſt, cum ſit conceptus placiti ſui indifferentiſſimi, alia ſpectantis, non autem naturæ ſuæ abſolute neceſſariæ ad ſe ipſam relatæ. Equidem nequaquam puto Dei ſcientiæ ſive conceptui aliquid diverſitatis aliunde poſſe accidere: quod activitati repugnaret; neque in illo vel contraria, vel diverſa per modum ſucceſſionis eſſe poſſe: qua in re cum mutabilitas ſive variabilitas proprie conſiſtat, eam etiam rejeci: Sed aſſero, non eſſe in Dei natura neque in ejus placito ea de cauſa imperfectionem, quod potuerit aliter ſtatuere, decernere, velle, adeoque aliter concipere ſtatutum, decretum, placitum fuiſſe. Quin contrarium deſtruit tum activitatem Divini conceptus, conceptus enim qui formam & veritatem aliquam à ſe diverſam concipit cujus ipſe cauſa non eſt, quamque abſolute aliter concipere non poteſt, non eſt activus, ſed paſſivus; tum Dei libertatem in rebus producendis: nam illas non potuiſſet alio modo efficere exiſtentes, niſi potuiſſet illas aliquo ſaltem modo diverſas concipere: quæ diverſitas ſi Dei conceptum non dédeceat, neque etiam illa quam aſſerimus. Eſt equidem potentia aliter ſe habendi imperfectionis nota in creatis rebus, quia receptionem & dependentiam dicit: ſed in Dei, non dico natura, at, placito, ſive conceptu de omnibus quæ ipſe non ſunt, eſt mera activitas & perfectio, qua Deus concipit ſe nulli præter ſe ex neceſſitate eſſe alligatum. Radix erroris in eo eſt, quod ut noſtrum concipimus, ſic Dei conceptum velimus conſiderare, nempe ut rem recipientem: cum tamen ſit principium ſumme activum, ſive placitum liberrimum, de quo omnium reſpectu hoc Auguſtini dixeris, *Quia vides* (ſive concipis) *ea ſunt*: vel, quia placet, ea ſunt. Et cum nemo dubitet potuiſſe Dei voluntatem placitumque de rebus, ſaltem nonnullis, v. g. de me exiſtente, &c. aliter ſe habere, adeoque Deum potuiſſe aliter concipere ſuam voluntatem determinationemque placiti ſui, neque tamen ea ſequi quæ mox objiciebantur; non video cur hoc ad omnia quæ diximus non extenderint, niſi quia omnia non ſpectarunt ut à Summo Domino dependentia.

XIV. Quarto objici poſſet, ſi hanc veritatem, ternarius numerus eſt major binario & non continet bis duo -- mutare vel non-ponere fuiſſet Deo indifferens, Ergo in Myſterio Trinitatis, quæ ipſe Deus eſt, alia veritas eſſe potuiſſet: aut vero numerorum veritates abſolute ſunt neceſſariæ, & immutabiles ſimpliciter. Reſpondeo, de veritatibus quæ non ſunt ipſiſſimus Deus eſſe hic quæſtionem, nón de iis quæ Deus ipſe ſunt: Præterea, numeros qui in Deo ſunt, non eſſe univocos cum illis qui in creatis concipiuntur, non ejuſdem realitatis, non veritatis cum illis univo-

univocæ: adeoque non licere ex unorum veritate & proprietate de aliis judicare. Umbra ſunt hi ultimi, eaque non habens immediatam relationem ad priores, ſed ex arbitrio Dei aliter diſponere potentis.

XV. Denique difficultas oriri poſſet, ex eo quod Deus juſtus & verax prædicetur, quo ſignificatur, Deum ſalva ſua juſtitia & veritate non poſſe aliter diſponere, judicare, ſtatuere, quam facit & facturus eſt, ſaltem de plurimis. At, Juſtitia Dei dicit quidem quæ ſtatuit ea modo ipſum decenti ſtatuta eſſe; Veracitas vero, Eum illa quæ ſtatuit certo modo ſe habitura & duratura, non eſſe mutaturum: Sed non inferunt eum non fuiſſe prius cauſam horum liberrimam, neque fuiſſe indifferentem vel ad nulla ſtatuenda, vel ad alia ſtabilienda quæ æque eum decuiſſent, quæque ſi illi placuiſſet, vel certo, vel nullo tempore fuiſſent limitata.

XVI. Aliæ ſunt difficultates quæ vel ex conſideratione rerum, vel ex præjudiciis circa ipſas veritates procedunt, vel ex axiomatibus ambiguis & in ſequiorem partem vulgo intellectis. Ultimæ hujus claſſis hoc effatum in exemplum eſto: *Rerum naturæ, ſive eſſentiæ, ſive formæ, ſunt immutabiles & æternæ*, ab ipſo etiam Carteſio propoſitum in quinta Meditatione & defenſum in reſponſionibus quintis: quod tamen videtur hactenus aſſertis opponi. Reſpondeo, axioma verum eſſe ſi de immutabilitate loquatur quam Deus ſtatuerit, dum nempe ei placuit quædam non eſſe mutanda: item ſenſu vulgari æterna dici poſſe quorum poſitionem nullum anteceſſit tempus, vel potius quæ Deus æternus concipit ſine ſucceſſione, quæque nunquam deſinent eſſe: ſed hæc non deſtruere ea quæ prius dicta ſunt. Nam quamvis Deus ab æterno quid conceperit, ſtatueritque id mutandum non fore, non ſequitur tamen eum id neceſſario concepiſſe & ſtatuiſſe, neque diverſum potuiſſe. Me v. g. ab æterno, qualis ſum, concepit, Mentem immortalem ſtatuit: quis ideo dicat eum non aliter potuiſſe? Nil igitur ſe ipſo valet ſimile ratiocinium, adeoque nec rerum non modo exiſtentiæ, ſed & eſſentiæ, eſt applicandum. Quod ſi de immutabilitate independenti abſolutaque, & de æternitate proprie ſic dicta axioma intellectum velint, falſum eſt omnino. Sola Dei natura proprie æterna eſt excluſive ad omnia, ut plenius demonſtrabitur, ubi ſuus acceſſerit locus, appoſita hujus difficultatis luculentiori diſcuſſione: Sola etiam Divina eſſentia eſt immutabilis abſolute, nec eſt de ratione veritatis ab ipſa diverſæ ut ſit immutabilis. Cogito de Mente, ſcribo, lego, veritates ſunt (etſi de exiſtentia rerum) quas Deus voluit mutabiles & ceſſaturas, ſunt tamen veri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tates. Atqui ſi res cæteræ, earumque veritates & Eſſentiæ abſolute ſpectentur, id eſt, ſine reſpectu ad poſitionem determinationis placiti Divini, rerumque inter ſe connexionem, (quæ ejus effectus eſt) non majori nexu Deus cum quibuſvis de quibuſcunque rebus, formiſque præter ipſum adhæret, quam cum hac veritate, Ego de Mente cogito, vel lego. nam ad omne quod ipſius natura non eſt, is ex natura ſua eſt indifferens.

XVII. Adeoque ex præjudicio eſt quod in adverſum inſtar legis adferatur, veritates multas fluere ex Dei natura; repræſentare ita Dei naturam, ut non poſſint mutari vel negari quin eo ipſo negetur vel mutari concipiatur Dei natura, earum imaginum originale & exemplar. Ex Dei natura nil præter ipſum Deum, Filium nempe & Spiritum Sanctum, fluit. Placitum, idque antecedenter indifferens, non vero natura, eſt origo & vita cæterorum omnium. Quæ repræſentant Deum, repræſentant mediante placiti libera determinatione. Nulla materia ex ſe apta eſt, nil ex ſe capax eſt repræſentandi Deum: nam extra Dei naturam neceſſariam, univerſaliſſimum *nihil* eſt. Deus nullam habet imaginem umbratilem (non loquor de ſolida, quæ ipſe Deus eſt) umbratilem inquam imaginem non habet ex neceſſitate naturæ ſuæ, ſed ea imago, ejus natura & eſſentia, eſt ex abundanti & gratuita indifferentiſſimi liberrimique placiti ſui liberalitate & bonitate. Eam ſi noluiſſet ſtatuere Deus, ſequeretur tantum, ſolam ſuam naturam ſibi voluiſſe placere, non autem ſe ipſum ſibi diſplicere: quia contra, ſi imaginem ex neceſſitate ſtatuiſſet, oſtendiſſet ſe aliqua re à ſe diverſa carere non poſſe, ſe aliqua re opus habere, ſeque adeo non plane ſibi acquieſcere, neque ſe, ut ſolus eſt, ſibi omnino placere. Si quæ creatura negaret jam illas, quæ Dei ſunt, imagines, non quidem directe & immediate negaret Dei naturam, negaret tamen Deum quatenus ipſi placuit ſic ſe repræſentare: nam etſi Deus non habeat nexum cum alterius rei veritate, natura, &c. habet tamen nexum cum ſe ipſo & cum placito ſuo, quatenus ipſi placuit ſe determinare, & velle aliquid tale, verum, bonum, eſſentiale, eſſe & fore. Id jam concipi nequit aliter eſſe nunc poſſe vel debere: non quidem ob rem ipſam, ſed quia non poteſt concipi, Deum aliter velle quam vult, voluiſſe quam voluit: non poteſt concipi Deum placiti ſui conſenſui non conſentire, ab eo diſſolvi, res aliter effecturum & poſiturum quam ſtatuere voluit, & ſi libere voluit, & potuit non velle. ex hypotheſi autem quod voluerit, quia à ſe ipſo ſtatuente non ſeparatur, contrarium concipi non poteſt. Sed extra hanc hypotheſin,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſin, coram ejus Eſſentia Summa omnis omnium eſſentia, forma, natura, veritas, bonitas, &c. univerſaliter & abſolute in merum Nihil evaneſcunt. Et huc forte reſpexerunt Theologi nonnulli ex veteribus, dum dicerent, Dei eſſentiam eſſe ſupra omnem eſſentiam, ejus Bonitatem eſſe ſuper-eſſentialiter Bonam, Eum ſuper-eſſentialiter verum, unum, &c. vel pluſquam unum eſſe, pluſquam verum, & ſimilia.

XVIII. Quia vero ex conſideratione rerum ſingularum infinita poſſent objici ut ad abſurdum ducentia quæ invicta viderentur, v. g. ſi quæreretur, An Deus ex Dominio illo Summo, ſummaque indifferentia ponere poſſet circulum quadratum, triangulum rotundum, creaturam à Creatore independentem? An odium Dei poſſet bonum fieri, ejuſque amor quoad naturam ſuam mutari, & malus devenire? An mens ſine Cogitatione eſſe poſſet? aliaque quæ ſingulatim recenſeri & refelli non poſſent; commodum erit, nonnullas hic obſervationes conjicere, ex quibus minus attenti ſeſe difficultatibus quibuſvis liberare valeant, nam cæteroquin attendentibus conſtare poteſt, omnium objectionum crypticas refutationes in præcedentibus latere.

XIX. Obſervetur primo, ſub prætextu hujus Dominii abſolutiſſimi in omnia, multa objici poſſe, quæ, etſi videantur doctrinam hanc impugnare, eam tamen plane non concernunt. Ex. gr. cum Dei placitum, quod prius indifferens, tandem determinatum eſt, abſurdum eſt quærere, an cum eſt determinatum poſſit eſſe non-determinatum in ſenſu compoſito? vel, an determinatum qua tale, ſit etiamnum indifferens? Ejuſmodi abſurdum, quod ſic impugnari creditur, nemo, quod ſciam, protulit. Atqui id præſupponunt qui petunt, an Deus ex abſoluto Dominio poſſit facere, ut quod factum vel ſtatutum eſt, non fuerit factum; & ut quod per aliquod tempus verum fuit, de eo verum ſit poſtea, id nunquam plane verum fuiſſe? Hoc eſt ipſum Deum concipere ut à ſe determinatum & non-determinatum, ſtatuentem & non ſtatuentem, volentem & non volentem, ſuſtentantem & non ſuſtentantem ſimul, probantem & non probantem, ponentem & non ponentem eandem operationem. Idem eſſet acſi quæreretur, An poſſimus concipiendo Deum eſſe actu poſitorem rei alicujus, eo ipſo concipere eum eſſe non-poſitorem hujuſdem rei, ſive, an Deus ſit non ſtatuens dum ſtatuit? Abſurda hæc ſunt, quibus objiciendis ne minimam quidem occaſionem dederunt quæ ſupra ſunt dicta. (ut neque quæ infra de potentia, ad quam poſſis omnes referre difficultates quatenus exiſtentiam ſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ctant, deducentur.) Nemo Dei Dominium Potentiamque concepit unquam, tanquam ſi extenderetur ad quid agendum & non agendum ſimul. Atqui hoc ſtatuere oportuiſſet ut hiſce objectionibus occaſio fuiſſet data. etenim ad hoc ut verum ſit id quod fuit non fuiſſe non obſtante quod fuerit, vel ut creatura ſit à Creatore independens, concipiendus eſt Deus tanquam ſi ſimul ſtatuiſſet & non ſtatuiſſet, utque ſimul creans, ſuſtentans, & non creans, non ſuſtentans. Equidem Dominium Dei abſolutum bene & vere concipitur ſub notione indifferentiæ ad infinita captum meum ſuperantia ſtatuenda diverſimode pro placito; at non ſub notione agendi & non agendi ſimul. adeoque nullos feriunt objectiones ſimiles præter eos qui abſurda hæc propoſuiſſent. Libet vero præ cæteris mirari, quam appoſite per modum objectionis quæratur, an veritas hæc, Creatura pendet à Creatore, poſſet à Deo mutari? Docent alii, creaturas, reſpectu ſcilicet eſſentiæ, ideæ, veritatumque ibi contentarum, à Dei voluntate non dependere: quæ autem hactenus dicta ſunt, eo redeunt, ut oſtendant non modo exiſtentias, ſed & eſſentias, & veritates creaturarum, nulla excepta, à ſola Dei voluntate abſolutiſſime pendere, ut ſine ejus placito nil plane ſint. Jam obmurmuratur, utrum inde non ſequi poſſet creaturas ab illo non pendere? Recte & convenienter admodum! Sic ſuos ſubtiliter & circumſpecte ducit contradicendi ſtudium.

XX. Secundo, obſervandum eſt, omnes rerum ſive idearum *proprietates* à rebus & ideis ipſis non eſſe diverſa quædam, ſed res ideaſque ipſiſſimas, quatenus non ſubſiſtitur eorum conceptui generali, ſed particularius & penitius inſpiciuntur. Unde abſurdum eſſet per modum objectionis in præcedentia, quærere, Utrum manente rei eſſentia, ejus proprietas mutari poſſet vel potuiſſet ex abſoluto illo Dei Dominio? Exempli cauſa, utrum dari potuiſſet circulus quadratus, hoc eſt, figura cujus lineæ à centro ad circumferentiam eſſent æquales, nec tamen (quod eodem recidit) radii vel diametri omnes eſſent æquales? Hoc recidit in abſurditatem præcedenti obſervatione rejectam, cum idem ſit, acſi quæreretur, an res ſic poſita dum ita ponitur ſit non ita poſita uti eſt? ſive, an Deus ſit ſimul quid ponens & non-ponens? quod cum ratione nobis objici nequit. Huc redit quæſtio, an poſſint res à Deo ſtatui quæ ipſum non repræſentent ullo modo, quæque ei repugnent? Eſt ipſa rerum eſſentia reconditiſſima & intima, quod ſcilicet ſint effectus ſive ſequelæ placiti Dei, adeoque ipſum præ ſe ferant, oſtendant, ejuſque ſint repræſentationes. Hoc eſt ipſum τὸ eſſe rerum, ut cuivis

ſerio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſerio philoſophanti patet. Sic igitur quæſtio eſſet, an res poſſint eſſe non-res in ſenſu compoſito? ſive, an Deus ſit ſimul ponens & non-ponens? quæ inepte adferuntur.

XXI. Atque adeo notandum eſt tertio, (quod præcedentis obſervationis ſequela eſt) ad doctrinam hancce recte percipiendam, utendum eſſe abſtractione univerſali ab omni re, idea, eſſentia, natura, forma, veritate, &c. quæ Deus ipſe non ſunt. Nam ſi quis ideam aliquam, præſertim generalem, retinens, quærere velit, an hac manente cæteræ particulares (illam proculdubio involventes) mutari poſſint? quicquam objiciendi erit incapax. Rediret enim prima abſurditas objicientium, quaſi dictum fuiſſet rem eſſe non rem in ſenſu compoſito. Igitur abſtrahendum eſt ita, ut cogitetur, Deum omnino veritates eſſentiaſque alias quàm quas jam habemus, ſtatuere ex indifferentia potuiſſe, quo ſuppoſito, quæ jam ſunt veritates omnino nihil eſſent, nec magis poſſent concipi quam quæ non ſtatuit Dominus. Itaque corruunt quæ de numeris, figuris, &c. objiciuntur: nam qui in his difficultatem quærunt, præſupponunt ideam extenſionis & numeri, & interim volunt illam, quam reſtantem conſiderant, excluſam à particularibus ſuis ſubjectis. Non itaque dicendum eſt, Deum ſtatuere potuiſſe ut 2 & 3 non eſſent 5, vel numerus, impar, & ſimilia: neque aſſentior Carteſio [a] dicenti, fieri potuiſſe ut contradictoria falſa non eſſent, nec trianguli tres anguli duobus rectis æquales: ſolutiones quoque ſimilium difficultatum quas ibi proponit non puto eſſe omnes admittendas. perinde quaſi numerorum vel linearum ideæ ſeorſim reſtarent, eorum vero combinationes aliter ſe habere poſſent: etenim ipſorum combinationes ſunt ipſorum natura & ideæ ſimul conceptæ. Idem ergo eſſet acſi aſſereretur, figurarum numerorumque naturam manere, ſimulque non manere, quod in Dei placitum ſi reſolvatur, ponit Deum ſtatuentem & non-ſtatuentem ſimul. Simplices linearum numerorumque ideæ etiam cum cæteris evaneſcunt coram Dei abſoluto Dominio. Nec dici poteſt ex dictis ſequi, extenſionis idea remanente figurarum veritates poſſe mutari, cum de eſſentia materiæ non ſint. non ſunt quidem de ejus eſſentia ſi hæc generalius & indeterminata ſpectetur: ſunt tamen de eſſentia materiæ ita determinatæ à ſuo Authore, qui non ideo hoc reſpectu ſummus Dominus dicitur quaſi materiam hoc modo diſponens, eſſet hoc ipſo eam alio modo diſponens; quod extravagatur. Ita etiam quæ de Dei amore vel odio ſunt objecta, repulſanda ſunt: talia enim objici non poſſunt quin præſupponatur natura, idea ſeu eſſentia Mentis, id eſt, placi-

(a) Vid. Epiſt. 115. Tomi primi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

placitum Dei de ſe ipſo repræſentando per cogitationem umbratilem de cujus natura eſt ut ad Deum tendat, quemadmodum in lib. 11. demonſtratum eſt. Ergo abſurdum eſt ſi quis præſupponat hoc fieri & reſtare, & tamen ſimul velit concipere hoc non fieri, aut contrarium, ſenſu compoſito, recte ſtatui. Amor præſupponit Mentis naturam, hæc voluntatem ſive placitum Dei ſeſe hoc modo adumbrandi, qua poſitione concepta & etiam ſubſiſtente abſurdum eſt uti ad diruendam aliam, quæ niſi per abſtractionem ab hac ipſa non concipitur, quamque ſuppeditat conſideratio Divinæ Eſſentiæ ſolius neceſſariæ & independentis, ejuſque erga cætera indifferentiæ, qua per alia neſcio quæ, quam per naturas rerum omnium quales jam ſunt, potuiſſet ſe ipſum repræſentare ſi voluiſſet Deus.

XXII. Inculcabo clarius, vel ad faſtidium, ne nullus capiat. Inter illa quæ de rebus præter Deum concipimus, ſunt, Primo, Ideæ primitivæ, v. g. noſtræ Cogitationis, extenſionis ſive ſpatii, figurarum ſimpliciorum, numerorum & aliorum in theoreticis; in practicis vero, ideæ boni, amoris, & ſimiles. Secundo, principia prima ſeu axiomata, tum theoretica, qualia ſunt ex. gr. geometrica axiomata; tum practica, qualia ſunt, verbi cauſa, principia moralia ſive ſynthereſeos, ut vocantur: quæ omnia dicuntur indemonſtrabilia, quia per clariora demonſtrari nequeunt; & innata, non modo quia cum natura Cogitationis noſtræ certo modo nectuntur, ſed etiam quia mentem ſic diſpoſuit Deus, ut ſi hæc de illis cogitet, ſtatim ea nullo intercedente ratiocinio, videat eſſe vera. Sunt, tertio, ideæ ex illis compoſitæ, & concluſiones ſpecialiores, tum in theoreticis, quales ſunt, v. g., geometricæ propoſitiones; tum in practicis, ut concluſiones morales: quarum omnium veritas non patet per ſe primo aſpectu, quæque ideo falſæ vel obſcuræ à mente obſcura poſſent haberi, non autem à mente attendente & ratiocinante. Jam, quæ hic de dependentia & mutabilitate veritatum omnium à Deo dixi, non ita capi debent, acſi ſolummodo de veritatibus tertiæ hujus claſſis dicta eſſent, dum quæ ſunt primæ & ſecundæ ſupponerentur remanere: nam cum ultimæ hæ ſint ipſæ primæ & ſecundæ penitius conſideratæ, poneretur contradictio in ipſa una Dei determinatione, ſive in Deo ſtatuente & non ſtatuente ſimul idem. Sed quæ ſunt dicta extendenda ſunt ad omnes ſine ulla exceptione etiam ſimpliciores primæ & ſecundæ claſſis ideas & veritates, à quibus eſt abſtrahendum, ſive quas tranſcendere oportet, ut Divinæ Authoritatis in omnia conceptus habeatur.

XXIII. Quomodo autem aliæ veritates eſſe potuiſſent, aut quænam

nam illæ, fateor me non concipere: nam jam eſſent ſi conciperentur. Ut ne dicam mentem meam à Deo eſſe determinatam ad eas quas is ſtatuere, & à me ex parte concipi voluit. Nec video quid hac in re poſſit ultra requiri ab illis qui Deum ut Summum omnium Arbitrum à quo omnia dependent, intuebuntur.

XXIV. Quid de hac doctrina judicaturi ſint cæteri, neſcio. Ego certe, ſi eam mente revolvo, non ut ex curioſitate in Dei conceptus & Cogitationes inquiram, ſed ex animo celebrandi ſummum ejus Dominium, & admirandi immenſam ſuper omnibus elevationem, omniumque coram eo tenuitatem, fateor mihi videri me inde habere unde impellar ad intimam & ineffabilem magnificentiſſimæ ejus Majeſtatis venerationem, liberalitatis laudem, confidentiam in eis quæ ſanxit & promiſit, omniumque præ illo deſpectum. Majeſtatem inconfuſam, ex naturæ ſuæ incomparabili excellentia ab omni re diſtinctiſſimam, ſeparatiſſimam, vere lucem inacceſſam, ſeu Veritatem talem, qualis præter ipſam nulla alia eſt, pro infirmitate mea ſecundum ejus placitum utcunque intueor. Laudo Bonitatis liberalitatem, quæ eo eſt commendabilior, quo nullis prorſus rebus adſtringitur, nulliſque debet vel id quod in idea ipſæ ſunt. In veritatem effatorum recumbo, quæ ſi cum is indifferens eſſet rata voluit eſſe, cur jam ea amplexus ille, eadem mutaturus à me conciperetur? Denique deprehendo omnia in reconditiſſimis ſuis fundis & eſſentiis, Bonitate & Veritate, coram ejus Divina Eſſentia non pulverem modo eſſe, ſed & abſolutum & purum nihil. Si quæ præter Deum invenio in abundantia placiti mentis liberrimæ omnia invenio, extra nihil. Non eſt ergo quod extra Divinum placitum quieſcere vel quæram vel optem. Omnium optima analyſis & reſolutio eſto non natura rei, ad quam non bene tanquam ultimo multi provocant, ſed, ſine quo nulla eſt natura, Dei placitum, quod (nemo tamen hoc abutatur ad figmenta ſua commendanda) non modo in myſteriis ſacris, ſed & in rebus naturalibus, etſi Philoſophaſtri id ſolide non capiant, imo & in illis quæ falſo tranſcendentales dictæ ſunt veritates, ultima meta eſto. Hoc enim axioma, quod primum vocant, *Quodlibet eſt, aut non eſt*, vel *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, in hoc reſolvitur & fundatur; Deus ex placito hoc volens, & ſtatuens, non eſt id ipſum non-volens, non-ſtatuens, non eſt negans ſuum placitum, non diſcrepans à ſe ipſo volente. Adeo ut nil ſit ſui fundamentum & ratio, præter unum Deum, qui ex placito in omnibus unus ita viget ut ejus placitum ſit vis omnium. Non libet plura dicere, ſed de his meminerimus in poſterum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT VII.

(10) BONITAS.

§. A.

1. *Mens ex ſe ſterilis cæteris nil veritatis realitatiſque communicat.*

I. CUm itaque omnis veritatis realitatiſque Idea pendeat à Deo, non eſt quod prætendam aliquid ex me fingere quod vim ullam in ſe habeat: & cum ut nihil mei, ſic nihil alieni à me ſit; natura ergo mea, placitumque res eſt erga alias ex ſe ipſa omnino ſterilis. Et quanquam in fundo Mentis meæ veritatem inveſtigem, & interdum inveniam, non eſt tamen quod putem eam de mea fabrica eſſe, aut à me conſtitutam: ſed potius eam theſauri inſtar occulti, cujus detectio demum patefiat, non autem realitas à me fiat, latuiſſe. Nam & omnes quotquot ſunt Mentes cæteræ veritates eaſdem, eodem modo, ubi debite in fundo ſuo quærunt, reperiunt, quod non accideret; ſi eæ à cujuſque placito eſſent effictæ, ſiquidem ex millenis figmentis quæ à diverſis fiunt Mentibus ex mero arbitrio, vix duo quidem conveniant. Et quamvis forte ſi Mentium natura non fuiſſet, cæteræ de aliis præter Deum rebus veritates non fuiſſent forte determinatæ, hoc nil aliud infert quam eas ſimul cum Mentibus, non autem per illas, fuiſſe ſtatutas.

§. D.

2. 3. *Bonitas Dei fons omnium. Traducitur male ſi aliquid ei ſubducatur.* 4. *Bonitas Eſſentialis Dei.* 5. *Quomodo ſi nil præter Deum eſſet, Deus bonus eſſet?*

II. Quid autem impedit quominus fingat Deus qualia placet, quæ ejus placitum repræſentantia, ideo vera & bona ſint? Ipſa Dei natura tales ideas, etſi ab idea eſſentiæ ſuæ diverſas, non impedit, neque ab illis obſcuratur, cum illæ non-neceſſariæ & dependentes concipiantur. Ab ipſis quoque rerum ideis & veritatibus, cum antecedenter nihil ſint, non poteſt impediri quominus Deus hic ex placito agat. Quemadmodum autem ejus placitum ut indifferens ſpectatum dedit nobis occaſionem Dominium ejus Summum agnoſcendi, ſic idem placitum conſidera-

deratum ut liberrime, ex nulla neceſſitate, ex nullo etiam externo motivo determinatum, id ipſum eſt, quod *Bonitatem* divinam appellare oportet, utpote quod ſit fons fertiliſſimus, abundantiſſimus, liberrimuſque, omnium, quæ quocunque modo præter Deum ſunt, ex quo ſuas quæque hauriunt ideas, naturas, eſſentias, veritates, & ſi exiſtant, exiſtentiam atque durationem. Per Bonitatem illam Deus non ſuam quidem naturam, ſed ſui adumbrationem ſecundum ſuum placitum, per ejus liberam determinationem, communicavit iis quæ vel minimam veritatis umbram poſſident. Et hæc poſſeſſio ipſa communicatio ſive donatio eſt.

III. Hanc Divinam Bonitatem indecenter traduci patet, cum aſſeritur, Deum ex neceſſitate conſenſum ſive placitum ſuum quibuſdam rerum veritatibus dare, aut eum non aliter potuiſſe, aut ipſi opus fuiſſe ut approbationem nonnullis daret, aut quædam ab illo ſuam naturam non derivare. Durum eſt dicere aliquid in rebus eſſe quod ejus Liberalitati ſuam formam, naturam, veritatem, ſuum eſſe, ſuum ortum, non debeat. Sed hæc jam deſtructa ſunt. Bonitas coacta, Bonitas non à ſe mota, Bonitas ex parte, Bonitas limitata, Bonitas ſine qua aliqua ab ipſa diverſa eſt bonitas, à Divina Bonitate aliena eſt. Quin potius omnis omnium bonitas, quam paſſivam vocare poſſis, ab Divina illa eſt, quam idcirco activam, (ſoli Deo propriam,) dixeris. Quare, omne reale, omnis veritas ſtatuta, omnis eſſentia, ſubſtantia, cogitans, extenſa, omnis modus, motuſque, ſive in idea, ſive in exiſtentia atque duratione, ideo ſunt bona, ut revera ſunt, quia placitum Dei eſt de illis ut ſint. Itaque omnia quæ ſunt, & dici, & concipi poſſunt, Bonitatis Dei ſunt præcones, ut non ſit opus multa hic de illa ex profeſſo congerere, cujus ſedes eſt ubique.

IV. Cæterum, eſt in Deo eſſentialis Bonitas, quæ eſt ſine reſpectu ad illa quæ non ſunt Deus, cum ille nempe non ex indifferentia, ſed ex amore ſui ſe in ſe ipſo ſibi abundantiſſime & perfectiſſime communicat. At hic de ea Bonitate actum eſt quæ eſt relativa, & habet terminum in illis quæ non ſunt Deus. Prior ad creaturas non accedit.

V. Inde conſtat quid ſit regerendum huic quæſtioni, Quomodo Deus eſſet bonus ſi nulla eſſent creata? addo, ſi nulla eſſent omnino ſtatuta? Reſpondetur, Dei Bonitatem eſſentialem manſuram integram: ſed etſi nihil tunc actu ſecundum ejus placitum communicaret, eſſet tamen talis, ut ſi placeret ei, velle aliquid dare, id eſſet ideo eventurum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

turum. Hæc jam nominanda prout cuique placet. Lingua ſcholarum dixeris, Deum Bonitate ſeu communicatione interna & eſſentiali ſemper quidem Bonum eſſe: at reſpectu eorum quæ is ipſe non ſunt, ſi ea nil eſſent, eſſet ille bonus, ſi non quoad actum, tamen quoad potentiam. Animadverti etiam poteſt ex his, quo ſenſu Solus eſſe Bonus dicatur.

CAPUT XII.

(11) FELICITAS.

§. A.

1. Felicitatis obſtacula. Acquieſcentia & Felicitas ut differant.

I. CUm ex conſideratione mei & eorum quæ in me obſervare queo occaſionem de Deo loquendi debeam deſumere, ad me igitur redire pergo. Memini me ideas rerum me majorum, mihi æqualium, me minorum, in me animadvertiſſe, in quarum naturas veritateſque mihi jus non fuerit ut de illis ad lubitum meum diſponerem, ut illas aliter, aut etiam novas, conciperem & ſtatuerem. Jam inſuper experior, me ne quidem eo attingere perfectionis, ut res iſtas, ab alio quam à me ſtatutas, modo naturæ ſuæ meæque conveniente, nempe aut cognitionis claritate, aut attentione fixa, aut affectu vel fruitione, aliove modo, in me poſſim ponere, illiſque adeo frui ut vellem. Novi etenim & ſentio, cogitationem meam non ſic Deo impleri, eoque frui uti equidem id fieri poſſet. Idem pronuntio de rebus cæteris, ſive illæ me, ſeu ego illas dignitate excedam, ſeu utrinque ſimus pares: non pendet enim à me ut ego eas in mea Mente ponam quomodo vel quando placeret, iiſque fruar prout judicarem mihi maxime eſſe conveniens, etſi id vehementer optarem. Quamvis autem non eſſem ideo felix reputandus etiamſi hiſce ultimis, à Deo diverſis, fruerer ut vellem, eſt tamen indubium, illum qui eas optaret & voto excideret, non felicem fore dicendum. Igitur multo minus felicitatem adeptus eſt qui Deo non fruitur modo ſibi conveniente & à Deo non improbato. Abſentia optati quod naturæ optantis conveniens eſt, nec Deo diſplicet, ita conſtanter obſtat Felicitati, ut hæc obtineri nequeat, quin impedimentum illud omnino removeatur. Perfectio quidem eſt in acquieſcentia ſuper Dei placito, quamvis id velit nos ita vacuos eſſe uti ſumus: quo enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

jure non acquieſceremus ſuper placito illius qui nulli aſtringitur? Verum eſt quoque Mentis acquieſcentiam in Felicitate inveniri, ita ut hæc ſine illa ne quidem poſſit concipi: Attamen, talem felicitatis noſtræ ideam impreſſit Deus, ut non concipiatur tanquam acquieſcentia in quocunque ſtatu, ſed in complemento ultimo illius placiti. Quo in ſtatu omne optabile quod jam cum felicitate abeſt, demum erit ratum.

§. D.

2. Felicitas Deo eſſentialis, cæteris incommunicabilis. felicitas Mentis creatæ. via ad illam. 3. Felicitati Dei nil poteſt addi, ei Mentis creatæ aliquid.

II. De Deo autem, cum ille ſit Summus & Perfectiſſimus, & à quo omnia quæ ab ipſo diverſa, omni modo pendent, eoque inferiora ſunt, agnoſco nil obſtare quominus is fruatur omni eo quod ipſi conveniens putari à quocunque poſſet, ipſumque adeo Feliciſſimum eſſe reputandum, & quidem ex natura ſua: Primo quia Ens Summum & Maximum eſt, Dein quia quæcunque ab ipſo diverſa vel exſtant vel concipiuntur, nullam perfectionem ejus naturæ addere, nullamque adeo ab illa, quamvis ea omnia in nihilum abſolute evaneſcerent, detrahere queunt. Quapropter nullis prorſus præter ſe opus habet ut omnibus fruatur quæ ejus naturæ conveniunt. Recte igitur attributum *Felicitatis* eſſentialis ſive *Beatitudinis*, quam etiam Scriptura Deo ſpeciali modo aſſignat, in ejus Natura dicitur includi, cum ſit per ſe notum, Summam Cogitationem ſupra omnem ideam, naturam, rem à ſe diverſam, ſe ipſam velle, ſe ipſam poſſidere, ſeque ipſa ita frui, ut ſibi acquieſcat, quæ ſumma, & ulli præter Deum incommunicabilis Felicitas eſt. nullus enim ita natura Cogitationis ſummæ frui poteſt, quamvis quis illam ſecundum Dei placitum adumbret, adeoque quamvis & ipſam ejus Felicitatem repræſentare poſſit, &, ſi felix fieri velit, debeat: nam creatæ Mentis felicitas Divinæ felicitatis adumbratio eſt, qua gaudebit Mens, cum Dei placitum, vel potius Deum volentem ſe plene manifeſtare & complentem ſuum placitum, volet illa, fruetur eo, & in eo acquieſcet ſupra omnem ideam, omnem naturam, & rem omnem à Deo diverſam: quæ eſt creatæ Mentis futura felicitas, & cujus viam ingreſſa eſt ea Mens, quæ nil præter Deum ſecundum ejus placitum optans, exſpectando Divini placiti complementum, id quod placitum idem de præſenti rerum ſtatu diſponit ob Deum amplectitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

III. Quod autem ſecundo dixi, Deum ideo abſolute Felicem eſſe reputandum, quod quæ ab eo diverſa ſunt nil ei addere, nilque ab eo detrahere valeant, oſtendit porro ſingulare plane Felicitatis genus, quale præter ipſum nullum eſt exemplum. Omni felicitati ab externo vel ab alio incrementum, aliquando omne, accedit, ita ut qui inter homines pro felicibus ob potentiam vel ſcientiam, aut aliud quid, reputantur, ſi ſoli omnibuſque præter ſe deſtituti ſtatuerentur, non adeo ſe felices experientur, adverterentque facile aliquid grati ex aliorum Societate, notitia, amore, aut laude, &c. illis accedere. Imo non dubium eſt quin Mentis Creatæ Felicitati veriori, quam mox diximus, ſi illam ea Solam frui ſupponimus, aliquid accedat ex Societate cum cæteris mentibus Sanctis, cum nempe ſcit & videt Deo placuiſſe ut etiam à multis præter ipſam ametur. Sed non ita de Deo colligendum eſt: quamvis enim ab innumeris noſcatur, ametur, laudetur, & decenti modo repræſentetur, non tamen ideo Felicior in ſe eſt, quam ſi Solus eſſet; cæteraque illa vel prorſus ceſſarent, vel plane aliter eſſent. Si quædam voluit ſtatuere, efficere, creare, redimere, beneficiis ornare, quæ ipſum amarent & laudarent, non ideo fecit ut eſſet Beatior, ſed quia ei placitum eſt ſic ſuam Felicitatem, quæ ei ſufficit, ex lubitu adumbrare. Quæ ſatis ex ſeſe & ex antedictis patent.

CAPUT XIII.

(12) POTENTIA.

§. A.

1. 2. *Cogitationis creatæ vi nil extra illam poni exiſtens, quanquam cum ea quædam exiſtant.* 3. *Non ita de Cogitatione Summa.*

I. SI Ego in illa quæ præter Deum & me concipio, quamvis ſint me minora, nil poſſum, imo ſi ne quidem ea in mente mea modo mihi cum illis conveniente queam ſiſtere, ut iis pro voluntate fruar, ut jam vidi; multo minus conſequitur me eſſe eum qui illa extra me, ſive extra cogitationem meam, exiſtere faciam. Cogitatio mea non eſt ita efficax ut valeat ſe ipſam variare ad formas rerum ſibi repræſentandas ſive in ſe depingendas, iiſque pro lubitu fruendum; itaque multo minus ita efficax erit ut ad ejus votum ſequatur res ipſas incipere extra illam in ſe ipſis exiſtere, ſeu illæ mihi ſimiles, ſeu diſſimiles, ſeu extenſæ, ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſeu Cogitantes concipiantur; nec dubito quin quæ dantur Mentes ejuſdem mecum claſſis, hoc eſt, finitæ & creatæ, idem de ſe ipſis, ſi attendant, fateantur. Saltem ego ut de me dixi, ita de illis certus ſum, eas extra ſe nil ponere, nil facere poſſe vi Cogitationis ſuæ.

II. De me quidem convincor per experientiam rem ita ſe habere: Nam etiamſi intentiſſime peroptem res nonnullas, corporeas aut cogitantes, exiſtere, earumve exiſtentium modos aut qualitates, puta, motus, figuras, milleque ſimiles corporis variationes, quod & de Mentium modis dictum ſit pariter, in illis mutari, poni, aut ab iiſdem removeri, nil tamen adeo inde in rebus ipſis extra cogitationem meam ſequitur, ut ne quidem hujus corporis cui Mentem meam junctam puto, motus, motuumve determinationes, à vi meæ cogitationis ponantur, prout quam ſæpiſſime animadvertere datur: & quamvis ſæpe poſita in me certa cogitatione ipſi ponantur, non tamen magis ſequitur eos à mea Cogitatione poni ſive effici, quam ſi quis in foro poſitam pecuniam videns merces ſequi, concluderet mercium exiſtentiam vel motum à pecunia effici; vel etiam eum qui ſponte pecuniam exhibere juſſiſſet, ejus fabricæ eſſe cuſorem, ſive ejus motus effectorem.

III. Quod ſi ad Deum, (de quo mox inquiremus utrum ſic, an vero ſecus, ſit reputandus:) Si inquam ad Deum atque ad ea quæ ſupra de ejus ſufficientia & Dominio dicta ſunt, & quæ ſtatim de Potentia dicentur, attendere velimus, perfacile erit demonſtrative judicare, Cujus Cogitationis vi quæcunque exſtant & exiſtere pergunt, ponantur.

§. D.

4. 5. 6. *Res vi voluntatis Divinæ poni demonſtratur.* 7. *Potentiæ Dei triplex conſideratio.* 8. Prima, *Potentia abſoluta, de qua nil determinandum.* 9. Altera *in reſpectu ad rerum eſſentiam. De hac propoſitiones quatuor.* 10. *Prima.* 11. *Secunda.* 12. *Tertia.* 13. *Quarta, ubi obiter de Potentia Dei in myſterio Tranſſubſtantiationis ſecundum Principia Carteſiana agitur.* 14. *De Adoratione.* 15. Ultima *divinæ Potentiæ conſideratio. Omnia exiſtere quia Deus vult.* 16. *Quæ exiſtunt in maximis & minimis, in ſubſtantiis & modis, ab illo effici.* 17-30. *Quæſtiones-&c-.*

IV. Nam cum ad illum me converto, viſurus num quæ ille ipſe vult concipere, valeat extra conceptum ſuum prout vult ita ponere, ut

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

res eæ exiſtant quales ab illo concipiuntur, & exiſtere decernuntur, agnoſco in eo tantam Cogitationis ſeu voluntatis efficaciam, ut omnino in hac concluſione acquieſcam, res exiſtere ex efficacia & vi placiti Dei, ſive quia placuit Deo eas non tantum ſtatuere veras, aut earum ideas concipere, ſed & velle ut illæ haberent in ſe ipſis eam quam habent realitatem umbratilem ſive repræſentativam ſui placiti. Non jam Sacras Scripturas in medium afferam ad efficaciam Divinæ hujus Cogitationis ſeu voluntatis demonſtrandam, nam hoc genere argumentorum uti hic nolo; nec ſoli experientiæ mei inſiſtam, qui ſentio me exiſtere & ſcio hoc eſſe ab illo, ut jam vidi: Sed ſecundum rationem id ex ante probatis colligam evidenter.

V. Hæc Divinæ Cogitationis vis & perfectio quæ rerum exiſtentiam, qualem ipſa vult, inferat, à nullo poſſet negari, quin affirmetur Deo aliquid deeſſe, ſive Ens perfectiſſimum non eſſe Ens Perfectiſſimum. Nam quamvis rerum exiſtentiæ & naturæ, imo conceptus ſive placitum Dei de illis non ſint de eſſentia Dei, adeoque eorum negatio non inferat ex ſe directe Divinæ eſſentiæ negationem; tamen ex hypotheſi quod Deus Perfectiſſimus illas hoc modo eſſe velit, ſequitur, aut eas ita eſſe, aut ſi non ſint is negatur eas voluiſſe qui dicitur eas voluiſſe, quod eſt contra hypotheſin; aut ſi voluit, perfectiſſimum eſſe Ens negatur, primo, quia ei ſic ſtatueretur aliquid deeſſe, non quod ejus Naturæ deeſſent res externæ, utpote quæ ad eam non ſpectant, ſed Deo quatenus voluit ita ſe determinare, ſive Dei voluntati, cenſeretur deeſſe efficacia ponendi ea quæ vellet eſſe poſita extra ſe ut eſſent tum notæ ſuæ efficaciæ, tum adumbrationes vel tabulæ divinarum ſuarum perfectionum. Etenim, quomodo Perfectiſſimus eſſet cenſendus ille in ſe, in Natura, in voluntate, in cogitatione ſua, qui ne quidem quæ valde imperfecta ſunt extra ſe ponere poſſe diceretur? Secundo, ſic ſtatueretur, Deum tendere in non-Ens, & ſic à ſe eſſe alienum. Deus ſe ipſum deſerere non poteſt, & cum ad ea quæ à ſe diverſa ſunt attendere vult, id maxime facit ob ſe ipſum, ſui ſcopus eſt ipſe, ad alia tendit ut ſe ipſum per illa ſecundum ſuum placitum repræſentet, adeoque ut ad ſe fiat reditus. Atqui *nihil*, imo tale *nihil* quod invito Deo manet *nihil*, non repræſentat Dei perfectiones. Igitur quia Deus ſe ipſum non deſerit, concludendum eſt, quando vult aliquid extra ſe exiſtere, tale quid etiam exiſtere in quo perfectiones Dei adumbrentur, & ex quo ad Deum reditus fiat, id igitur non manet nihil.

VI. Præterea, oſtenſum eſt eum Felicem non eſſe, cujus voluntas

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſive placitum qualecunque ſit & quocunque feratur, non impletur; quod à Deo removendum eſt, cum infelix nullo modo ſit dicendus. Etiam quæ de Deo hactenus dicta ſunt, præſertim de ejus Altitudine & Dominio, non permittunt ut ea ſtatuantur, ex quibus ſequeretur, Majorem aliquem eo concipi poſſe, aut ejus conceptum vel eo invito ad nihil reſtringi. At ſi Cogitatio illa Summa non inferret exiſtentiam eorum quæ ipſa vult ut exiſtentia cogitare, Major Cogitatio conciperetur atque perfectior, nempe alia, ad cujus determinationem res exiſterent ut ei placeret: Cumque Deus vult ſe determinare ad concipiendum aliquid ut exiſtens, ſi id non exiſteret, tunc determinaretur Deus ab ipſo nihilo ad concipiendum contrarium ejus quod vellet; ejuſque voluntas ſtatueretur cogi ad hoc, ut ſcilicet eſſet contenta eo quod non vult, adeoque ipſo nihilo repleri, terminari, & determinari, quæ omnia contradictoria ſunt. Nec eſt quod dicat nonnullus, Deum multa velle ut exiſtentia, quæ tamen non fiunt, ut ſunt ea quæ mandatorum ſuorum obſervantiam concernunt, quæ etſi velit atque jubeat ab omnibus fieri non tamen exiſtunt in illis. Nam certum eſt eam Dei voluntatem non eſſe abſolutum aliquod ejus placitum quo ſtatuerit ipſe prorſus efficere ſecundum vires divinamque potentiam quicquid ad hujus effecti productionem conferre poteſt, alioqui procul dubio res ita exiſteret: ſed eſt declaratio qua homines monet ſibi placere ut à ſe ipſis ſecundum ſua phantaſmata non prætendant operari, neve in nihilum tendant, & abutantur dotibus quas in eos contulit, qui ſcopus eſt mandatorum Dei: Sed nequaquam ex iſtis eſt concludendum, Deum abſolute & quam pleniſſime potuit ſtatuiſſe ut non deeſſet ulli ulla perfectio quæ in illo eſſe poſſet. Hoc omnino deſtrueret Dei ideam, ſi Deus ita volens, quodcunque vult non efficeret.

VII. Ergo ex dictis patet tantam eſſe Dei volentis vim & efficaciam, ut, poſito eum velle res, has vel illas, hoc aliove modo exiſtere, eo ipſo quod id velit, ſequatur res tales exiſtentes poni, nec aliter. Quam Divinæ voluntatis virtutem nomine *Potentiæ* in Deo agnoſcimus. Ut autem de ea ſpecialius nonnulla dicamus, & noſcamus, eam ad objecta diverſa relatam conſiderabimus, non ad omnia quidem ſingularia, ſunt enim innumera, ſed ad generaliora. Spectatur Potentia Dei ut relata ad res quæ jam exiſtunt: Spectatur & eadem ut reſpectum habens ad res eas quæ adhuc non exiſtunt, nec forte exiſtent unquam, dicuntur tamen poſſibiles: Spectatur denique abſolute, ut non relata ad res ullas ſeu exiſtentiam, ſeu eſſentiam, naturam, veritatemque idealem habentes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tes, ſed ut ante omnia exſtantia, imo decreta. Nam ſive concipiam res exiſtere; ſive putem res non exiſtere, ſed tantum concipi vel à Deo eſſe quoad ideas ſuas tantum ſtatutas; ſive denique Cogitem potuiſſe Deum nil effeciſſe, nil ſtatuiſſe, adeoque nil præter Dei naturam habere veritatem, nihilominus Deum ut Potentem concipere debeo. De his agemus ordine retrogrado, initio facto ab ultima conſideratione.

VIII. Potentia Dei ultimo ſenſu, quæ abſoluta dici poteſt, non adeo diverſa eſt à Summo Dei Dominio, & conſideratur antequam concipiamus Deum ullam rem, eſſentiam, veritatemque ſtatuiſſe. Abſtrahendum eſt igitur, ad ejus notitiam, ab omni rerum exiſtentia, eſſentia, idea, veritate, & cogitandum, quamvis nulla præter Deum eſſent, nullaque unquam præter Deum eſſent habitura exiſtentiam, eſſentiam & veritatem, Dei tamen voluntatem tam perfectam fore & eſſe, ut ſi & placeret quædam ſtatuere & exiſtentia velle, ſive eſſent his, quæ jam ſunt, ſimilia futura, ſeu naturarum, eſſentiarum, veritatum prorſus ab illis diverſarum quæ jam exſtant, adeoque nobis incognita & incogitabilia, ea revera darentur prout vellet. Hoc ſenſu igitur Deus abſolute Potens eſt, nec ad hoc indifferens, ut quodcunque ei placeret velle id ita eſſet vel non eſſet, prout ei placeret: nam non ideo poteſt, quia voluit ipſe ſe determinare ad hæc vel illa, ſed neceſſario, ob rationes jam dictas, quia eſt perfectiſſimus, nec talem habet voluntatem quæ effectu intento deſtituatur. Non eſt ideo potens hæc voluntas quia antecedenter indifferens ſpectata deinde determinata eſt ad hoc vel illud; ſed potens eſt, quia Dei eſt, potens eſt ante omnem determinationem. Adeoque ſic plura poteſt Deus quam vult, imo alia & diverſa poteſt ac voluit ſtatuitque eſſe vera, & efficere exiſtentia: nulloque modo limitanda eſt hæc ejus Potentia ex conſideratione idearum, eſſentiarum, veritatum, naturæque rerum exiſtentium, quaſi quæ in illis non exſtant, aut cum illis non congruunt, abſolute non poſſet Deus ille, cui omnia præter ipſum ex ſe ipſis ſunt indifferentia, cum ex ſe ipſis pariter nihil ſint. Non igitur quicquam determinandum eſt de Abſoluta Dei Potentia, ut illam limitemus. Mens noſtra jam determinata eſt ad ea quæ ſunt, concipienda, neque tamen, ut mox videbitur, ad omnia, unde non poteſt concipere ad quænam poſſit ſe extendere Potentia Dei. Nonnulla requiritur Mentis attentio ad hæc & ſequentia bene capienda, quibus ſemel conceptis, facile erit perſpicere quid de Potentia Dei ſit cogitandum, necne. Cæterum, quia hæc coincidunt fere cum iis quæ ſupra de Dominio Dei dicta ſunt, iiſdem etiam difficultatibus ſunt obnoxia: quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quas ne iterum hic repetamus cum additis reſponſionibus, ſuffecerit monuiſſe eas in loco citato omnes exſtare.

IX. Venio ad ſecundam de Dei Potentia conſiderationem. videlicet; Cum Deus ſe determinavit ut conciperet quaſdam ideas, eſſentias, veritates, &c. prout ipſi placuit, ubi volet, (ſi placet) ut vel omnes, vel nonnullæ ex illis exiſtant extra ſuum conceptum, rem ita exequi poteſt, ſive Potens eſt ille res quas voluit conceptas, ponere extra conceptum. Hoc reſpectu dicitur Deus poſſe ea quæ vult & voluit; & voluntatem de exiſtentia quorumdam efficacem ſive Potentiam, non præcedere voluntatem decernentem eorum eſſentiam & naturam. ridiculum eſſet hoc ſenſu aſſerere, Deum illa poſſe quæ noluit, ſive quæ non ſtatuit, hoc eſt, quod poſſet exiſtentiam rei illi concedere cui tamen nullam ſtatuere voluiſſet naturam eſſentiamque. Noto hanc eſſe rationem & Originem potentiæ ſive poſſibilitatis rerum, ideo enim poſſibiles dicuntur, quia prius ex Dei liberrimo arbitrio quoad naturas, eſſentias, ideas, veritateſque ſuas ſtabilitæ & ordinatæ, ſi accederet Dei placitum de earum exiſtentia, eæ ob efficaciam ejus exiſtentiam nanciſci aptæ, exiſterent. Hæc Divinæ Potentiæ conſideratio ſequentium Propoſitio num veritatem mihi commendat, quarum Prima eſt:

X. *De Potentia Dei poſſumus affirmare omnia quæ evidenter concipimus.* Hoc patet ſi hæc aſſumamus quæ facile ex dictis demonſtrari poſſunt, & deinceps demonſtrabuntur, nempe Deum concipere quæ ego concipio, & meum conceptum eſſe repræſentationem nonnullam Divini conceptus. Unde ſic arguo: Quæ ego concipio evidenter, ea Deus concipit, ea ſunt in ejus conceptu, imo ſunt in eo clarius & evidentius quam in meo: quæ autem Deus concipit, quæque adeo ideam, eſſentiam, veritatemque in ejus conceptu habent, ea, ex dictis, per Potentiam Dei exiſtere apta ſunt: Ergo quæcunque concipio poſſunt exiſtere per Potentiam Dei, ſive Deus poteſt efficere quæcunque Ego cum evidentia concipio.

XI. Secunda propoſitio. *Quæ non concipio, ea non debeo negare de Potentia Dei.* Non dico, quæ repugnant conceptui meo & deſtruunt ejus evidentiam, ſed quæ tranſcendunt, quæ abſorbent, ut ſic loquar, ea non ſunt Potentiæ Divinæ ſubtrahenda. Quando Deus ex iis quæ concepit quædam extra ſe effecit, adeoque me etiam, quem concepit, exiſtentem reddidit, impreſſit mihi conceptus quoſdam ſuis ſimiles, ſed non omnes impreſſit. Unde poſſum quidem ex conceptu meo affirmativa argumenta depromere, ſed non licet ſic reputare, hoc non concipio, ergo nec Deus concipit, nec efficere poteſt. Temeritatis ſummæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

eſt ejuſmodi judicium, cum fieri poſſit ut illud de quo ita judicatur, non modo ſit à Deo ſtatutum atque conceptum, ſed etiam ut adſit placitum Dei de ejus exiſtentia, imo ut illud jam actu ſit impletum atque exiſtens. Et revera tale quid exſtat in extenſione partium materiæ, in univerſi quantitate, in gradibus motus quoad celeritatem & tarditatem ejus, imo in rerum omnium principiis extremiſque ultimis, in quibus omnibus impoſſibile eſt humanæ Menti quicquam determinare, & concipere, ut clarius patebit cum de Cognitione ejus agemus ex profeſſo. At num illa ideo Potentiam Dei ita conſtringet, ut eam ad ſuæ capacitatis menſuram redigat? Dicetne nil poſſe Deum de illis determinare, concipere, efficere quicquam, quia illa in iſtis neutram oppoſitarum propoſitionum partem capere & amplecti valet? Etenim, ſi ab illa quæreretur, v. g. de univerſo, ſive mundo corporeo, an à Potente Deo extenſio ejus facta ſit finita? Reſponderi nequit affirmative quin conceptus qui de extenſione, ſive ſpatio, cujus finis nullus concipitur, eo ipſo deſtruatur ſive negetur: nil autem Menti turpius eſt quam judicia efformare quibus conceptus reclamet, quæque ei ſint contraria. Quod ſi alteram partem amplexus, dixeris, Potentiam Dei mundum quoad extenſionem poſitive & in ſe infinitum feciſſe, jam eopſe negabis ei novam materiam præter illam quæ jam exſtat à Deo addi poſſe, nam extenſio quæ in ſe & verè poſitive eſt infinita, poſſibilitatem additionis novæ excludit, cum hæc excluſio rei ejuſdem naturæ ſit ipſe conceptus infiniti, Quid ergo hic determinari poteſt à Mente noſtra? Nil. Ergo de ſua imbecillitate, menſuræque ſuæ terminis anguſtis hic perſuadeatur: ne vero quippiam ex his concludat de Dei Potentia. Non poſſum id capere, Ergo vis cogitandi in me eſt finita: bene. non autem, Ergo non poteſt id Deus efficere. quæ conſequentia eſt plane extra præmiſſam propoſitionem.

XII. *Nunquam ſupponendum eſt*, quæ Tertia eſt Propoſitio, *Divinam Potentiam à nobis comprehendi, vel poſſe comprehendi, ut ex hac hypotheſi ratiocinemur.* Scimus Deum eſſe Incomprehenſibilem, eundemque eſſe unam Cogitationem ſimplicem, unde videmus ejus Potentiam à finita Mente non poſſe comprehendi. Periculoſe igitur ſæpe dici ſolet, ne Deum quidem hoc vel illud poſſe, quaſi vero ejus Potentiæ Sphæra ſive menſura caperetur. Nonnulli hac cautela neglecta in ſtulta & abſurda de Potentia Dei quæſita devenerunt, exempli gratia, petierunt, An Deus poſſit id omne facere & exequi quod poteſt? Reſpondentibus, imo poſſe; Suppone Ergo, regerent, Deum id omne effeciſſe quod poteſt, an

an non poſſet ulterius aliquid facere? Si non poſſet, igitur tunc potentia ejus limites ſibi inveniſſet, &c. Diſcurſus hi prorſus inepti & abſurdi ſunt: nam primo, ſimiles garruli ſupponunt Potentiam Dei comprehendi tum ab ingenio ſuo, cum ſupponunt ſe concipere eam cum omnibus ſuis factis; tum à creatis ſive factis ipſis, quaſi ea exhaurire illam poſſent. Deinde ſibi contradicunt, nam poſtquam ſuppoſuerunt ſe concipere omnia ad quæ Potentia ſe extendit, eaque ut jam exiſtentia, lepide quærunt num quid præterea poſſit? hoc eſt, num poſſit ultra id quod eam poſſe ſuppoſuerunt ſe capere? quæ quidem quæſtio deſtruit & abſurditatis convincit ſuppoſitionem prius poſitam. Denique tales ſupponunt naturam poſſibilitatis independentem, quam Deus non ſtatuerit ex arbitrio & placito ſuo, ſed cujus ideam prius veram neceſſario concipiat eo per illam determinatus, & ad cujus menſuram Potentia ſeſe accommodet. quod ſatis ſuperque repulſum eſt ſupra. Quod poſſibile eſt tale eſt, quia tale voluit Deus. Addemus ad alia abſurda præcavenda ſequentem propoſitionem, quæ.

XIII. Quarta eſt: *Poſtquam ideæ eſſentiæ & naturæ rerum conceptæ ſunt ut à Deo ſtatutæ, abſurdum eſt ad Potentiam Dei recurrere, ut ea dicantur per Potentiam Dei exiſtentia vel poſſibilia, quæ rerum ſtatui, naturæ, ideiſque poſitis adverſantur.* Nam ſi de abſoluta Potentia Dei (quæ ut ejus abſolutum Dominium ſpectatur) ſermo ſit, ea nullas ſupponit adhuc eſſentias, veritates, naturas, ideas, nec ulla quæ poſſint concipi; nulloſque adeo rerum conceptus, quales tamen ſupponunt ii qui petunt, Num hæc aut illa, quæ vident eſſe à rerum natura eſſentiaque, quam concipiunt, aliena, poſſint fieri? Statutis vero rerum ideis eſſentiiſque, Potentia quæ in Deo eſt, non eſt ſui ſtatuentis abnegatio dum concipitur manere ſtatuens, ſed eſt efficacia ponendi quæ ideis à ſe conceptis, quas etiam in nobis impreſſit, concordent. Quæcunque eis repugnant, ea ſunt abnegatio Dei ſtatuentis, Dei volentis efficere quæ ſtatuit, & efficientis quæ voluit, adeoque ſunt abnegatio Potentiæ Dei, non vero ejus ſtatumina. Id non ſatis conſiderarunt ii qui rerum naturas & ideas tales à Deo poſitas eſſe tenent, quales Carteſius propoſuit, & nihilominus docent, Se non poſſe determinare, utrum per Potentiam Dei duo contradictoria poſſint ſimul eſſe? An corpus unum idemque (cujus naturam eſſentiamque in extenſione ſive ſpacio conſtitutam eſſe putant) totum ſimul in duobus diſſitiſque locis & ſpatiis poſſit ponere Deus? Imo id & alia æque contradictoria, non modo eum poſſe efficere, ſed & actum effeciſſe ajunt. Quas aſſertiones, vel juxta ſua ipſorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

principia, falſas eſſe dico, earumque negationes veras. At exclamabunt forte, me ita Potentiam Dei negare, vel ſaltem limitare, ſi ita crude dicatur, *Deum hæc non poſſe*. Reſpondeo, an Potentiam Dei negem vel limitem, judicabit ex præcedentibus mens quævis liberi & tranquilli judicii; ſed ad hominem, dico me nequaquam eam negare. Nam ſi de verbis *Deus non poteſt* litem intendas, ea non involvunt ſemper Potentiæ Dei negationem, alioqui S. Scriptura Potentiam Dei negaret, dum illis utens ait, Deum *non poſſe* ſe ipſum abnegare. Vocibus his nil aliud deſignatur quam quod Deus imperfectioni non ſit obnoxius, nec poſſit concipi tale quid ei eſſe attribuendum quod imperfectionem includat: quo ſenſu verba *poteſt*, *poſſe*, *potentia*, negativa ſunt, nam denotant capacitatem imperfectionis non-nullius, itaque à Deo per negationem ſunt removenda, *non-poteſt*, *non-potentia*, &c. Quomodo non negatur vera & poſitiva Dei Potentia ſive efficacia efficiendi quæ ſtatuit, nec ei dantur limites ulli, niſi ipſa omnimoda perfectio pro limite habeatur: Sed oſtenditur, efficacem voluntatem Dei de rebus ponendis à ſe ipſa ſtatuente non diſſentire. Tantum abeſt ut Divinam Potentiam negatione vel limite impugnem, quin contra, aſſero Deum potuiſſe omnium rerum eſſentias, veritates, exiſtentias, in nihilo linquere, vel alias ſtatuere & efficere^f, de quibus nil quicquam determinare vel concipere queo: At ſcio, ſtabilitis ideis, eſſentiis, naturis atque veritatibus rerum, v. g. extenſionis ſive materiæ, corporum particularium, figurarum, &c. me non poſſe dicere, forte Deus poteſt efficere triangulum rectilineum cujus anguli tres non ſint duobus rectis æquales: forte poteſt efficere ut unum corpus (poſito quod ejus natura ſit in extenſione ſive ſpatioſitate, ut multis perſuaſum eſt) ſit totum ſimul in duobus locis; adeoque ut totum corpus humanum in extenſione multo minori quam ea eſt de ejus eſſentia ſtatuitur, ſit contentum; vel ut extenſio quæ habet figuras, diſpoſitiones, motus, cæteraſque modificationes panis aut vini, eorumque particularum, ſit (illis qui ſtatuunt panis aut vini naturas eſſentiaſque in his conſiſtere) aut ſanguis aut caro, &c. quia Deus eſt omnipotens. Quidni etiam dixeris, poſſe etiam forte ſe ipſum abnegare Deum? poſſe fallere, poſſe efficere quæ efficiens non concipiet, aut ea velle quæ non volet eo modo quo volet, quia ſcilicet eſt omnipotens? Peto, quid per Potentiam Dei intelligatur? An per illam talem intelligemus voluntatis Divinæ perfectionem qua res tales ponantur quales vult, aut vero quales ipſa non vult? Ultimum hoc abſurdum eſt. Ecquis unquam cogitavit per

Poten-

f hoc intelligen, dum de Potentia Dei absoluta. vid. princ: huj: §.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Potentiam Dei abſurda talia eſſe concipienda & notanda? Atqui id ipſum fit ab illis quibuſcum agimus, ab iis videlicet qui deſerto veteri Philoſophandi modo, novum amplectuntur, juxta quem ſua, niſi per hæc abſurda, nequeunt concordare. Nempe, ipſis fatentibus, ex voluntaria conſtitutione Dei, ſpatium, extenſio actualis, materia, corpus, res una fuerint; & tamen ſecundum eoſdem, innumera quædam ſpatia, extenſaque numero diverſa & diſſita, non erunt diverſa numero materia, ſed una numero! Uni ſpatio alia addentur, & tamen nil addetur corpori! Spatia minuentur & tollentur & extenſioni ſive materiæ corporis nil decedet. Aderit initio parvum panis volumen, extenſio manebit eadem, & tamen erit corpus magnum, hoc eſt extenſio actu major millies! manebit ſua extenſio, nec tamen manebit ſua (quæ eis idem eſt) materia, ſive ſua actualis extenſio! Manebunt ejus extenſionis figuræ eædem in particulis, in motu, in quiete, in diſpoſitione; nec tamen manebit eadem natura particularis, quæ vel ſecundum eos in his ipſis particularum diſpoſitionibus conſiſtit! Aut ſuis novis de natura principiis, quæ tanquam in ſana ratione fundata tenent, renuncient, hoc eſt, ſanę (ut putant) rationi renuncient; aut fateantur ſe juxta ea ſibi ipſis contradicere, hoc eſt ſanam itidem rationem abnegare. Cui incommodo nil per Divinæ Potentiæ allegationem medentur. Etenim, An ut credant Deum Omnipotentem eſſe, debent judicare Deum ponentem & conſervantem eandem extenſionem, eſſe non-conſervantem eandem extenſionem, ſeu, quod iis idem eſt, eandem materiam? eum conſervantem illam parvulam, eſſe in hoc ipſo non-conſervantem parvulam, ſed maximam? Eum ſuſtentantem figuras diſpoſitioneſque eaſdem, non eſſe ſuſtentantem eaſdem ſive (quod non differre ſtatuunt) eandem, quæ prius erat, naturam corporis ſpecialem? Vix ſine riſu ab intelligente Lectore poſſunt legi quæ bonus Carteſius in Reſponſionibus quartis operoſe deſudat hac in re, unde tandem concludes, Deum conſervantem eandem panis aut vini extenſionem internam, eandemque externam, nempe terminos, limites, figuras, diſpoſitioneſque eaſdem, eſſe tamen non conſervantem hæc ipſa, ſive ipſum panem & vinum; & tamen ipſi extenſio eſt materia, & illæ particularum diſpoſitiones ſunt ipſum principium ex quo eſſentia panis atque vini diſtinguitur à natura carnis & cæterorum corporum, quorum eſſentiæ, uti inter ſe diſtinguuntur, ſunt (ſecundum illum & ſuos ſequaces) iſtæ figurationes & modificationes. Quid igitur conſervante Deo eandem extenſionem cum omnibus ejus modis mutatum fuiſſe, quid

pag: m: 176. & Seqq.

quid ex his principiis (ſecundum quæ omnia quæ conſtituunt naturam invariata & immutata eadem manent) quid diverſi præter nomen aliud, alium uſum, alias relationes, acceſſiſſe judicabunt? Sed videant quo ſic eos ſua principia deducent. Non eſt equidem animus de Religionis controverſiis (quas præſtaret ex toto ſupprimi) agere, aut de dogmate ipſo hic ex profeſſo tractare, nec examinare an per Veteris Philoſophiæ ſcholaſticæ principia (qualiacunque ſint) explicari poſſit necne? Hoc viderint alii. Sed cum Author operis non incelebris *Artis Cogitandi* intempeſtive ſatis & jactanter cum adverſariis hac de re juxta principia à ſe poſita ſibi triumphet, non putavi eum vel ſuos celari debere quam efficaciter juxta principia Carteſiana quæ paſſim proponit, contrarium aſſerto ſuo poſſint evincere ſui, quos ſua opinione belle debellat, adverſarii; ut alias is & ſui cautius procedant, vel in Scriptis Philoſophicis ejuſmodi controverſias plane (non nimis ſuis novis ſpeculationibus confiſi) intermittant. Dicit ille ([a]) *Senſus evidenter docere adeſſe rotunditatem & albedinem, ſed non docere an has faciat apparere panis ſubſtantia.* Quid vero ſecundum ejus principia reſpondebunt ejus adverſarii? Nempe, ratio & ſenſus docent manſiſſe panis extenſionem, manſiſſe extenſionis particularum diſpoſitionem, figurationem, motum, quietem, ſitum; & in his ipſis conſiſtere naturam diſtinctionemque eſſentiæ corporum, tu ipſe fateris. Quî ergo dices mutatam eſſe Panis ſubſtantiam? Quid eſt te judice illa ſubſtantia præter extenſionem & modos (quæ tu fateris remanere) niſi nomen caſſum, cujus nulla idea habetur? Cur poſita idea, quam eſſentialem dicis, quæque & in ſenſu & intellectu evidenter invariata manet, ſubſtituas aliam rem quæ per ideam prorſus diverſam debet percipi? Siccine dices Deum poſuiſſe in me ideam qua me certum & unum quid voluerit concipere, & eadem idea non voluerit me ideam quod voluit, ſed non-idem concipere, atque eum ita tendere poſitive in non-ens? Dicit Author, *ratione conſtare nec corpus unum tempore eodem in locis duobus diverſis, neque duo corpora in eodem loco eſſe poſſe: at vero id eſſe intelligendum de conditione naturali corporum: alioqui defectum fore rationis ſi putaremus mentem noſtram, utpote finitam, comprehendere poſſe Dei Potentiam, quæ infinita eſt.* At (inquiat nonnullus) an ergo tollam defectum rationis meæ, ſi putavero, Infinitatem Potentiæ Dei in hoc conſiſtere, ut is agens & ſuſtentans unum quid, mihique ejus eſſentiæ claram ideam exhibens, ſit tamen id ipſum non-ſuſtentans; & priori idea eſſentiali invariata, mihi non ejus ideam exhibens, ſed alius cujuſpiam, cujus ideam diverſiſſimam fateris ſtatuiſſe?

([a]) Artis Cogitand. Part. IV. cap. XI.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Sed obſecro, quid etiam Authori noſtro eſt illa, quam is narrat, conditio naturalis corporum in genere, niſi eorum naturæ conſtitutio, niſi ipſa natura, niſi ipſa corpora, niſi ſtatutum & effectus voluntatis Dei, quæ voluit corpora eſſe talis naturæ, ſive eorum naturam eſſe talem qualem is Author concipit eſſe? Adeoque ſibi contradicit aſſerendo corpus, manens corpus, conditionem naturalem, ſive ſuam naturam corpoream, mutare: Sic enim diceretur id non amplius eſſe corpus; Deumque velle ut naturam haberet corporis, & non haberet eodem tempore dum eam haberet, ſive dum, te ſatente, eſſet & maneret corpus. Sed forte ſatius fuerit Authori noſtro & illis qui cum eo ex iiſdem principiis Philoſophantur, concludere, Deum potius ſe ipſum ut aliquid ponentem, ſtatuentem, volentem, approbaturum ſimul & improbaturum, Deique Potentiam in hoc conſiſtere, quam ut ii in illis quæ admiſerunt fallantur. Ego vero facilius crediderim poſſe dari in Authore noſtro Potentiam idem dicendi & non dicendi, ſtatuendi & non ſtatuendi, hoc eſt, ſibi contradicendi, quam in Deo Potentiam idem ſimul ponendi & non ponendi, ſtatuendi (ſecundum noſtrum Authorem) talem corporum naturam in genere & in ſpecie, & tamen eam non conſervandi dum omnia quæ in his ipſis ſunt & (ſecundum Authoris noſtri philoſophemata,) hæc ipſa ſunt, eadem conſervat. Qua contradictione ſplendidior dari nequit.

XIV. Et huc me impulit Authoris *Artis Cogitandi* intempeſtiva digreſſio, & ſecurus nimis ex ſuis principiis triumphus. Sed quia bellorum plus ſatis, eaque ex hac doctrina abundantiſſime ad odia & cædes uſque pullularunt, præſertim circa adorationem quæ in hoc Sacramento fit vel omittitur; operæ pretium fuerit, ſi obiter oſtendatur quam leniter fuiſſet hic actum ſi tantum cum ratione & modo univerſi proceſſiſſent. Diſſentitur de præſentia Humanitatis Domini: Deinde de Adoratione. Omnis fere diſſenſus qui inter homines de doctrinis eſt, inde oritur, quod verba quibus utuntur neutri clare explicent ſive definiant. Peto hic definitiones, Quid intelligant per Adorationem? Si per τὸ *adorare* intelligant *agnoſcere & amplecti aliquod Ens pro Ente Summo, Æterno, Auctore & Suſtentatore omnium*: hoc ſenſu, ſola Divina Natura eſt adoranda, nam eſt tale Ens, & humana non eſt Ens ejuſmodi, nec pro tali haberi poteſt. Quodſi per τὸ *adorare* intelligunt (ſenſu altero) *agnoſcere aliquod Ens* (puta humanitatem J. Chriſti) *pro nobiliſſima & exaltatiſſima creatura* (utpote unita ſtrictiſſime cum Divinitate) *& hanc internam agnitionem teſtari ſignis quibuſdam externis*, puta proſtratione corporis, &c. hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſenſu (qui in ſacris Authoribus locum habet) Creatura quæ eſt in Chriſto, hoc eſt ejus humanitas, quæ ſtrictiſſime juncta Divinitati, & omnium creaturarum caput, eſt adoranda, ut patet ex ipſa verborum Significatione data. Et hæc conſtant inter omnes. Conſtat & hoc, Deum ſenſu primo eſſe adorandum in præſentia vel abſentia ſui corporis, utut id abſens vel præſens ſit vel putetur. Jam ſi quis putet corpus Domini non adeſſe, confiteatur tamen adorationem Divinam primo ſenſu, ſed actum adorationis ſecundo ſenſu ſumptæ exhibere nolit, ſive, nolit mente & geſtibus agnoſcere aliquam creaturam (puta panem Euchariſticum) eſſe illam nobiliſſimam creaturam quam Deus ſibi univit, (quam ſi adeſſe putaret, ſenſu jam dicto, altero, adoraret, ut & adorandam confitetur) tunc is impietatis & rejectionis Dei, ut fit à cæce fervidis, accuſari non poſſe patet: nam, quanquam erraret, ejus error non eſſet de rebus ipſis, nempe de ea adoratione quæ Divinitatem concernit; neque de ea quæ humanitatem reſpicit, quam ſenſu dicto admittit; Sed tantum de circumſtantia rei circa locum humanitatis; An ea humanitas, quam ſi crederet adeſſe, utique (juxta ſecundam definitionem) adoraret; ſit in hoc loco, necne? Eccur ideo tanta odia? Quod ſi quis putans humanitatem adeſſe, eam ſolam ut creaturam & ſine Divinitate ſpectatam, adoraret juxta primum adorationis ſenſum, is quidem ſubſtitueret ſive agnoſceret creaturam pro Creatore, ſive erraret in objecto adorationis primæ (neque hoc excuſare vellem;) At ſi quis ad Deum attendens, ei adorationem primam deferat in præſentia (etſi putativa ſolum) ejus humanitatis, quam quoque ſua debita (altero ſenſu) adoratione veneretur, hanc omiſſurus ſi illam abeſſe putaret; is ab iis qui ipſum errare putant, non eſt de alio crimine incuſandus, quam quod circa circumſtantiam rei, nempe loci humanitatis, hallucinetur. Neque habent partes diſſentientes majus quod ſibi cum evidentia exprobrent; & quantum una errat opinione alterius, tantum & altera opinione prioris, ita ut reciprocum ſit crimen, quod una in aliam nequit ſuo judicio opinionique gravius reddere, quin ſe ipſam opinioni alterius ut gravius errantem repræſentet; crimen autem eſt circa quæſtionem de circumſtantia externa. At quale crimen, ſi quis putans corpus Domini adeſſe, inde occaſionem ſumat amandi Deum, reputans illum eouſque ſuæ infirmitati condeſcendere (ut ſic dicam) & ſe accommodare; aut ſi quis putans Domini corpus abeſſe, cogitet id fieri ne externæ præſentiæ nimis adhæreat, adeoque ut quærat pure per amorem uniri cum Spiritu Chriſti? Ecce, quo deventum fuiſſet ſi moderamine & ratione eſſent uſi! Nam

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

hæc meridiana luce clariora ſunt. Sed forte eis inviſa qui partes amant, vellentque odiorum & rixarum prætextus æternum remanere: Quibus, in gratiam quorumvis cordatorum, non eſt quod eouſque placeatur. Sed redeamus ad propoſitum, videlicet Potentiam Dei.

XV. Supereſt ut conſiderem Divinam Potentiam in reſpectu ad exiſtentiam rerum. Quamvis Dei Potentia ſit ejus Naturæ eſſentiale attributum & neceſſarium, non tamen putandum eſt, res quæ per illam exiſtunt, abſolute neceſſarias eſſe, ſive neceſſario exiſtere. Nam etiamſi de his cogitans neceſſario judicare debeam, poſito Deum velle aliquid eſſe, voluntatis ejus efficaciam tantam eſſe, ut ſufficiat ad exiſtentiæ rei illius poſitionem; non tamen eſt neceſſe ut Deus tale quid potius quam aliud, vel plane nihil, voluerit. Ergo, quemadmodum ſupra de rerum eſſentia & veritate, ſic jam de earum exiſtentia dicimus, etiamſi nulla eſſet, nec futura eſſet unquam, Deum ſemper nihilominus Potentem fore, quoniam hæc perfectio & efficacia ab ejus voluntate eſt inſeparabilis, ut, ſi velit, res futuræ ſint. Nota in tranſitu, cum omnia quoad eſſentiam & exiſtentiam potuerint in æternum eſſe nihil, ſolius Dei neceſſitatem & ſufficientiam. Sicut autem ex ejus Potentia eſt, ut ſi velit res eſſe, futuræ ideo ſint, ita quoque reciproce dico, Si res, quæcunque ſint, exiſtunt, (ut revera exiſtunt multæ, quarum compages mundus dicitur,) omnes per hanc vim, rationem & cauſam exiſtunt quod Deus eas ſic voluerit: ſive, *Omnia quæ exiſtunt, à Dei voluntate efficaci ſive Potentia, efficiuntur.* Quod ex demonſtratis ſic deducitur. Si Deus aliquid velit exiſtere, ob hoc ipſum velle res exiſtet: At Deus vult res omnes eſſe ut jam ſunt: nam ſi vellet aliter eſſe, nec tamen eſſent, ejus voluntas non eſſet potens. Igitur quod Deus velit res omnes eſſe id quod jam ſunt, id velle eſt cauſa & ratio & vis poſitionis ſive exiſtentiæ omnium iſtarum rerum. Præterea, Nullæ res præter Deum neceſſario exiſtunt ſive habent in ſe rationem exiſtentiæ ſuæ, ut in loco de Sufficientia Dei viſum eſt: Ergo omnes res alibi rationem exiſtentiæ habent. At alibi, ultra omnes res, nulla eſt res niſi Deus: Et cum in Deo conſideretur ejus Natura ſe ſola contenta, à qua nil procedit præter ipſum Deum; dein ejus placitum indifferens in determinatione ad externa; ſequitur, hoc placitum ſive hanc voluntatem quatenus determinata eſt ut ei placuit, eſſe rationem & cauſam exiſtentiæ rerum. Sine hac, res carentes cauſa, tum interna, nempe neceſſitate eſſentiæ & exiſtentiæ, tum externa, ſcilicet efficiente, nullæ omnino eſſent. Plures non adferam hujus veritatis probationes quæ ex aliis Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

attributis deſumi poſſunt, ſiquidem hoc ſit eorum vis, ut ſeſe mutuo probent.

XVI. Cum dixi res omnes exiſtentes, quales jam ſunt, à ſola Divini placiti efficacia poni, ſatis intelligitur, primo, hoc ad errorem & peccatum non eſſe extendendum, nam non ſunt res, ſed defectus, nec ſunt rerum ſeu perfectionum exiſtentiæ, nec quid poſitivi, adeoque non opus eis eſt poſitiva cauſa ut ponantur. Secundo, per hoc patet, omnia quæ realitatem habent his includi, à maximis ad minima: ipſæ res, ſubſtantiæ, earum perfectiones, proprietates, modi, duratio, longa breviſve, verbo, omnia, talia ſunt, durant, ſtant, diverſificantur, nulla alia de cauſa, quam quia Deus vult. Atque hoc non modo eſt de ſubſtantia corporea quæ terram, cœlos, & omnia quæ in eis ſunt, conſtituit, de ejus omnibus particulis, earumque figuris, motibus, diſpoſitionibus, motuum determinationibus, quæ etſi conſenſui Cogitationis creatæ jungantur, non minus tamen ſola vi divina ponuntur; ſed etiam id ad omnes Mentes, earumque modos, debet extendi. Præjudicium eſt puerile, cogitandi modos, hanc illamve cogitationem, ſcientiam, judicia, affectus, conſuetudines, determinationes ad has illaſve ideas, actuſque omnes internos, quatenus in illis eſt aliquid poſitivi & non-nihil, minus à Potentia Dei pendere & effici quam modos corporeos. Scilicet ubi corpus aliquod novos induet modos, ut ſi lutum indueret formam humani corporis, ſi mons ex loco tranſportaretur, ſi planetarum motus in contrarium determinaretur, tunc hæc ut maxime poſitiva ſpectata ad maximam cauſam referentur; nec tamen id fieret cum Mentis modi mutantur & novi accedunt, cum Mens ignorans fit cognoſcens, cum Deum noſſe, optare, amare, &c. incipit! id à Cauſa Summa vel non efficeretur, vel parum eſſet! Cum tamen in hoc ſit millies plus realitatis ſive perfectionis, quam in totius univerſi motibus eorumve mutationibus. Puerorum eſt ubi nil corporei occurrit, vel nil quod coactivo modo nos afficiat, ut in illis quæ Menti cum ejus conſenſu accidunt, ibi nil magni effici, vel nil prorſus, judicare, quare etiam quidam ſe à Deo ſuſtentari non capiebant, quia id violento modo in ſe agi non experiebantur. Sed ut quis animadvertat quantæ ſint in modis mentium perfectiones realitateſque, reputet apud ſe, totam totius univerſi materiam, utut perfecta ſit, ne unius quidem ex ſuis perfectionibus vel imperfectionibus eſſe conſciam, qua perfectione nullus cogitandi modus deſtituitur: advertat deinde, quanta ſit inter ſtupidam, ignaram, vel vitioſam, improbamque, & inter ſolertem, dili-

gen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

gentem, atque probam Mentem differentia, etſi tantum modalis ſit, non enim inter Sanctum Angelum & Diabolum differentia eſt quoad eſſentiam: conſideret omnia quæ fiunt in mentibus, in mundo, in Rebuſpublicis,&c. ex occaſione modorum mentis fieri: attendat ad differentias idearum quibus modificantur cogitationes, ad diverſitatem modorum quibus Mens in ideata fertur, v. g. in Deum, creaturaſve, aurum, lutum, &c. amore, odio, triſtitia, negligentia, &c. quanta in poſitione quorumdam præ aliis perfectio & realitas! quanta graduum perfectionis diverſitas! quanta in quorumdam abſentia negatio, privatio, imperfectio! De illis quæ privativa ſunt, alibi: at de poſitivis, omnes cogitationes, earumque modi, cognitionis, judiciorum, ſcientiæ, affectuum, omnium facultatum extenſio, termini, actus, numerus, via, circumſtantiæ, omnia, à Dei voluntate efficaci poni, ex vi demonſtrationum præcedentium fatendum eſt. Cum enim omnis realitas à placiti Divini efficacia efficiatur, quomodo hæ ei ſubtrahentur? Denique, tertio, de objecto Potentiæ Dei exiſtente eſt advertendum, id eſſe res quas dixi, corporeas & ſpirituales omnes, earumque modos, ſive à natura ſive à gratia procedere dicantur, ſeu naturales, ſeu ſupernaturales aut cœleſtes vocentur. Non verè dicitur, hominem aliquid poſitivi ex ſe poſſe in naturalibus, aut politicis, qui in ſupernaturalibus, ſive ſpiritualibus, quæ ſtatum gratiæ ſpectant, nil poſſit. quaſi vero natura magis eſſet independens quam gratia! quaſi creatura in ſtatu naturæ minus penderet à Deo quam in ſtatu gratiæ, magiſque ex ſe conferret in uno quam in alio ſtatu. Perperam hic diſtinguitur ubi nil hoc ſenſu eſt diſtinguendum. Omne & quodcunque eſt extra & præter Deum, ex ſe nihil eſt, neque id, niſi Deo volente, quia & quatenus vult, exiſtere poteſt. An vel minimum poſitivum eſt præter & ultra Dei voluntatem? An præter Deum datur aliquid quod ſit ſui exiſtentis cauſa & ratio; & quod dicere poſſit, Deus me non poſuit, ſed Ego memet independenter ab illo? Certe, cauſam vel minimi poſitivi quærere extra Deum abnegatio Dei eſt: Et, ſiquidem aliquid putetur poſſe concipi ut independens à Deo, miror cur id non magis ſtatuatur de rebus perfectioribus, de ſumma quæ in hominibus eſſe poſſit cognitione, doctrina, felicitate, conſervatione vitæ, & ſimilibus, quam de minoribus quæ in iiſdem, qualia ſunt ire, loqui,aliæque actiones naturales aut politicæ, quibus minus perfectionis & Potentiæ ineſſe eſt agnoſcendum. Si eſſe à ſe alicui præter Deum tribuere velis, probabilius id de perfectioribus quam de imperfectioribus cenſere deberes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

§. 17. *De Potentia Dei Quæſtiones.* Prima, *de modo ponendi res.* 18. 19. Secunda, *Res poni ſub conditionibus, nec media Phyſica vel moralia excludi.* 20. *De miraculis.* 21. 22. 23. *De iis Phyſice ſpectatis: ea, (ne quidem in myſterio Tranſſubſtantiationis) non evertere naturam, ejuſve leges.* 24. *De iis ad cultum Dei relatis Propoſitiones Quatuor.* 25. *Quæſt.* Tertia, *de Rerum neceſſitate & contingentia.* 26. Quarta, *quid creatio, conſervatio, concurſus prævius, ſimultaneus?* 27. *Difficultates. De libertate.* 28. *De compenſatione, laude, exiſtimatione creaturarum.* 29. *De petitione & gratiarum actione, &c.* 30. *Deus omnia. ab aliis nil ſperandum vel metuendum.*

XVII. Agnita Dei in omnia quæ exiſtunt Potentia, nonnulla ſpecialius de illa quærenda ſunt, nempe, Quomodo actu rem quamque ponat? An res abſolute, an vero ſub certa conditione exiſtere efficiat? Tertio, cur res nonnullæ contingenter, aliæ vero neceſſario exiſtere dicantur? Tandem verbum unum alterumve de creatione & conſervatione faciendum erit. De prima quæſtione ſuperfluum eſſet aliquid dicere, poſt ea quæ de efficacia divinæ voluntatis dicta ſunt, niſi eſſent nonnulli qui præjudicio importuno falſoque ratiocinio præoccupati, rem claram tenebris involverent, obſcuriſque vocibus, dum ſubtilitates proferri à ſe putant, implicarent. Nempe cum unuſquiſque attendit ad ſe dum vult res quaſdam externas incipere fieri per ipſius interventum, animadvertere poteſt, ad effectum non ſufficere potentiam ſuam, ſive quod poſſit ſuo modo, neque etiam ſufficere quod velit ſeu decreverit rem eſſe; ſed oportere cum his ſingularem virium contentionem explicare atque Mentis conatum, quem alii actum imperatum vocant, & cujus differentiam à ſimplici efficiendi voluntate ſenſu ſatis metimur omnes. Unde eſt, quod forte nemo ſit, qui non tale quid de Deo, res antea non exiſtentes efficiente, aliquando cogitaverit, maxime in primis quæ poſt infantiam formata ſunt de illo judiciis, quæ apud multos nunquam corriguntur. Memini me, ni fallor, tale alicubi præjudicium ſimili ratiocinatione firmatum, vidiſſe: Res non incipiunt exiſtere ſive poni quia Deus eſt Potens, nam ſemper talis fuit, nec res ſemper fuere, & hac ratione etiam res plures quam ſunt eſſe deberent; nec ponuntur quia eſt volens, nam dicitur fuiſſe volens ab æterno, nec ideo tamen res exiſtebant, imo multa vult, quæ nondum ideo exurgunt, ſed demum poſt plura ſecula futura ſunt: Igitur præter Potentiam cum voluntate

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ut res ex nihilo in exiſtentiam veniant, aliquid inſuper requiſiverunt, quod, ſi bene memini, actualem efficaciam vocarunt; eamque cum Voluntate & Potentia junctam res ponere exiſtentes, quæ prius poſſibiles erant. Sed ejuſmodi craſſis ſubtilitatibus non eſt opus. Non eſt Deus ſimilis noſtri, qui conamina ejuſmodi violenta & tranſeuntia in ſe experiatur & extra ſe explicet. Sola Dei Potentis voluntas ſufficit ut res exiſtere incipiant, non quidem ſimul, cum illa Voluntas in Deo eſſe concipitur; ſed eo tempore, momento, iiſque circumſtantiis, in quibus Deus ante omne tempus voluit res tales & tales exiſtere. Ultra hoc nil requiritur: nec abſurda, quibus inſtabatur, vim habent, ſi dixero, Deum ita perfectam Cogitationem eſſe, ut quæ ante tempus voluit cogitare tali tempore modoque fore, ideo, quia voluit, etiam eodem tempore, modo, loco, &c. quomodo voluit, exiſtant.

XVIII. Ex his facile eſt ea deducere quæ quæſtioni ſecundæ ſatisfaciant. Nempe ſi Deus velit res ſub quadam conditione & talibus circumſtantiis fieri, ſequitur res non abſolute, ſed ſub conditione exiſtere, qua poſita res ponantur, abſente vero, non exiſtant. Atque id probatur ex omnibus quæcunque fiunt & exiſtunt, corporeis & ſpiritualibus, naturalibus & moralibus. Corpus meum, exempli gratia, non movetur, ſive, certo modo determinatur in motu ſuo, niſi ſub conditione interventus voluntatis meæ: Mens humana non incipit exiſtere, niſi corpus quoddam ei uniendum diſponatur: In eadem, ſcientiam virtutemque non ponit Deus, niſi ſub conditione attentionis, precum, hortationum, &c. uti nec vivet corpus, niſi mediantibus cibis auxilioque hominum; & ita de cæteris. Nec tamen ſequitur ex dictis, Deum pendere à creatura, aut ſe illi ſubjicere, aut mutabilem concipi, cum aſſeritur his, ſimilibuſque verbis veritatem denotari, videlicet, *ſi hoc non fuiſſet, neque illud ſecutum eſſet*, ſi hoc accidiſſet, non fuiſſet hic vel ille mortuus, aut aliud quid, & quæ ejuſmodi de quibuſvis eventibus dici poſſunt, & vera ſunt: Nam, hæ regulæ agendi, ſive conditiones ut agat Deus, non ſunt Deo à creaturis impoſitæ, ſed Deus eas ſuis operationibus præſcripſit, quatenus noluit niſi ſub hiſce conditionibus operari. unde eas conſtanter obſervat, idque non neceſſario, quaſi aliter nec potuiſſet nec poſſet, ſed quod ex arbitrii ſui libertate præſcriptas, eaſdem ei conſtanter placeat obſervare; niſi quod, ut oſtendat ſe non ideo illis alligari, atque ſe à nullis pendere, interdum non nihil aliter efficiat, & tunc miracula dicitur operari, de quibus mox. Sed, quod ad hanc rem præcipuum eſt, non creaturæ talium conditionum exiſtentiam & circumſtan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tias ponunt, verum ipſe Deus eas cum omnibus, ut probatum eſt, ponit omnes. Cum ergo dicitur, ſi tale quid non fuiſſet, neque illud, quod ſecutum eſt, fuiſſet factum, id ſic reſolvi debet: Si hoc non fuiſſet, id eſt, ſi hoc Deus noluiſſet & non poſuiſſet, ſignum fuiſſet eum noluiſſe nec poſiturum fuiſſe id quod ſecutum eſt. Principium eſt, ille ponit antecedens, Conſummator eſt, ponit conſequens: & cum non ponit antecedens, eo ipſo notat ſe non poſiturum conſequens: nam modus quo agit ordinarius convincit nos de nexu operationum ejus, quem cum obſervet ille, nos quoque diligenter obſervare debemus. Nec dici poteſt, Deum, quo pluribus mediis operatur, eo magis quaſi indigentem videri, minuſque Potentem: quin contra, eo majoris Liberalitatis Potentiæque argumenta luculentiora proponit, quo majori mediorum apparatu res efficit: cum media etiam æque ac res cæteras efficiat. Sed hominem de egeſtate palpabili modo ſic convincit, ejuſque faſtum reprimit, dum eum ſub legibus quibuſdam, tum materiæ, tum motus, tum agnitionis miſeriæ defectuſque, & petitionis auxilii alieni, ſubjecit, ut hac debeat ad ſcopum ſuum tranſitus fieri.

XIX. Hiſce facile diſcutiuntur plurimæ cogitationes quæ importune multis hæc ut decet non meditantibus occurrunt, atque eos eo deducunt, ut concludant à poſitione voluntatis Dei de effectu ad negationem mediorum, quaſi quando vult Deus aliquid ex placito ponere, nulla ſint media adhibenda. Quam ſæpe apud plebejos audiveris, Si Deus eos in vita per certum tempus velit eſſe, ſe igitur nolle pericula (quæ ſunt conditiones deſtructionis corporis) evitare, qualia ſunt v. g. loca contagio infecta, & quæ periculis ſunt obnoxia, & multa ejuſmodi. Hæc rebellio eſt in leges Dei, earumque abdicatio ex barbaro ignaroque faſtu procedens: quaſi talis homo tantus eſſet, ut ob illius vitam Deus leges ſuas debeat deſerere, eumque extraordinario modo ſuſtentare: quæ cogitatio inſolens tacite ſubeſt. At dices de moralibus mediis non poſſe ita eſſe, Si enim voluit Deus in me efficere bonum & beatitudinem, ut quid precibus & hortationibus indigeo? Reſpondeo, has ipſas ſic volente Deo eſſe media eſſentialia rei ſeu ſcopo à Deo intento: Nam cum vera felicitas in hoc conſiſtat ut ſumme optatis & deſideratis fruar, (quod ſupra oſtendimus) ergo cum Deus vult me felicem reddere, eo ipſo vult me ſumme optantem, me deſiderantem, ſive precantem, efficere, atque boni veri ardorem in me ponere, ut deinceps fruitione optati beatus reddar: Si vero vult me alacriter & ſumme optantem reddere modo intelligenti, ut rem cogitantem cum intelligentia decet, hoc ipſo vult ut

alacres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

alacres & animoſæ cogitationes, ſive monita & hortationes, Mentem meam ſubeant. Et ſic de cæteris judicare licet.

XX. Dixi modo, Deum aliquando nonnihil efficere aliter quam ſub conditionibus ordinariis, eoſque effectus *miracula* vocari. De his jam aliquid dicam, eoque libentius & forte fuſius, quod mihi hactenus non licuerit in ullum incidere, ex quo menti cuivis aliquantum perſpicaci hac in materia difficili ſatisfieri poſſit. Nonnulli ea prorſus negant à Deo vel facta eſſe, vel fieri debere: Alii diſputant an quæ mediantibus Angelis malis, praviſque hominibus fieri vel facta eſſe dicuntur, ſint vera miracula, an vero mirabilia? Jam, ſi ea conſiderentur in ordine ad doctrinas in Religionibus ſtabiliendas, vel contra, quantæ turbæ! Hic, ut me omnibus iſtis extricem, conſiderabo primo miracula in ordine ad ſtatum rerum naturalem: ſecundo, eorum uſum in iis quæ ad cultum Dei ſpectant. De facto autem, an hæc vel illa quæ hic aut iſte narrat, ita facta ſint ut dicit, non eſt hujus loci inquirere; ut neque agetur de illis quæ operatur in mentibus Deus dum eas ad ſe convertit, ſed tantum de illis quæ in rebus corporeis fiunt. Diſtinctio miraculorum & mirabilium ut hac in re nonnunquam uſurpatur, ex earum genere eſt quibus nonnulli uti poſſunt ut ea quæ ignorant verbis nil clari ſignificantibus coram imperitis ſe noſſe ſimulent.

XXI. Ut de miraculis bene judicetur, ſupponendum eſt res manere quantum quidem affirmari poteſt in ſuo ſtatu: adeoque, poſito miraculo, via ejus explicandi quæ minus à ſtatu rerum recedit, & phænomeno clare ſatisfacit, præferenda eſt ei, quæ rerum ſtatum magis turbat; eaque plane rejicienda eſt quæ ipſam naturam rerum omnino ſubvertit. Hoc ita clarum eſt, ut ab eo probando, maxime poſt ea quæ jam de Dei Dominio & Potentia notata ſunt, abſtineam. Hinc autem ſequuntur duæ Regulæ maximi uſus. Prima hæc eſt: *Miracula non ſunt contra naturam rerum extenſarum*, ſive, non deſtruunt ideas materiæ, ſeu extenſionis vel ſpatii, nec ideas motus, aut quietis, aut diviſionis materiæ, &c. Non faciunt ut hæc ceſſent eſſe id quod ſunt in eſſentia, multo minus ut in exiſtentia maneant, & tamen ſimul non maneant, ſed mutentur, v.g. ut extenſio parva ſit materia ſive extenſio magna & non parva; ut eadem extenſio ejuſque modi maneant, nec tamen res eadem exiſtat, ſed alia, cujus natura eſt extenſio major aliter modificata. Examinentur omnia miracula de quibus eſt conſenſus, nullum ab hac regula aberrabit. Secunda talis eſt: *Miracula non ſunt contra Regulas primariorum modorum rerum extenſarum.* Primarios modos voco quietem & motum; Secundarios (qui horum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

primorum quaſi modi ſunt) quietis ſituationem & motus determinationem: ex quorum mixturis omnium rerum materialium diverſitas, natura particularis, omniſque variatio exurgit, ut ex omnibus Carteſii operibus Phyſicis evidentiſſime velut ad oculum patet. Modorum horumce primariorum hæc eſt lex, ut motus & quies uti jam exſtant non pereant, ſed in eadem quantitate atque proportione permaneant, adeo ut ſi aliquid motus incipiat poſtmodum eſſe in parte materiæ univerſi ubi prius nullus erat, tantumdem reciproce quietis in alia materia prius mota incipiat exiſtere, ut exacte proportio ſervetur eadem. Nil unquam in natura obſervatum eſt quin poſſit ſalva hac lege, imo per illam, explicari, ut ſciunt, quotquot Dei opera ordinaria cum attentione nonnulla extra Philoſophaſtrorum tenebras inſpexerunt. Sed etiam dico, nullum poſſe deſignari miraculum quod contra hanc legem factum eſſe dici poſſit. Nam etſi motus inceperit ſubito eſſe in corpore prius quieſcente,& tamen nullum aliud ad ſervandam proportionem videatur quieſcere, vel contra; non ſequitur tamen motum aliquem de novo fieri contra legem dictam, cum (quod in omnibus corporum craſſorum motibus fit) materia quædam ſubtilis, ſenſibuſque ſubducta, omnia penetrans & cingens, hunc motum ex ſe, recipiendo in ſe tantum quietis, in corpus illud poterit transferre. Hactenus ergo dici non poteſt, miracula eſſe contra conditiones ſive leges naturæ. Eorum igitur diverſitas à cæteris Dei operationibus, quærenda eſt in rerum modis ſecundariis, eorumve legibus.

XXII. Secundariorum modorum duplices ſunt leges, unæ quæ ſpectant corpora ſola modificata, aliæ quæ reſpiciunt ea quatenus mentibus nonnullis uniri poſſunt. Primas vocabimus Leges brutas, alteras vero, rationales. Brutæ leges de motus determinatione ſunt 1. Directio in lineam rectam. 2. Reflexio. 3. Refractio (quæ penitus inſpicientibus eſt revera reflexionis ſpecies.) 4. Communicatio ſui corporibus nonnullis ſecundum rectam lineam, ſed recipiendo, ob jam dictum, tantum quietis. Hæ in operibus in quibus nulla cogitatio creata intervenit, exactiſſime obſervantur, ſed non in illis, quibus Cogitationem creatam jungere voluit Deus: certum enim eſt motus corporis illius, cui juncta Mens eſt, vel ejus partium nonnullarum, quales ſunt ſpiritus animales, non determinari Bruto hoc modo, ſed ex ratione & arbitrio cogitationis creatæ ei junctæ, quæ motus ibi exiſtentes determinat, ſi non omnes, ſaltem plurimos, quo vult, at, quamdiu ſunt in ſphæra ejus actioni aſſignata: nam alioqui cum corpora mota, ſpiritus videlicet animales,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

males, ex eo loco cerebri devenerunt alio, & muſculos implent qui pellunt corpora externa. Iſta, ut jam extra ſphæram mentis, Legibus brutis iterum ſubjiciuntur. Atque in his omnibus quæcunque fiunt, etiamſi miranda ſæpe dicantur, pro naturalibus tamen agnoſcuntur. Sed notandum eſt, de nonnullis mentibus quæ Angelicæ vocantur ſic diſpoſuiſſe Deum, ut, etſi forte non omnes, nec ſemper, nonnullæ attamen, ſive bonæ ſive malæ ſint, aliquando cum materiæ quæ eſt in motu nonnulla portione nexæ ſint: unde ſequetur, motum hujus materiæ (quam primum & ſecundum elementum nonnulli appellant, & forte partes tertii ſubtiliores) non quidem produci, ſed determinari alio modo quam ſi ſolus regulis brutis eſſet permiſſus, nempe pro cogitatione Mentis unitæ, quemadmodum motus ſpirituum animalium ex arbitrio animæ humanæ determinatur. Hinc materiæ illius agitatiſſimæ, ſenſibuſque (ut ſpiritus animales, qui tamen multo craſſiores) ſubductæ, directiones, reflexiones, refractiones, in corpora craſſa & ſenſibilia occurſus, adeoque horum mutationes ſubitæ & multifariæ oriuntur, quæ cum ultra ordinarium brutumque corporum quæ circa nos ſunt regimen fiant, admirationem in nobis excitant, & miracula nominantur, qualia ſunt in tenebris Ægypti, aut Palæſtinæ tempore mortis Chriſti, impeditio motus directi ſolarium radiorum, eorumque à ſola Ægypto & Palæſtina reflexio, reflexio item miraculoſa in mari rubro, in Jordane, in igne Babylonio, &c. refractio miraculoſa in horologio Achazi, quo forte referri poſſet ſtatio illa Solis Lunæque tempore Joſuæ, planetis quidem ut antea procedentibus, luminariorum vero radiis miraculoſe per nubes plurimas ratione extraordinaria diſpoſitas per longum ſpatium tempuſque ad terram Canaam ita refractis & reflexis, ut dies inde prolongatus fuerit. Sic dictæ iſtius materiæ determinatio verſus alia corpora horum particulas poteſt ita radere, ita immutare, figurare, & compingere, atque ita diverſimode diſponere, vel in corpore noſtro, ejuſque ejus organis quibus objecta percipimus, vel in mediis, vel in ipſis objectis perceptis, (nam perinde jam eſt ubi hæc fiant) ut magnæ fiant mutationes, v. g. in objectis externis, ut aëris particulæ coacervatæ ex aëreis fiant aqueæ, vel ex aqueis vinoſæ, & ſimilia, adeoque naturam particularem mutent; atque aliter quam prius in ſenſus incurrant, aut, ſi quæ primo mutata ſunt immediate non incurrant, ea agant in alia, & hæc forte in alia, quæ tandem quædam extraordinarie in ſenſus faciant incurrere. Nec ullum eſt miraculum quod ſic volente Deo fieri, adeoque exponi non poſſit. Quid enim opus eſt ſtatuere, Deum omnes univerſi

Leges, ſapientiſſime ab ipſo ſtatutas & conditas evertere, cum res iis ſalvis via Deum decenti concipi poſſit, neque etiam conſtet miracula in re ipſa ſenſus feriente fieri immediate, ſive ſine interventu tum materiæ, quæ correſpondeat illi qua corpora noſtra, & per hæc alia, moventur; tum etiam mentis cujuſdam, illius materiæ motum determinantis? Quid quod in miraculis quæ Scriptura S. recenſet, ſemper fere Angelus unus pluresve interveniſſe narrentur, aut ſaltem Mentes humanæ, quæ ob officium Angelicum, quia nempe ad aliquid ſpeciale à Deo miſſæ erant, Angelicæ dici poſſint, atque eadem facultate qua Angeli pollere, aut ſaltem ea, ut ſi quid velint id Angeli debeant exequi, prout inter humanas mentes unæ ſecundum quarumdam juſſum, declarationemve, ad extra operari tenentur?

XXIII. Non jam immorabor in iis refellendis qui cauſarentur Deo ſic fere nihil tribui, ſed Angelis: cum ſupra demonſtraverim omnia poſitiva quæ in mediis & effectis ſive mentium ſive corporum ſunt, à Deo ſolo effici. Non deprecabor conſequentiam quæ ex dictis objici poſſet, nempe ex his ſequi, ea quæ intercedentibus Mentibus pravis, diabolicis & impiis ita accidunt, inter miracula fore numeranda. Omnino miracula ſunt dicenda ejuſmodi operationes, qualiſcunque Mentis, etiamſi Diaboli, etiam Impoſtoris & Magi interventu exiſtant. Sed cauſantibus, ea non fore miracula, quæ ita regulatim & per media fierent, reſpondeo, miracula ideonon dici, quod Deus confuſe & turbatim ea operetur quæ naturam ejuſque leges deſtruant ut ſtulti ſtupere ſolum poſſint; Sed quod ſint ejus operationes bene ordinatæ quæ per principium intelligens determinantur circa nos in rebus quæ per brutas Phyſicaſque regulas, aut per Mentis humanæ ordinariam diſpoſitionem, aliter factæ eſſent, quaſque, ſiquidem illæ apud nos eo quo accidunt modo ſint inſolitæ & extraordinariæ, idcirco non ſine gravi & extraordinaria cauſa à Deo fieri judicandum eſt. Hæc nos ducunt ad finem ſive uſum miraculorum, quem ex his verbis patet eſſe, attentionem ad Deum operantem, deinde etiam ad perſonas, earumque actiones, aut voces, per quarum interventum operatur, attamen eatenus quatenus ex his regreſſus ad Deum fieri debet: nam in ipſis mediis, vel quod pejus, in operationibus hærere, nefarium eſt, & promotio myſterii iniquitatis.

XXIV. Hinc miraculorum in rebus Religioſis, ſeu quæ noſtram ad Deum relationem concernunt, magnus uſus & abuſus. Satius fuiſſet Authori Artis cogitandi hunc lapidem tractatu ſat difficilem adverſariis ſuis non moviſſe, quam multa in operis ſui integro capite [a] coacervaſſe

(a) Ars cogitandi part. IV. cap. XIII.

ſe ſine ordine, lumine, principiiſque ſufficientibus, & tamen ita, ut omnes cum adverſariis lites ex hoc uno prætendat decidere, & de iis tanquam uno ictu proſtratis, ſecure triumphare; quod amicis commiſerationem, inimicis vero riſum & confidentiam movet, utpote qui inde præſumptionem capiant arbitrandi omnia per quæ impugnantur ejuſdem eſſe commatis. Ut in materia tot dubiis & illuſionibus obnoxia certius & clarius eatur per propoſitiones nonnullas procedemus ex quibus tanquam principiis Mens quævis integri liberique judicii ea deducet quæ ſibi hac in re ſatisfacere apta ſint. Sed velim ut prius in animum revocentur ea quæ in fine Libri ſecundi, & paſſim in hoc Tertio dicta ſunt de nihilo, ut ſic dicam, omnium quæ non ſunt Deus, quod nil plane ſint à ſe, quod iis non ſit adhærendum, quod Mens ſe contemnens, omniaque prætermittens, ad Deum tendere debeat: & quæ huc faciunt: quæ quidem multi ex ignorantia, multi etiam etſi moniti, ignorare affectantes, non obſervant. Hiſce poſitis, quæcunque de miraculis circa ſacra ad uſum qui jam nos concernit dici poſſunt, quatuor ſequentibus propoſitionibus includimus, quarum prima eſt.

1. Ut Mentes *infirmæ* creaturis adhærentes, ab illis ad Deum intellectu & amore, ſanctitate doctrinæ & vitæ, convertantur, vult Deus interdum miracula fieri interveniente voluntate perſonæ quæ recte doceat ſancteque vivat, ut oſtendat Deus ſe eam viam ad ſe redeundi probare quam perſona illa verbis atque exemplis proponit. Hæc Propoſitio cum ſit perſpicua, nec controvertatur, non eget probatione ulteriori.

2. Secunda Propoſitio. Ad examinandum ſive tentandum, utrum illi *qui non amplius infirmi*, ſed ob veritatem in qua ſæpe inſtructi fuere, *fortes eſſe debent*, adhæreant Deo ita ſolide, ut ab illo ob nullam creaturam, dictum factumve, quicquid accidat, avellantur, unde conſtet eos vero amore ſoli adhærere Deo ſuper omnibus; Vult Deus ut fiant miracula per Impoſtores, falſum cultum inculcantes ut hominem à Deo ad creaturas convertere tentent. Hæc propoſitio eſt ipſius Dei, & exſtat in Deuteronomio Cap. XIII. v. 1. 2. 3, &c. Et notabile eſt primum miraculum quod poſt primorum Parentum creationem factum eſt, tale fuiſſe, cum per ſerpentem interventu Diaboli loquentem, homo non in ignorantia conſtitutus, ſed ſufficienter intelligens, probatus fuit, utrum Deo, an vero creaturis, adhærere mallet.

3. Tertia Propoſitio. Ut puniantur ii, *qui pertinaciter veritati reſiſtunt*, adeoque ea ſunt indigni, *quique mendacium quærunt & vanitatem*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſive cultum & adhæſionem creaturæ, (cum omnis à ſe ſit prorſus nihil,) adeoque qui merentur mendacio mancipari; Vult Deus ut fiant miracula quibus hi pertinaces de mendacio & vanitate perſuadeantur, ideoque ſub ſervitute peccati fortiter detenti, ſevere juſto Dei judicio de veritate neglecta puniantur. Hæc propoſitio etiam Dei ipſius eſt, & exſtat in Epiſt. 2. ad Theſſalon. cap. 11. v. 10. 11. & 12. & ſæpe in Apocalypſi occurrit. Nil Deo indignum eſt, ſi dicatur, impios operari per Potentiam Dei, cum per illam habeant ſuum eſſe, vitam, & motum: Et juſtum eſt, Deum de effectibus Potentiæ ſuæ per illos ſic diſponere, ut Veritas & Sanctitas contemptæ, vindicentur, luatque contemptor.

4. Ultima Propoſitio ſic ſe habet. In judiciis quæ miracula in particulari concernunt eorumque ſequelas, facile homines falli poſſunt, etiam ſolertiores, cum nempe ſimpliciorum & nonnunquam ſtupidorum, qui apud pleroſque pro piis reputantur, & de quibus interdum piaculum eſſet dubitare, relationibus, patulas aures præbent; vel dum ejuſmodi narrationibus in ſcriptis authorum vita functorum intruſis, locum cedunt; vel, (quæ fraus omnium maxima introduci poteſt,) dum unuſquiſque pro mente, vel lubitu, vel præjudicio ſuo, ſcopum miraculo aſſignat. Hæc Propoſitio per experientiam multorum ſeculorum probata eſt. unus ait miraculum factum eſſe hac de cauſa, alius aliam aſſignabit, & ſic in infinitum. Auguſtinus in Confeſſionibus (a) miraculum factum eſſe ait ut Arrianiſmi violentia, & Perſecutio Imperatricis Arrianæ in Ambroſium, inhiberentur, adeoque ut ea doctrina cum diſcipulis ſuis confirmaretur quæ docet objectum Religioſi cultus, ſive Religionis, Deum Creatorem eſſe, qui Jeſus Chriſtus eſt, ut docebant Orthodoxi; atque reprimerentur ii (Arriani nempe) qui Filium Dei colentes, eundemque pro mera creatura habentes, eam tuebantur doctrinam quæ Creaturam pro objecto Religioſi cultus ſtatuit: At ſi Author Artis cogitandi hoc aliaque velit referre ad confirmandum omnes abuſus qui circa creaturas, materialia, corporea, externa, quibus ſæpe multi vel plus quam Deo ipſi religioſe, idque aperte, adhærent, à ſcopo in contrarium recedit: Sique velit inde concludere, eos omnes qui ab ipſo in hoc diſſentiunt, eapropter convinci ſe in omnibus à veritate & ab ipſo cœlo aberrare, nil ex toto capite concludendum quibusvis relinquit, quam ſe à ſana ratione declinare. Tu vero, Lector, ſi ad tres propoſitiones præcedentes redeas, iis, quamvis in facto errares, ſeu miracula ficta ut facta crederes, tamen à vero ſcopo, à veritate una & ſumma, aberrare prohibeberis, neque te ullæ difficultates objectæ remora-

(a) Confeſſion. lib. IX. cap. VII.

morabuntur. Hæc non latius deducam. De miraculis hactenus ſatis eſto.

XXV. Accedo ad tertiam quæſtionem de Contingentia & neceſſitate rerum quæ exiſtere dicuntur, de quibus dico poſſe aſſeri, Omnes, nulla excepta, exiſtere contingenter, quatenus conſidero eas in ſe nullam habere neceſſitatem exiſtendi, imo etiam quatenus Deus eas non ex neceſſitate ſtatuit ponere atque poſuit. Sed cum animadverto, omnem, quæ eſt eritque, realitatem, non poſſe niſi à Deo poni, neceſſe eſſe determinatam Dei voluntatem non fruſtrari, Deumque, cum ſit Cogitatio perfectiſſima, infallibiliter omnia quæ determinavit cogitare & noſſe; non poſſum non adduci eo ut concludam omnia quæ exiſtunt, neceſſario, hoc ſenſu, exiſtere, cum nulla in rebus major neceſſitas excogitari poſſit ea, quæ eſt ex cauſa efficienti efficaci & determinata effectus poſitio & ſequela. Quodſi ex rebus ipſis nonnullæ contingenter, aliæ vero neceſſario exiſtere & fieri dicantur, ea quarundam rerum contingentia aliarum neceſſitati oppoſita nil aliud denotat quam ignorantiam noſtram. Nempe cum ſciamus experientia Deum per quædam uno modo operari, v. g. per ignem calefacere, poſſumus id certo prædicere futurum poſito igne, nec fallimur, quapropter dicimus id fieri neceſſario: Sed cum quædam ſint per quæ Deus diverſa operatur, videlicet per cogitationem hominis, nec ille nobis revelaverit quænam ex pluribus ſit operaturus, adeoque id ignoremus, nec poſſimus certo prædicere certum effectum, dicimus hic contingenter fieri quæ eveniunt. Etiam ubi omnes rei alicujus cauſas, quia forte ſub ſenſus cadunt, adeſſe videmus, rem dicimus neceſſario fieri, ut, moveri neceſſario corpus violenter à majore pulſum: at dicimus rem fieri contingenter, cum an cauſæ, ſaltem quædam, ſub ſenſum non cadentes, adſint necne, ignoratur; unde nil neceſſario, ſed omne à nobis contingenter ſequi dicitur, quia quid ſecuturum ſit ignoratur. Sunt qui & omne quod ſpontanee à Mente procedit, contingenter fieri dicant; quibus omnibus ſua verba concedamus, modo agnoſcant, realitatis cujuſcunque, ipſius etiam ſpontaneitatis, poſitionem infallibiter poni ex Dei voluntate liberrima, potentiſſima, nulliſque defectibus obnoxia.

XXVI. Reſtat ut quod quarto ſupra recenſui non prætercam. Sed cum res jam ſint expoſitæ, quod dicendum eſt nomina potius ſpectat. Nempe, prima alicujus ſubſtantiæ & modi primarii à Dei voluntate poſitio, ſive exiſtentia, *Creatio* nominatur, quocunque fiat tempore. Modorum etiam in aliqua ſubſtantia extenſa vel Cogitante mutatio per vias

extraor-

extraordinarias & miraculoſas, ſine quibus modi illi non tam cito, vel non omnino ſecuti fuiſſent, Creatio dicitur, ut formatio Solis, corporis humani ex luto, mutatio Mentis ignorantis nec Deum amantis in noſcentem & amantem Deum, aliaque. Horum autem omnium durans exiſtentia *Conſervatio* dicitur, quæ realiter à Creatione non differt, neque ex parte rei poſitæ, cum ſit ejus exiſtentiæ (ultra primum momentum) poſitio, neque ex parte Dei, cum ſit ejus voluntas una ut res ſit prout ei placet. Itaque, cum dicitur, exiſtentiæ rerum momenta eſſe à ſe invicem independentia, tantam vim requiri ad poſitionem ſecundi vel tertii quam primi momenti creationis, non putandum eſt, reiterari pro rerum momentis reduplicatis actum illum imperatum, ſive conatum à Deo ſupra repulſum, aut voluntatem divinam: quaſi vellet Deus rem eſſe uno momento, quo poſito, & re in nihilum ad momentum ſequens tendente, iterum ad ſequens momentum efficaciam voluntatis ſuæ explicaret Deus, atque ita continuo, quemadmodum vox *concurſus* (concurſus prævius, concurſus ſimultaneus) inculcare videtur, quæ etſi ſatis apte rebus applicetur, cum dicat eas currere, fluere, & quaſi evaneſcere, nil conſtanter poſſidere, tamen ineptiſſime tribuitur Deo: etenim non concipiendus eſt Deus quaſi ſingulis momentis ageret, quaſi actus ab eo ſucceſſive & continua duratione fluerent & terminarentur ad ſingula creaturæ exiſtentis momenta. proprie Deus non concurrit, hoc eſt, in ipſo & ex ipſo nihil eſt quod durans cum creatura eam faciat exiſtere & agere; ſive, ex ipſo nihil eſt quod coëxiſtat & cooperetur cum creaturarum duratione: abſurda hæc ſunt, & contraria æternitati Dei, ut ſuo loco videbitur. Una Potens & ſimplex Dei Voluntas ut talia per tantum temporis exiſtant, ita ſufficit ad omnem durationem, ut nulla alia re ſit opus: hoc, & illud, & iſtud, & omne momentum exiſtit & tale eſt ob Voluntatem illam unam Potentem & Immutabilem, quæ ſemel omnia momenta decrevit. Ejus unius ſufficientiæ ſive efficaciæ ſigna, exiſtentiæ nempe rerum ſe extendunt ad omne tempus: quo ſenſu ſemper operari dicitur. Hæ nihilominus voces, de concurſu prævio & ſimultaneo, quia in uſu ſunt, ſic bene poſſunt explicari. Nulla creatura à ſe eſt vel *currit* niſi antequam ſit vel currat concipiamus ejus cauſam, nempe voluntatem Dei, poſitam & determinatam ad hoc ut creatura currat vel ſit, adeoque niſi concipiatur Dei voluntas, ut quæ præſit vel *præcurrat*. (hoc vocarunt concurſum *prævium*.) Deinde cum hoc momento creatura eſt, concipimus Dei voluntatem eſſe ut hoc tempore ſit & currat, potius quam alio: & ſic conſideratur

Dei voluntas ut determinata ad hoc tempus in quo eſt creatura, hocque concurſus *ſimultaneus* dicitur, (qui & ad conſervationem extenditur,) quia cum res durat, ſive fluit, ſive durationis ſtadium decurrit, concipimus voluntatem in Deo de ejus exiſtentia ſtare, ſive non eſſe mutatam. Nil hic addam ſpecialius de Creaturis, de Decretis Dei, de Providentia, de Regimine univerſi, de Miſericordia, aliiſque, quæ ſpeciale creaturarum regimen præſupponunt, cum hæc ſint extra limites ab initio propoſitos. Sed non poſſum quin duas difficultates, quæ ex occaſione hujus doctrinæ in genere oriundæ, nonnullis moleſtæ eſſe poſſent, coner removere. quarum Prima eſt de Cogitationum creatarum Libertate; Altera de earumdem compenſatione cuique ſua pro ſuis operibus.

XXVII. Si realitas quævis, ejuſque duratio & conſervatio, à ſola Dei vi ponantur, in quovis ſtatu, nec minus in mentibus quam in corporibus, tunc omnis libertas creata, non modo ea quæ eſt indifferentiæ, ſed & illa quam ſpontaneitatis appellant, videtur tolli. De Libertate indifferentiæ in reſpectu ad malum conſiderata, ſine qua non videtur aliquid malum poſſe dici, alibi agetur. Quodſi illa ad realitatis ſive boni alicujus phyſici vel ordinis alterius poſitionem referatur, cum omnem realitatem à Sola Dei Vi poni ſit demonſtratum, non video qui dici poſſit, hominem ad ea ponenda eſſe indifferentem quæ ipſe non ponit. Si quis vero videatur ſibi indifferens ad duo realia, ad hoc vel ad illud, modo ad demonſtrata attendat, agnoſcet id non inde eſſe, quod ipſe operetur à ſe independenter, & Deus non efficiat omnia in univerſum pro voluntate ſua; ſed tum ex eo quod neſciat quænam ex duobus ſit in ipſo tempus ſequens operaturus Deus, tum quod non agat Deus in illo & per illum violento modo, ſed eo qui conſenſum quendam ſecum infert: adeoque Libertas ſpontanea ſic non deſtruitur, ſed potius ſtabilitur neceſſario, cum non poſſit non eſſe effectus ſpontaneus ubi Deus eum eſſe vult potenter. De indifferentia omni, adhuc alibi.

XXVIII. De mali compenſatione, ſive vituperio & pœna, non propoſitum eſt quicquam hic dicere: Sed in illis quæ de peccato alibi ſunt dicenda, ea proponentur, ex quibus ſequetur, recte Deum non probare malum & deſinere in eo operari, ſive, recte malum puniri & vituperari. De iiſque poſitiva & realia ſunt, non vero privativa, cum hic ſolummodo loquamur, difficultas non eſt extendenda ulterius quam exprimitur verbis hiſce, nimirum, ſequeretur ex dictis (quod diffici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

le & durum videtur,) Nullam compenſationem, laudes nullas, nullas gratias, ullis mentibus creatis deberi, non tantum à Deo, ſed ne quidem à ſe invicem, dum unarum bonum per aliarum interventum promovetur: Siquidem ipſas ne minimam realitatis umbram ex ſe contribuere dictum ſit; Sed Deum unum omnia. Reſpondeo, id quod tanquam durum & difficile objicitur, eſſe omnium veritatum ſanctiſſimam & valde multum memorabilem, qua nihil ſplendidius, nil evidentius, ab attenta Mente conſpiciendum datur. Ecqui concipi poſſet, Eum à quo ſunt omnia, ab illis quædam accepiſſe à quibus nihil eſt, ut illis idcirco aliquid reddere teneretur? Fictio quævis meritorum ſive ex natura dicantur ſive ex pacto, qua mens creata aliquid reale ponere poſſe ſupponatur, contradictoria eſt, cum ſtatuat Deum dependentem & independentem, itemque Creaturam dependentem & independentem. Compenſationes omnes quæ à Deo eſſe dicuntur & in homines conferri vel immediate vel aliorum interventu, nova dona Dei ſunt ex mera ejus placiti liberalitate, quibus priora dona voluit cumulare. Compenſatio creaturæ à creatura, nulla eſt, impoſſibilis eſt: nam omnia quæ dari poſſunt Dei ſunt, nec ab eo alienari poſſunt, nec ulli alii ſunt debita. Ergo omnia ſunt Compenſatio ſive donatio Dei, eaque indebita, quibuſcunque mediis ad me perveniant. Nec ſequitur, Deum, ſi is bonum aliquod in me, & per me alicubi, operatus eſt, teneri ut bonum aliud per alios in me conſequenter operetur, multo minus ut ego mihi illas operationes attribuam, vel ut illæ ab aliis jure mihi imputentur. Quantum igitur à veritate defecerunt univerſi ferme homines, dum nemo laborem ſuum pro alio patitur intervenire, niſi per motivum compenſationum, lucri, laudumve exſtimuletur, & ne vix ullus libere, ut Dei Bona Potentia per ipſum in aliis manifeſta fiat! Fuere tamen vel inter ipſos Ethnicos qui hanc Apoſtaſiam atque defectionem cujuſque à Deo ad ſe, (ut Imperator Antoninus Philoſophus in libris de ſe ipſo ad ſe ipſum,) reprehenderunt, dum per hominem operationes fieri voluerunt haud ſecus ac fructus per arbores, aut aquæ per canalem proveniunt; ſine reſpectu ad compenſationem laudemque mutuam. Jam vero omne eorum qui ſtipites haberi nolunt ſtudium in eo verſatur, ut ſe ipſos mutuo in idola convertant, ſibique thura offerant viciſſim, dum meritorum, ut vocant, ſuorum quiſque laudes (ſacrificium ſoli Deo ex veritate debitum) alii in alios debacchare, conferre, atque à ſe invicem accipere ſumma induſtria contendunt. Quin à pueritia ſolent ita à ſuis ductoribus ineſcari, & provocari laudibus, ut poſtmodum per totam vitam non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

non animadvertant (niſi ſingularis Dei gratia accedat, quoddam ad ſe unum convertens) ſe ad exitium ruere, dum continuo furto ea ad ſe rapiunt quæ ad unam Liberrimam Dei Potentiam unice ſunt referenda. Hinc non mirum ſi Sophiſtæ, ſi homines mundo dediti, ſi ii qui pura ratione ad Principia uſque rerum prima non deveniunt, ad hæcce non adeo attendant, vel etiam ea irrideant, cauſantes, neminem laudi renuntiare niſi prius laudanda facere deſierit; (debuiſſent dicere, niſi prius didicerit omnia laudanda à ſolo Deo fieri, ubicunque illa fiant.) Sed miror virum recta ratione utentem Carteſium, in hunc ſcopulum impegiſſe, dum in Paſſionum parte Tertia de Generoſitate & Satisfactione ſui verba faciens, aſſerit hominem ſe exiſtimare poſſe, & acquieſcere in ſe ipſo ob proprium quoddam meritum, & cauſam aliunde non pendentem, & ſimilia. nam quamvis de ſtatu naturali loquatur, dicique poſſit de independentia à creatura, non autem à Creatore ſermonem eſſe, non inde tamen ſequitur hominem ſe exiſtimare, ſibique acquieſcere debere. Quæcunque ad Deum unum unde omnia, etiam in ſtatu naturali, manarunt, non remeant, ea deficiunt, nec ulla rationis ſpecies illam defectionem coram lumine Potentiæ Dei omnia ponentis colorare valet. Hæc veritas cuivis Deum recte agnoſcere incipienti ita chara eſt, ut eam commendare ſit ſuperfluum.

F. art: 152. & Seqq.

XXIX. Non licet igitur, inquies, aliquem aliquid ſocium ſuum rogare, ab illo petere, illum deprecari, eum orare, ei gratias agere, & quæ ejuſmodi, ſiquidem hoc agatur agnoſcendo quod ſit vel fuerit in alterius poteſtate rem agere, vel ſecus. Reſpondeo, petere ab aliquo, &c. non eſt agnoſcere & indicare illi quod ex propria potentia aliquid efficere poſſit, quod de ſe acſi ſolidi aliquid eſſet, debeat bene opinari: hoc idololatricum eſſet. Sed cum Deus res ita diſpoſuerit ut per inſtrumenta intelligentia & ſpontanea voluerit mihi opitulari, ut ego iſti Dei ordinationi morem geram, & inſtrumentum ex ratione & ſponte regatur, ei notifico adeſſe occaſionem quæ ejus interventum ſecundum Dei ordinationem requirat, idque hortor, ut tanquam Dei inſtrumentum ſe ab illo regi hac in re ſinat. Sic recte ab hominibus petitur. Eodemque modo cum creaturæ non-nulli gratiæ aguntur, ſi recte aguntur, his non declaratur, creaturam aliquid ex ſeſe effeciſſe, nec illi occaſio ſuggeri prætenditur, unde ea ſibi hærens ſeque ſpectans, de ſe ipſa ſibi congratuletur: Sed tum ei indicatur, Deum, qui ſolus laudandus eſt, per illam aliquid boni operatum eſſe, ut utrinque laudetur Deus, & illa ſe magis magiſque ejus regimini ſubjiciat; tum ei is cui ſubventum eſt teſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tur optare ſe eſſe inſtrumentum & canalem, quo Deus illi viciſſim officia bona communicet, ad agnitionem & celebrationem Potentiæ & liberalitatis Dei. Quæ huc non referuntur Cogitationes, tenebræ ſunt, quibus accenſendi vaniſſimi diſcurſus qui complementa communiter dicuntur, ſubtilia certe & efficacia Satanæ inſtrumenta, quibus vani homines certo & longe à Deo abducuntur, ſub ſpecie rei innoxiæ. Advertat cui volupe eſt.

XXX. Ergo omnia de Potentia Creaturarum ex ſeſe Phantaſmata evaneſcunt, ut Solus maneat Potentiſſimus Optimuſque Omnium Dominator & Author Deus, in quo ſolo tranquilliſſime acquieſcendum nobis, voluntatis ejus effectis & inſtrumentis. A cæteris autem ex ſe quicquam ponere impotentibus, nequicquam etiam vel ſperandum vel metuendum. De Dominio, & Potentia, attributiſque Dei quæ in relatione ad creata ſpectantur, ſi plura quam de aliis dicuntur, meminerimus ænigmatis ſacri, Deum à poſteriori conſpiciendum ſe præbere.

CAPUT XIV.

(13) COGNITIO ſive SCIENTIA.

§. A.

1. 2. 3. *De cognitione Mentis creatæ. Cur non ad omnes res extenditur.* 4. *Cognitionis inadæquatio & anguſtia.* 5. *Ignorantia. Obſcuritas. Error. Ratiocinatio. Incertitudo. Opinio. Evidentia. Certitudo. Scientia.* 6. *Nil de eo quod hac in vita cognitioni noſtræ accidet, determinandum.*

I. QUodcunque illud eſt quod de Cognitione quam habet Mens utraque, Divina atque creata, dicendum habui, hunc in locum, etſi ante præcedentia proponi potuit, rejeci, non alia de cauſa, quam quod ejus evidentia & certitudo ex jam dictis accedat. Nam, ut à mea Cognitione incipiam, poſtquam ex animadverſione decima tertia in meis cogitationibus, vidi paucis cognitionis meæ limites & imperfectiones, hoc ipſum ex præcedenti & ante-penultimo capite luculentius perſpiciam.

II. Rerum naturas, ſtatum, numerum, operationes, regiminis in duratione ſua diverſitatem cum contemplor quaſi exſtarent, tales de hiſce rebus cogitationes deprehendo, ut non tam earum defectus, quam defectuum inæqualitatem, mirer. Cogito innumerabilia eſſe, è quibus

par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

particulam ita parvam novi, ut ſi cum cæteris comparetur non ſit inſtar punctuli reſpectu immenſi cœlorum quod imaginamur ſpatii, & neſcio cur hanc particulam novi potius quam aliam. An mea de illa cognitio ſit ei adæquata, an etiam eſſe poſſit vel non poſſit, non eſt quod primo aſpectu determinem. Quam etiam de his quæ in iſta particula ſunt, vel eſſe poſſunt, notitiam me habere interdum putare vellem, ita incerta & dubia eſt, ut nonnunquam male rebus reſpondeat, adeoque fallar. Denique etſi ſciam meam ſcientiam in poſterum augendam, non tamen determinare poſſum, quouſque ſit proceſſura. Sed poſtquam præcedentia percepi, de his omnibus ſive de cognitionis meæ perfectione & imperfectione nonnihil certi determinare queo. Et primo quidem, cum omnis omnium rerum perfectio & realitas, adeoque & meæ Cognitionis, ſit à placito Dei liberrimo, patet, menſuram meæ Cognitionis de rebus quæ præter Deum & me ſunt, non deſumendam eſſe ex reſpectu ad res ipſas, ſed ex placito Dei; (Cognitionem quam de Deo & de Mente mea habeo non quidem hinc excipio, ſed nec includo, nec eam hic ſpecto cum alibi de illa ſit actum) Atqui natura ipſa Cognitionis meæ non potuit eo determinare Deum ut ipſi placeret me omnia noſſe, nam ipſe natura & idea Cognitionis creatæ pendet à Dei placito; potuit igitur Deo placere ut Cognitio creata non noſſet omnes res, ſed quaſdam tantum. Non autem conſtat de placito Dei niſi ex effectis ejus, inter quæ cum cognitionem meam numerem; cumque eam ad paucas rerum particulas, ad paucas mentes, ad pauca corpora, videam extendi; de cæteris autem nihil ſciat, niſi ex eo quod Potentiam Dei noſcens judicet effecta ejus innumera ſimilitudinem non-nullam habere cum ideis quas ipſa de non-nullis in ſe experitur; concludo, mihi ratione à priori conſtare, cur cognitio mea de rebus non ſit univerſalis, ſed particularis, & ad quaſdam res reſtricta, inter quas iis mihi vacandum eſt, quæ mihi magis intimæ & implicatæ ſunt. ſed de hoc delectu alibi.

III. Equidem prima fronte non videtur fuiſſe opus eo uſque aſcendere, cum ſola Cognitionis creatæ inſpectio ſufficere vulgo putetur ad reddendam rationem, cur ſe ad res omnes non extendat: nam multitudine rerum diſſiparetur, adeoque in oblivionem atque ignorantiam, ſive in non-cognitionem rediret: præterea, inquiunt, ſi res omnes complecteretur Cognitio creata, eſſet omniſcia, quod Solius Dei eſt: & hocce ultimum incommodum ratione allegata non evitari dicent, ex qua quippe concludi poſſit, creatam cognitionem ad omnes res ex indifferenti placito Dei potuiſſe extendi, adeoque omniſciam, Divinam &

Deum ipſum fieri. At hæc omnia inepta ſunt, & ex falſa Scientiæ Dei idea, atque ex conſuetudine male de Divinis cogitandi oriunda. Omniſcientia quæ de Dei natura eſt, & ipſe Deus eſt, ſola Dei Intelligentia eſt, de qua ſupra capite integro actum, præterquam nil noſſe potuiſſet Deus ſi placuiſſet ei nil ſtatuere à ſe diverſum, ut ſæpe demonſtratum. Scientia quam habet Deus de rebus à ſe diverſis eatenus illi propria eſt, quatenus à ſolo ejus placito eſt, nec ab ulla alia re eſt dependens: hæc autem non fieret communis creaturæ, etiamſi diceretur, Deum creaturæ dediſſe cognitionem rerum omnium quas ipſe ſtatuit, & ſepoſiturum voluit: nam hæc cognitio mere ab alia dependens ſtatueretur, nec igitur eadem eſſet cum Divina cognitione. Non equidem dico cognitionem omnium rerum quas Deus efficere poteſt, eſſe in mente creata poſſibilem, nam ſic ad quæſtionem de Potentia Dei tandem deveniretur, eaque à Mente finita poſſe comprehendi eſſet dicenda: Sed ubi agitur de rebus non quas ſtatuere poteſt, verum quas jam ſtatuit, quis dicat, eum non poſſe Mentem efficere, cui, ſi placeat, omnes res quas ſtatuit notificet? Certe Potentiam Dei temere circumſcriberet, aut hoc de ea negative determinaret. Quod dicatur Mens multitudine diſſipari, id in hoc rerum ſtatu quem ſic Deo ponere placuit, verum eſt: at, quidni aliter potuiſſet ille, eam nempe efficere, in qua omnes rerum ideæ ſine diſſipatione colligerentur? Manet igitur Cognitionis meæ ad res quaſdam reſtrictæ ratio firma, non rei naturæ, quæ nil ex ſe eſt, ſed, quæ eſt omnium ratio mentem tranquillans, placitum Dei: quod cum de Mentibus quæ ſunt in ſtatu à meo differenti alia ac de me velle poſſit, nec ſciam atque experiar quænam ea ſint, non permittit, ut de earum cognitione quicquam determinem. De iis mentibus quarum ſtatus meo eſt ſimilis, idem quod de me concludi poteſt.

IV. Secundo, ex eodem principio deducere poſſum cætera quæ circa adæquationem cognitionis quarumdam rerum quas præ aliis voluit Deus me noſſe, obſervo. Nempe, ſi rem aliquam, quam me noſſe puto, conſiderem tanquam in omni ſtatu & tempore in quibus diverſimode eam ponere Deus poteſt, cum Dei Potentiam circa hanc diverſitatem comprehendere nequeam, cumque omnis rei ſtatus poſſibilis in ipſa re aliquatenus, vel potentia, ut ajunt, includatur; concludo evidenter, me, hoc ſenſu, nullam iſtarum rerum quas novi, cognitionem adæquatam habere poſſe: quo ſenſu etiam me à me ipſo non comprehendi ſupra jam notavi. At ſi rem aliquam in uno ſaltem

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

aut altero ſtatu, præſenti, præteritove, intueor, agnoſco facile fieri poſſe, ut Deo placeat notitiam in me ponere iſtis rebus adæquatam, meque adeo poſſe quaſdam res adæquate agnoſcere, ſi Deus id velit quod velle poſſe concipio. Verum cum ex viribus meis mihi non conſtet, an placitum Dei fuerit, ut quot in re eſſent perfectiones, earumque gradus, tot etiam in mea cogitatione eſſent formæ illas repræſentantes, (non enim conſilium Divinum perfectione adæquo), cumque mihi à Deo non ſit revelatum an ei placuerit plus in re aliqua quam omnium optime me noſſe puto, eſſe poſitum quam in mea de illa apprehenſione; agnoſco rationem, cur non poſſim eſſe certus meam de ulla re cognitionem eſſe adæquatam, ut bene Philoſophus in reſponſionibus quartis obſervavit: Tametſi ex effectu judicem placitum Dei eſſe, ut nulla ex iis rebus quæ ex portiuncula univerſitatis cognitioni meæ objectæ ſunt, à me adæquate cognoſcatur, ſiquidem experior in nulla cogitationem meam non deficere. Mentium quas novi nonnullarum Cogitationes præteritas, cum præſentibus, futuriſque, earum habitus, &c. ignoro, imo meas ipſius cogitationes quas habui, aut quas mox habiturus ſum, neſcio. De rebus autem extenſis multa miranda deſino mirari, cum ſit æque ex placito Dei quod quædam me lateant quam quod mihi quædam pateant, adeoque non minus ſit mirandum me quaſdam res noſſe, quam me quaſdam ignorare. Deſudant Phyſici in determinanda univerſi extenſione, quam poſitive infinitam non audent aſſerere, ne ſequatur inde Deum nil illi addere poſſe; nec finitam, cum ſi aliquis in extremitate eſſe ſupponeretur, ſpatium, id eſt extenſio ulterior conciperetur. Ita de quavis materiæ particula dicere non ſuſtinent quod ſit in partes infinitas poſitive diviſibilis, ne tot habeat partes quot totus mundus; nec quod quædam detur quæ plures alias non contineat, cum figura ſub qua eſſe concipitur habeat partes ſuperiores & inferiores, & laterales, ſecundum quas in diverſis locis à diverſis tangitur. hic igitur ſunt inter duo oppoſita eadem de re, finitum & nonfinitum, è quibus unum verum eſſe videri debet, alterum falſum, nec tamen in his ſine abſurditate aliquid amplecti queunt. nam quod nonnulli de indefinitis partibus, earumve numero indefinito adferunt, eſt ipſiſſima ſuæ ignorantiæ confeſſio, idem enim eſt ac ſi dicant, ſe hæc neſcire definire, quod agnoſcit ipſe Carteſius. Similes recurrunt difficultates, ubi quæritur de tempore, an in infinitum vel in momenta ſit diviſibile? item ubi de motu, ejuſque celeritatis gradu extremo, an detur, nec-ne? quod iterum ſine abſurditate, uti nec de ejus tarditatis

ultimo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ultimo gradu, definiri poteſt. nec ſcopus eſt ea hic longius recenſere. Mathematici à ſeculis quærunt lineam rectam circulari geometrice æqualem, & adhuc diſputant an dari poſſit? quæ ex recta peripheriam tangente, ex figuræ rectilineæ comparatione cum circulari, ex quadrati lateris proportione cum ejus diagonali, aliiſque plurimis, oriuntur difficultates, eæ ſunt, ut ipſos, & quoſvis attentos, ſtupefaciant, ſuæque ignorantiæ invincibilis in rebus tam tenuibus & ſimplicioribus admiratores reddant. Ego autem poſtquam obſervavi me ex me ipſo ad nullam rerum cognitionem ejuſque menſuram prætendere debere, in donum reputo quotquot rerum notitiæ mihi ex placito Dei occurrunt: at cum alicubi vere & evidenter Cognitionis meæ terminum expertus ſum, colligo me ulterius tendere non debere, & ab eo tanquam à vetito abſtinere. Hæc partem iſtius ignorantiæ conſtituunt quæ eſt ſine dedecore, & docta dicitur, quia imperiti ſcioli qui univerſalem & adæquatam omnium ſcientiam præ ſe volunt ferre, cum nihil vere ſciant, adeoque non ſint experti quouſque cognitio in rebus ſe extendat, quidve eam limitet, nullam, adeoque nec iſtam ignorantiam, profitentur, ſed nil ignorare ſe ſimulant, vel temere ad omnia adſpirant. Certe ex inſpectione rerum quas ex portiuncula univerſitatis quantulacunque cognitioni meæ objicere Deus voluit, videtur mihi concludi poſſe, Rerum, utcunque notarum, ſubſtantiarum, modorum, iſtorumque omnium durationis principia, extrema & augmenta ſumma, ſive minima & maxima, mihi meique ſimilibus plane eſſe occultata, ut nihil pro objecto ſcientiæ noſtræ remaneat, niſi portiuncula ſtatus medii paucularum rerum, ſive ſtadium aliquod parvum ingentis decurſus quem à carceribus ignotis ad metam ignotam decurrunt: quod etiam in perceptione ſenſuali, quam effugiunt minima, maxima vero deſtruunt, media autem fovent, experiri licet. Eſt igitur Mens humana tanquam tabula, quæ uti non omne, nec ex omni parte, corpus ſolidum refert, ſic nec Mens omnia originalia (Divinas de rebus ideas) nec ulla prima eorum apographa, (res ipſas nempe quæ exactiſſime originalia referunt) ex omni parte repræſentat, quamvis rebus brutis in eo præcellant, quod repræſentationes quas habet divinarum de rebus illis idearum, vividæ ſint, & ſui conſcientiam inferant.

V. Tertio, ex dictis deduco, quid ſit ignorantia, obſcuritas, error, incertitudo, certitudo, item evidentia ſive perſpicuitas, & ſimilia quibus cognitio mea afficitur. *Ignorantia* proprie & ſpecialiter ſic à me dicta, in mente eſſe dicitur, cum res quæ eſt intra Sphæram ejus cognitionis ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ab illa non noſcitur, ut cum neſcitur modus, ſaltem generalior, formationis plantæ, aut animalis. *Obſcuritatem* in mente voco, dum vult ad ea quæ ſtatuit Deus extra capacitatem ſuæ cognitionis, ut ad difficultates jam notatas, attingere: tunc enim eorum ideis, quæ lumen cognitionis ſunt, deſtituta, in tenebris eſſe dici poteſt. Hoc autem retuli ad ea quæ non ſunt objecta noſtræ cognitionis: nam etſi quis dicatur obſcurius quædam capere quæ alter evidentius cognoſcit, adeoque quod eſt intra limites cognitionis humanæ, mallem tamen ego id eatenus ignorantiam reputare quatenus ad omnes gradus evidentiæ non pertingeret: forte etiam error eſſe poſſit. *Error* autem (non loquor hic de peccato) in eo omnis eſt, quod cogitem, ſive judicem, Deo placuiſſe quædam ſtatuere ſive operari, quæ tamen non poſuit; aut contra, eum ea non ſtatuiſſe & operatum eſſe, quæ ſtatuit & operatus eſt: adeoque omnis error de rebus creatis circa factum verſatur, ſiquidem omnes res veritateſque creatæ, reſpectu Dei non ſint res juris, ſed facti, quas Deus prius indifferens liberrime operatus eſt, ut ſæpe dictum. Exempli gratia, ſi puto mentem eſſe corpoream, vel corpus cogitare, eſt ſuppoſitio unius facti pro alio, acſi Deus operans cogitationem eſſet hoc ipſo operans extenſionem, vel vice verſa. pari modo, ſi crederem Deum conſervantem ſubſtantiæ alicujus, puta panis, extenſionem & modos, eſſe tamen rem eam non conſervantem, ſed aliam, errarem ſupponendo operi Dei aliud quid: quod cæteris omnibus applicari poteſt. Inde autem venit error, quod cum placuerit Deo in mea Cogitatione quaſdam rerum ideas imprimere, quas etſi ſtatuit veras, non tamen poſuit omnes extra me exiſtentes, cumque eæ infinitis inter ſe modis varientur, & res quæ ſecundum illas exiſtunt, etiam inter ſe ſint diverſiſſimæ, ego ad unam ex rebus attendens judicem realitatem aliquam idea alia mihi repræſentatam in illa re involvi, ſive à Deo poſitam eſſe, quæ tamen illic non eſt, ſed vel alibi, vel nullibi, niſi quod ſit forte poſſibilis: adeoque erro ex eo, quod putem Deum voluiſſe alicubi ea ſtatuere vel operari, quæ vel alibi, vel nullibi ponere voluit. Ergo errorem evitabo ſi vel ideas rerum in cogitationem ita contempler ut non judicem ſimile quid illis extra me exiſtere aut non exiſtere, aut hoc illudve quod exiſtere novi, habere has aut illas realitates, eiſve carere, quæ ideis meis utcunque repræſentantur. verum hicce erroris evitandi modus cognitionem non promovet, eſtque ab ignorantia inſeparabilis: vel evitavero errorem, ſi, quod bene præcipuum eſt, quæſivero & invenero certa indicia, unde conſtet placitum Dei fuiſſe ut exiſterent,

 idque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

idque hic vel ibi, realitates, huic aut illi aut iſti ex ideis meis correſpondentes, (quod eſt *ratiocinari.*) Et in hiſce indiciis inquirendis & agnoſcendis omnis veritatis detectio verſatur. Quodſi vel nulla, vel æquivoca indicia deprehendo, hoc eſt talia ex quibus fieri poſſint judicia inter ſe aut ab iis quæ præciſe intendo diverſa, vel his ſimilia ſed de aliis rebus, tunc *incertitudo* oritur, ex qua procedunt *opiniones*, necdum ad ipſam rei animam, ut ſic dicam, deventum eſt. Si vero talia indicia invenero quæ ſimilitudinem aliquam habeant cum his è quibus veritates de Deo & de Mente creata demonſtrantur, ut ſunt cum ex indiciis cogitationis meæ exiſtentis, concludo exiſtere aliquid placitum efficaciſſimum, ſeu aliquem efficaciter volentem ut exiſtam, ſive ens potentiſſimum, &c. aut vero quæ cum his nexum aliquem habeant, tunc adeſt *evidentia*, & conſequenter judicii de cognitione rei *certitudo*, unde eſt *ſcientia*. Quæ omnia ſpecialius deducere ingentis eſſet operis. Sufficiat ſi generalius pateſcat ratio, cur & quomodo paucæ particulareſque de paucis rerum portiunculis cognitiones hiſce omnibus varie poſſint affici.

VI. Denique, quod quarto notavi, me ſcilicet nil poſſe determinare de cognitionis meæ augmento, vel etiam de ejus diminutione, aut alia quavis mutatione, ex iiſdem fontibus manat, ex quibus ſuperiora. Quæ mox dixi, in tempore præſenti ut plurimum ita ſe habent: ſed poſterum quod concernit, cum de placito Dei erga id (quod ejus effectus eſt) non conſtet, hinc efficitur me ſcire non poſſe, quando & quouſque augenda ſit cognitio, vel an ad res eaſdem particulares ſe extenſura ſit, an ad alias? an ſit futura adæquata, an vero contra, minuenda, turbanda, (ut interdum accidit cerebro commoto omnem vel maximi alicujus Doctoris ſcientiam doctrinamque in Socordiam & fatuitatem evaneſcere.) Quæ omnia tranquille placito Dei occulto ſunt committenda: quod ſi cuiquam reveletur, is in lucrum id reputet.

§. D.

7. 8. 9. *Cognitio Dei libera, independens, univerſalis, particularis, adæquata, certa, infallibilis, immutabilis.* 10. *Quibus rebus cognitio noſtra potiſſimum ſit applicanda.*

VII. Venio ad conſiderationem Cognitionis ſive ſcientiæ quam Deus de rebus à ſe diverſis habet, nam eam quam de ſe ipſo poſſidet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

malui ſuperius ad intelligentiam referre. Divinam autem Cognitionem cum ex occaſione meæ Cognitionis intueor, agnoſco eſſe Liberam & independentem, univerſalem, adæquatam, certam denique & immutabilem.

VIII. Nam primo, cum Deus omnem quæ ipſe non eſt veritatem, ideam, eſſentiam atque etiam exiſtentiam ita ſtatuerit & poſuerit, ut indifferens fuerit ad ea non ponenda (quod extra dubium ſupra poſitum eſt) ſequitur, Cognitionem quam de illis habet Liberam eſſe dicendam, non vero naturalem, cum Deus hæc non noſcat quia noſcit ſuam Naturam, ſed quia noſcit ſuum de illis liberum placitum. Quoniam autem res in univerſum omnes extra Dei voluntatem ſunt purum Nihil, nec inferunt quicquam quod ſit reale, conſequitur, Cognitionem Dei à rebus quibuſcunque, à placito alieno, ab eventibus, ab indiciis quibuſvis, eſſe independentem, nec per ratiocinationem fieri; nec Deum ideo res noſſe quia illæ ſunt, ſed contra, illas eſſe (loquor de realibus) quia placuit Deo ut illas ſciret. Non recte itaque Boëthius ut explicaret Libertatis hominis (an indifferentiæ, an vero ejus quæ ſpontanea dicitur, ipſe non dixit) cum divina ſcientia convenientiam, uſus eſt exemplo viſionis, quæ dum res percipit, non tamen, ut apud quemvis experiri datur, infert rerum viſarum neceſſariam poſitionem. Abſurda comparatio. Qui homo videt res præſentes, eas non ponit, ſed recipit & ab alieno ſentit, ejus de eis viſio ab illis pendet: an igitur Deus ab alieno ſentit, recipit, cognoſcit? Nequaquam. Quod ad mali cognitionem attinet, cum malum non ſit aliquid poſitivi, concipio Deum illud noſſe quatenus novit ſuam operationem in aliquo non ulterius ituram, ſive ſe in aliquo nolle ea operari, quæ etſi abſolute poſſet, non tamen ibi vult ex ſapientiſſima & ut plurimum occultiſſima ratione operari. Quodſi neque hoc ſufficit, id quoque noſtrum non eſt inquirere: in his quippe incomprehenſibilis & maxime tremenda Numinis Summi Majeſtas eſt adoranda.

IX. Præterea, cum nihil ſit poſſibile, verum vel exiſtens, niſi quod Deo placet concipere, ſtatuere & ponere tale, recte infertur cognitionem Dei eſſe abſolute univerſalem, & ſimul ſingularem ſive ad res ſingulas ſe extendentem, etiamque adæquatam, hoc eſt, Deum omnia & ſingula perfectiſſime in omni ſtatu & circumſtantia noſſe, ſeu ea jam cum tempore evanuerint, ſeu jam extent, aut vero à tempore nondum ſint excluſa. Omnium natura, principia, media, extrema, maxima & minima, limites & menſuræ, regimen, numerus, omne poſſibile,

bile, omnis variationis caſus, motus, vel in quolibet pulviſculo, omnis cogitatio quæ præteriit, aut eſt, aut fiet, breviter, omnis & quælibet ſubſtantia cum omnibus & ſingulis ejus modis, in fieri, eſſe, operari, durare, mutari, & ſi quæ alia, ipſi abſolutiſſime & plene perſpecta ſunt. Et quia ejus cognitionis objectum eſt effectus ſui lubitus, ſive placiti & voluntatis efficacis, nemoque datur qui ejus placitum & potentiam evacuare ſive efficacia privare poſſit, patet inde ejus Cognitionem eſſe certiſſimam, atque infallibilem, &, quod plus dicit, immutabilem, non tantum quia creaturæ eam mutare non poſſunt, ſed etiam quod ipſi Deo nil aliud conſtanter placeat quam quod placet. Hæc evidentiora ſunt quam ut pluribus deducantur.

X. Quæri poteſt, An Cogitatio noſtra ut Dei Cognitionem imitetur, ſit applicanda, ſaltem quantum poteſt fieri, omnibus objectis quæ Deus novit cognoſcendis, præſertim cum illa ſint circa nos, nec fruſtra videantur offerri media ad eorum cognitionem? Cui facile reſponderi poterit ex comparatione objectorum, & conſideratione ſtatus in quo verſatur Mens noſtra. Nempe cum objecta quæ nobis obverſantur ſint vel neceſſaria, eaque maxima ut Cogitatio Perfectiſſima, ſive Deus, vel accidentaria, eaque minuta; cum ea ſit Mentis noſtræ conditio ut unis, utut minima ſint, applicata, à cæteris deſiſtat, quod tandem in conſuetudinem abit; cum denique is ſit ejus ſtatus ut tantiſper inter corporea degat, mox iiſdem valedictura; non dubium eſt quin applicatio ejus ad cognoſcenda temporalia comparata cum occupatione in qua eam eſſe decet circa objectum æternum, eam ſervare debeat proportionem, quæ eſt inter periturum atque momentaneum & inter perpetuum atque æternum; inter creaturam & Deum; vel potius, inter uſum tantillorum, neceſſitate vitæ mortalis & ad aliud tendentis, brevique limite terminatum, & acquieſcentiam immutabilem in Deum maximum à cujus placito omnia ſunt. Hoc oculo hominum ſtudia ſi inſpicias, poſſis cum nonnemine dicere omnia vana eſſe, maxime de illis qui affectum tempuſque præcipuum in ſpeculationibus & ſcientiis materialium, in minutiis, motibus, numeris, figuris diſponendis, aut etiam vanius, in verbis fucandis, collocant, uno neceſſario poſtpoſito; quique colligendo pulveri illud paululum incertæ moræ impendunt, quod ipſis ad pretioſum unionem ſibi comparandum gratuito conceſſum erat. Sed, dicet forte nonnullus, cum illa ipſa minuta ſint objecta Divinæ Mentis, cur mea Mens illa tanquam ſua Cognitione indigna reputabit? An intellectus humanus Divino erit dignior, ut quaſi ſe indigna contemnat ea, quæ Divinus intel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

intellectus contemplatur, ſovet, regit, numerat, diſponit, &c. At dixerim ego, quare igitur in capillis tuis enumerandis, aut in conſcribenda hyſtoria paſſerum quotquot cadunt, quove mortis genere, operam non verſas, ſiquidem hæc etiam Divinæ ſcientiæ ſint objecta? Cognitio quam de univerſis habet Mens Summa, eam à ſui notitia & amore non avocat, actuſque quo ſe contemplatur & amat hac non interrumpitur nec interpellatur. Sed non ita eſt de Cogitatione noſtra in hoc rerum ſtatu.

CAPUT XV.

(14) SAPIENTIA.

§. A.

1. *Animæ Sapientia, unde, ejus imperfectio.* 2. *Dignior, firmior, certior Sapientia.*

I. Animadverſis illis paucis quæ Cognitionem meam ſubeunt, conſcius ſum ea in mente mea ex arbitrio varie diſponi poſſe: at ut ea recte diſponantur, non ita facile datur aſſequi. Non dubium eſt quin res ſint concatenatæ certo inter ſe nexu atque ordine, quem ut cogitatione imiter rerum notiones ordine ſic mente conſtituens, ut rerum ipſarum inter ſe nexui concordent, arduum eſt. Datur etiam, ſed non ſine ſumma animi contentione, ut quemadmodum rerum unæ ſunt media ad alias ponendas, ſic cogitatione & in idea quædam tanquam effectus, quædam autem tanquam media ad effectuum conſecutionem proponam, & quidem ita, ut ſi re ipſa media ponantur, ſequatur revera effectus intentus. Hic de rebus Cogitandi modus *Sapientia* dicitur, (ſcholarum definitiones nil moror) cujus certitudo omnis inde eſt, quod Deus in cogitatione noſtra quaſdam rerum earumque modorum, adeoque & ordinis ideas depinxerit, & quod ex obſervatione circa rerum eventum, quibus mediis, circumſtantiis, reguliſve hæc aut illa poſuerit Deus, quænam inde ſint ſecuta, &c. poſſit colligi in futurum, tale quid eventurum ſi talia ponantur media. quod ultimo in conſtantiam, qua Deus eodem modo operatur, debet reſolvi. At quoniam rerum, mediorum, effectorum, multoque magis placiti divini circa futura cognitio quæ in nobis eſt, non eſt adæquata, ſed incompleta, errori obnoxia atque incerta, maxime circa res contingentes; cum etiam efficacia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cogitationis creatæ res non ponantur, non adeo mirum eſt in hac Sapientia tantum imperfectionis eſſe, ut, multos poſt labores, quæ optime videbantur conſulta atque deſignata mediis certis, non ſortiantur eventum, ſive per inexpectata, ſive quod aliis vi cogitandi nos æquantibus vel ſuperantibus, conſulta noſtra occulta & abſtruſa reddere nequiverimus.

II. Non neſcio in Mente Creata aliam, quam quæ res creatas concernit, poſſe dari *Sapientiam* eamque digniorem: cum nempe illa Intellectum ſuum circa ordinatiſſimum & Perfectiſſimum objectum diſponit, idque ſibi proponit acquirendum quod firmiſſimum eſt, nec mutatur, ad quod aſſequendum media ſunt præſentiſſima, maxime interna, quæque idcirco externis rerum cæterarum eventibus non removentur: Hoc eſt, verbo, cum illa circa Deum intelligendum & amandum verſatur. Ultima hac ſapientiæ deſignatione, quamvis in omnibus ſit præcipua, nolim tamen hic uti, ſed priori, ut ex ea tanquam ex occaſione, Dei Sapientiam contempler.

§. D.

3. Sapientia Dei. 4. Ejus perfectiones. 5. Quædam meliora, ſed non ſapientius fieri potuiſſent. 6. Duo extrema vitanda. 7. Prius. 8. Poſterius. Conſilia & fines Dei non ſcrutanda. 9. Nulli Dei in quibuſcunque fines inquirendi, præter placitum ejus.

III. Nam quamvis reſpiciens ad Significationem ultimo notatam, poſſim in Deo Sapientiam obſervare quæ creatas res non ſpectet, ſed ipſum Deum, quatenus ſe ipſum ut objectum poſſeſſionis ſuæ ad quod ſemper per amorem tendat, proponit, quæque ideo ſit ipſa Cogitatio Perfectiſſima, ſive, ipſe Deus, ut in Dei definitione, & à creaturis diſtinctione, & in loco de Dei Intelligentia, quæ hæc ipſa Sapientia eſt, obſervatum: attamen ſiquidem alibi ejus non ſim oblitus, hic de ea agam quæ res à Deo diverſas, atque ab eo ſtatutas, poſitas, vel ponendas concernit; quæque per illam quam notavi primo in creata Mente, utcunque adumbratur.

IV. Utcunque inquam, nam Divina circa res à ſe diverſas *Sapientia*, nullam involvit cogitationum diverſitatem, qualis eſt in conſultando, ratiocinando, concludendo: Sed unum Dei placitum & res diverſiſſimæ, poſitæ, agnitæ, permiſſæ, ordineque decenti directæ, cum ſimul à nobis ob cogitationis noſtræ anguſtiam concipi non poſſint, nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

bis licet, dum ad res applicamur multitudinem, variationem, nexumque objectorum comtemplandi gratia, concipere quaſi tot eſſent actus in Divino placito, ex quorum conſtitutione res ipſæ coordinarentur, ſed qui, dum ad Deum reditur, ad actum unum ſunt reducendi, quo omnes rerum veritates, naturæ, ideæ, exiſtentiæ, modi, regimen, ita bene diſponuntur, nectuntur, concatenantur, & ut verbo dicam conſtituuntur, ut nil melius, nil convenientius ab ulla creata Mente cogitari poſſit: adeoque nil inordinati, nil incongrui ibi reperire ſit. Ratio evidens eſt, quia idea bonitatis, decentiæ, convenientiæ, ordinis, &c. non ſunt aliquid abſolutum ex parte rei atque independens, ſed ſunt ipſum placitum Divinum determinatum eo modo quo circa ea quæ ſunt determinatum eſt, adeoque eo ipſo quo id datur, eo ipſo datur bonum, pulchrum, conveniens. Non etiam ab ullo evanida reddi queunt aut pati remoram propoſita quæ intendit Deus, cum Omnipotentia omnes obices removeat, & Omniſcientiæ nihil inexpectati queat accidere. Quin etiam mala quæ à creaturis fieri ſinit non modo non impediunt Sapientiæ hujus opera, verum etiam explicatiorem & magis illuſtrem eam ſuo tempore proponunt, cum inde pateſcat ejus Potentia, quæ ultra ens & nonens, ſive ultra id quod ſimpliciter eſt negativum extenſa conſpicitur, atque ultra omnes hominum cogitationes, quibus admirabiles ejus operandi vias ita occultat, ut à prudentioribus ignorentur: inde quoque pateſcit ejus Felicitas, pateſcit Bonitas, cum ideo malum ſit malum atque idem infelix, quia remotio eſt à Deo, & ſic ita de cæteris Dei attributis, quæ ex occaſione mali magis illuſtrari attendenti cuivis facile eſt animadvertere, ita ut tenebræ ſint ipſi Lux.

V. Quæri poteſt, An ex Dei ſapientia omnia ita bene conſtituta ſint, ut nil melius à Deo fieri potuerit? Reſpondeo, de Potentia Dei & de Univerſitate rerum, quas non capio, tacendo. At de rebus quibuſdam quas novi, concipio eas facile meliores ſeorſim, ſive perfectiores, hoc eſt, plures realitatis gradus in ſe poſſidentes, à Deo fieri potuiſſe, quamvis concipiam Deum omnia & ſingula quamſapientiſſime egiſſe, ita ut cogitare non detur eum ſapientius agere potuiſſe. Etenim Sapientia Dei in agendo non pendet à gradibus perfectionum quæ in unaquaque re exſtant, quaſque plus vel minus creaturis impertiri poteſt; Sed eſt in occultiſſima ratione placiti ſui, cur ita agat & velit. Deus itaque ſemper facit optimum, id eſt, tale bonum, cui plura quidem realia tribuere potuiſſet, non autem ex conſilio meliori & ſapientiori & cum ſcopo convenientiori. Ex quo eſt, cur non velit omnia bona poſſibilia exiſtere?

cur

cur tali creaturæ tales tantoſque perfectionum gradus largiri, tali vero non? cur in illa ſe magis repræſentare, in iſta minus; in hoc magis operari, in illa minus, voluerit? cur mala hæc, hic, hoc tempore, eouſque ſinat? aliaque infinita, quæ omnia ſapientiſſime conſtituta & conſulta ſunt. Nec ſpecialius quid de hiſce ulli judicare datur niſi illi cui finis creationis omnium, rerumque Univerſitas perfecte patefiunt: nam nobis, utrumque ignorantibus, accidere poteſt ut judicemus aliquid à ſcopo, quem ſcilicet imaginati ſumus, deviare, quod tamen cum vero ſcopo, nobis occulto, optime conveniat: atque ut illi cui domus commoditates omnes perſpectæ ſunt, locum, qui ſolus ſpectatus inhoneſtiſſimus cenſetur, habita tamen ratione totius ædificii majorem inferre commoditatem, atque neceſſariorem & requiſitiorem eſſe quam ſplendidius forte aliquod ambulacrum, notum eſt; ſic à nobis, qui totius ſtructuræ univerſi ignari ſumus, ſolumque alicujus portiunculæ utcunque conſcii, aliquid ut valde imperfectum, inutile, & rejectaneum reputari poteſt, quod tamen habita totius, nobis ignoti, ratione, convenientius atque requiſitius erit quam quæ perfectiora arbitramur. Quare de hiſce non eſt leviter judicandum.

VI. Ne autem, cum Dei Sapientia ſit abyſſus impervia, in temeritatis crimen is qui eam contemplaturus eſt, incidat, duo extrema evidenter cavenda ſunt, alterum, ne de illa ſecundum apparentiam nonnullarum rerum externam judicetur; alterum, ne nimis exploretur, neve ejus judicia ſive agendi rationes imperviæ, diſquirantur: Cum id cuivis ſufficere debeat, Perfectiſſimam Cogitationem nil facere, nil ſinere, quod non optime atque perfectiſſime ſit actum & permiſſum.

VII. Horum extremorum prius vitio non caret: etenim cum unaquæque res totius univerſitatis ſit particula, habeatque relationem ad totum ſuum, quod etiam de tempore aſſeri poteſt, quippe cujus momenta ſingula cum præcedentibus ſequentibuſque omnibus ſint connexa, quis non videt illum qui ex inſpectione quorumdam quæ uni aut alteri accidunt perſonæ, familiæ, regioni, hoc aut illo tempore (quæ omnia particula univerſitatis rerum & temporis ſunt tantummodo) de Sapientia Dei judicium ferret, paria cum illo facturum qui de peritiſſimi Architecti Solertia ex uno ædificii lapide vellet pronuntiare, non attenta conſtructionis totius ſtructuræ compage, nec expectata ejus abſolutione, quæ tamen vel abſolutiſſima ſolertiam ejus non exhauriret? vel etiam cum eo, qui ex pulcerrima ſtatua aut tabula particulam decerperet ut exinde non modo de tota mole, ſed & de peritia fictoris ferret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ret ſententiam? Nonne ii qui de Sapientia Divina ex rerum apparente & mutabili facie dijudicant, idem faciunt, acſi quis de ædificii externa inſpectione, de interna ejus diſpoſitione optime judicare prætenderet?

VIII. Sed nec minori cum temeritate nonnulli conari poſſent Sapientiam Divinam ita explorare, ut quaſi ejus fundum, ut ſic dicam, detegerent. In qua occupatione deſudare videntur illi qui in fines & rationes, cur Deus res has vel illas condiderit, inquirunt, ut ex hujus imaginaria notitia, demonſtrationes ſuas de rerum natura & modis fulciant. Non facile credi poſſet quot & quam abſurdæ periculoſæque ſequelæ ex ea temeritate oriantur. Unde, niſi hinc, tot in providentiam Divinam murmurationes ſcaturiunt? Unde eorum opera infelix, qui notas vitæ regendæ leges poſtponentes, occulta Dei decreta, maxime de futuris, rimantur? nam ex libidine occultos Divinæ voluntatis fines cognoſcendi, facile eſt tranſitus ad cupiditatem ipſa Dei conſilia quæ per effectus nondum reſerata ſunt, nec per oracula Divina revelata, intelligendi: & ſiquidem prioris fruitio poſſibilis acquiſitu habeatur, imo ut principium demonſtrationis teneatur, de poſteriori idem nullo negotio perſuaſum eſſe poteſt, adeoque in prætenſam illam decretorum notitiam demonſtrationes practicas, ſive vitæ agendæ rationes reſolvere multis promptum erit. Nec fluxit aliunde plurimorum phrenetica ratiocinatio quam ſceleratæ vitæ ſæpe prætexunt, nempe, ſi Deus hoc de mentis vel corporis ſtatu voluit atque ſtatuit (quanquam malum non eſt ex ſtatuto Dei, ut ſuo loco dicendum) quicquid, inquiunt, in poſterum fecero, nil mutabit, imo ex ſtatuto Divino erit. Cum tamen voluerit Deus occulta conſilia eſſe extra Cogitationis noſtræ limites, nullamque adeo Mentem debere præſupponere in ſe eorum cognitionem, multoque minus ex illis quaſi cognitis & comprehenſis ſe regere. Certe ſi Deus voluiſſet ut vita noſtra ſecundum cognitionem decretorum ejus de rebus nobis eventuris dirigeretur, ea utique nobis manifeſtaſſet: quod cum ei non placuerit, rebellio eſt velle ea ſpecialiter intueri tanquam principia cognitionis ſecundum quæ vita regenda ſit. Idem dici poteſt de demonſtrationibus circa rerum theoriam, quas ex fine quem Deus ſibi in rebus propoſuerit, accerſere volunt, quaſi Sapientiam Dei, in qua abſconduntur, penitus exploratam haberent.

IX. Non neſcio à contentioſis idcirco maxime fuiſſe conclamitatum, quod Philoſophus Carteſius totum cauſarum genus quod à fine

peti ſolet in rebus Phyſicis, tanquam inutile ad aliquid demonſtrandum rejecerit, exiſtimans ſe ſine temeritate non poſſe inveſtigare fines Dei qui in theſauro incomprehenſibilis ejus Sapientiæ abſconduntur. Nihilominus tamen dicere non verebor, non modo id de rebus Phyſicis, ſed etiam univerſarum rerum reſpectu veriſſimum eſſe. Abſurditatis & arrogantiæ eſt, quærere quem Deus finem ſibi in rerum natura, ſtatu, regimine, propoſuerit; quo ſcopo, quibus rationibus, quo motivo, res ita diſpoſuerit? Et ne quis fervidior hic ſubito tumultuetur gratis, obſervandum eſt, rerum uſum cum ſcopo ſive motivo, cur Deus Sapiens res produxerit, non debere confundi, quod facile fieri poſſet ſi hæc duo diverſiſſima una voce deſignarentur, ut accidit cum per vocem *finis* interdum rei uſum, interdum productionis ejus motivum, ſignificatur. Itaque, ut diſtincte procedatur, ſi in quæſtione, cur, aut quo fine tale quid factum eſt? reſpiciatur ad rei uſum, quaſi quæreretur; quiſnam hujus rei verus uſus eſt quem ei Deus aſſignavit, quemque adeo etiam decrevit aſſignare cum rem produxit? Non modo hæc quæſtio juſta eſt & æqua, verum etiam è maxime neceſſariis eſt, cum nil utilius ſit notitia legitimæ creaturarum occupationis & uſurpationis. Hoc ſenſu affirmari poteſt finem creationis hominum, id eſt, uſum, occupationemque corporum, Mentium, omniumque facultatum quibus à Deo ſunt donati, eſſe, Deum amare, eique hanc dare gloriam quod ſit Solus in quo, præteritis omnibus, ſit acquieſcendum. Etiam de rebus materialibus recte quæruntur in ſpecie uſus omnium & ſingulorum, quæ nobis occurrunt, corporum, at quatenus ad neceſſitatem mortalis vitæ uni divino Amori dicandæ conferunt; aut cæteroqui vana hæc ſunt. Si vero in eadem quæſtione, Cur vel quo fine aliquid Deus fecerit? reſpiciatur ad ſcopum quem ſibi propoſuit Deus, vel potius, ad motiva, ad rationes, quibus inductus hoc vel illud egerit, ut ſi quæratur, quibus de cauſis permiſerit Deus lapſum Angelorum, vel hominum? quid intenderit? quo motivo homines plurimos perire ſinat? vel creaverit cunctos? cur tot, & non plures? quibus rationibus rerum naturas & ſtatum ſic diſpoſuerit? Hoc quæſtionis genus ſine temeritate & impietate non fit, cum ea conſilia & judicia Dei rimari audeat, quæ optime res nobis incomprehenſibiles conciliant, ſimulque adoranda obſcuritate teguntur. Non eſt igitur unde excruciemur in rationibus diſquirendis quibus hiſce quæſitis reſpondeatur. Ecquæ etiam dari poſſent? Examinemus, exempli cauſa, id quod interdum ſimili quæſtioni, reſponderi ſolet, Gloriam nempe Dei eſſe finem creationis rerum quæ

exſtant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

exſtant. Uſum & occupationem illarum hic agnoſco; at num is eſt ſcopus, ratio, motivum, quo Deus res quæ & quales ſunt creavit? Quaſi vero non potuiſſet Deus gloriam reportare res naturæ ab his diverſæ condendo! unde ſequitur rationem poſitionis earum naturæ non eſſe à motivo illo deſumendam. Præterea, qui poſſet aſſeri, gloriam, quæ Deo non eſt eſſentialis, quæque extra illum eſt, eſſe finem vel motivum quo Deus fuerit inductus ad Creationem rerum? Deus revera in agendo non determinatur à re aliqua quæ extra ipſum ſit. quicquid ab eo differt nec motivum, nec finis ejus eſt. Abſurde rationes externæ poſtulantur, & quæritur, per quam regulam aliquid ſit factum ab illo ante cujus placitum nullæ leges, nullæ de rebus ideæ concipiuntur. Suffecerit igitur in hiſce unum Dei placitum allegare, quippe quod Sapientia ipſa eſt, & fundamentum omnium, ultra quod aliquam rerum rationem quærere, enorme eſt.

CAPUT XVI.

(15) ÆTERNITAS.

§. A.

1. *Ex variabilitate Mentis occaſiones ad ſequentia.* 2. *Temporis natura. menſura. ſucceſſio. prolongatio. effluxus.* 3. *Mens ſubtrahenda tempori ad æternitatis adumbrationem.*

I. QUæ hactenus de mente mea obſervata mihi materiam de Deo cogitandi ſuppeditarunt, maximam partem deſumpta ſunt ex objectis ipſis, (ſive ideis rerum) in quorum æqualitate vel inæqualitate, numero, partibus, poſitione, regimine & ſimilibus, percipiendis, cogitatio occupatur. Sed ſequentium pleraque deſumentur ex conſideratione diverſorum modorum quo mens circa objecta verſatur. Illa referri poſſunt ad eam definitionis illius partem qua Mens creata ſupra dicta eſt Cogitatio finita; hæc vero ſequentia ſub illis definitionis verbis includuntur quibus aſſerta eſt variabilis. Itaque, primo obſervo, tanquam generaliſſimum & primum occurrens, modum quo Cogitatio mea applicatur illis objectis quæ in ejus Sphæra includuntur, non eſſe ſimultaneum & uniformem, ſed partialem, ut ita dicam, adeoque debere Cogitationem ſucceſſione produci, & variari, ut ad ſingula extendatur, & dimiſſis unis applicetur alteris, & ſic deinceps. Hoc tria includit, vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

potius, hoc unum trino aſpectu intueri poteſt, unde occaſionem deſumam tria Dei attributa, Æternitatem, Conſtantiam, & Simplicitatem contemplandi, ſed unumquodque ſeorſim, pro diverſo hujus in mente mea obſervationis reſpectu. Ab illo incipiam qui ad æternitatis conſiderationem ducit, qui tamen ideo ab alteris non eſt ſeparandus, nam ſibi invicem implicantur.

II. Quia cogitationis meæ omnia objecta non ſunt æque neceſſaria, (ut dictum cap. 14.) nec omnia ſimul capit illa, ut per ſe patet, Cogitatio igitur in plures cogitationes particulares ſecanda eſt, quarum quælibet ad unumquodque objectum, ſive ad unamquamque objecti differentiam, vel etiam, prout objectum eſt magis minuſve neceſſarium; ad modum quo ad ea, amore nempe, gaudio, averſatione, aliave paſſione, ferimur, pertineat. In hac pluralitate occurrit Succeſſio, qua primam cogitationem altera ſequitur, & hanc tertia, & ſic deinceps; occurrit Mentis continuatio vel prolongatio, ſine qua cogitationum ejus ſucceſſio abrumperetur; occurrit denique effluxus quidam, ſive evaneſcentia, dum priores cogitationes non manent ſed evaneſcunt, ſæpe aliquatenus, interdum omnino, poſterioribus ſuccedentibus. Et hoc ipſum eſt quod aliis verbis *tempus meum* appello, & quo eadem opera ejus ſucceſſionem, prolongationem, & effluxum percipio, ut non ſit nunc opus ad naturam aut menſuram temporis agnoſcendam ut recurram ad ſpeculationes rerum materialium, quatenus ſtudii certi, quod motu abſolvunt, unæ partes poſt alias cum præſentia corporis moti ſuccedunt, aut quatenus certæ materiæ fluidæ, puta aquæ vel arenæ, motus ab anguſto ſpatio, ut in clepſydra, remoram patitur, aut quatenus ſtatus quorumdam corporum per corruptionem, productionem, aliaſve alterationes, evaneſcunt aut apparent: in quibus plurimi male naturam, nec exacte ſolam menſuram omnis temporis collocant. Natura temporis quod in hoc ſtatu Menti creatæ proprium eſt, hoc ipſum eſt quod dixi, omniſque temporis menſura immediate agnoſcitur & ultimo reſolvitur in ſenſu ſive in perceptione quam habeo de mutatione & ſucceſſione objectorum cogitationis meæ, atque modorum cogitandi quibus ad illa feror. Hoc Auguſtinum integro fere libro, qui eſt Confeſſionum ſuarum undecimus, fatigavit, ut ipſe fatetur.

III. Dixi hæc de præſenti Mentis ſtatu: de illo vitæ futuræ ob placitum Dei occultum non conſtat ſine revelatione: attamen ſatis intelligo, tempus, quale hoc eſt, ſive talem modum exiſtentiæ Cogitationis meæ, debere evaneſcere ſi Optimæ Menti quæ me ſuſtinet placeat ſe ipſam mihi ſecundum meæ Cogitationis plenitudinem jungere. Nempe ſi

pe ſi objectum omne Unum ſit & maxime uniforme, ſique omni facultatum mearum diverſitate ceſſante omnis mea Cogitatio eſſet una Intelligentia ardens in objectum vere unum uniformiter defixa, tunc certe omnis ſucceſſionis cauſa tolleretur, nec durationem, nec effluxum ſentirem, ſed omnia unum momentum, ut ſic dicam, ſive unum præſens mihi eſſent, & unum momentum eſſet omnia, quatenus excluderet omnis pluralitatis & diverſitatis ſive variationis cauſam. Et unde quæſo variationis animadverſio eſſet inde deſumenda ubi omnia ſunt unum uno modo cogitare? Hæc vita, ubi dabitur non temporaria, ſed æterna (quanquam non æternitate Deo propria) erit dicenda, cujus intuitu ſubſilit Mens Dei cupida, anhelans donec aſpiraverit ille dies, & fugerint umbræ, fugerit tempus, pereat ſucceſſio, pereat effluxus, deſinat durationis ſenſus, & ipſa, qualis jam eſt, duratio, ut nil in Mente temporariorum remaneat, nil quo à vera Dei æternitate, de qua mox, differat præter hæc duo, dependentiam nempe unam & eandem, totalemque, à Deo, & uniformitatem cogitationis quæ non ſit à naturæ ſuæ perfectione, nec ad illam relata, ſed ex Dei placito & ad Deum ſecundum ejus placitum, omni pluralitate profligata. Plura vetat dicere rei ſublimitas & ſtatus præſentis incapacitas. Et revera hæc ſunt ardua, nec oſcitantibus conſpicua, nec attendentibus bene perſpicua, ſiquidem cum eouſque aſſurrexerit cogitatio ut ea quaſi guſtet, continuo ad conceptus temporarios & evanidos quibus hic ſubjicitur, recidat. Ne tamen hæc ob conſequentias ſtupendas quas quivis attentus elicere inde poteſt rejiciantur, velim notari ſimilia olim occurriſſe Auguſtino, ut videre eſt in plurimis capitibus (a) libri Confeſſionum, ubi Angelos tempori ſubduxit. omnia lectu digna ſunt, ſed ob eos quibus ad manus codex non eſt hæc notabo (b): *Dixiſti mihi*, (Domine) *voce forti in aurem interiorem, quod nec illa creatura tibi coæterna eſt, cujus voluntas tu ſolus eſt, teque perſeverantiſſima caſtitate hauriens, mutabilitatem ſuam nuſquam & nunquam exerit, & te ſibi ſemper præſentes ad quem toto affectu ſe tenet, non habens futurum quod exſpectet, nec in præteritum trajiciens quod meminerit; nulla vice variatur, nec in tempora ulla diſtenditur. O beata ſi qua iſta eſt*, &c. Quorum ultimorum vim non videtur aſſecutus eloquens interpres Andillius dum lingua nobis vernacula ſic vertit, *ſans avoir de paſſé dont il ne luy reſte plus que le ſouvenir*, &c. cum dicendum fuiſſet, *ſans avoir de paſſé dont elle ſe ſouvienne, ou dont elle puiſſe ſe ſouvenir*. Nempe hic conceptus non caret difficultate, nec ulli hic datur eo frui, ſed eum utcunque quaſi extra ſe ipſum intento conamine ſaliendo attingere. Neque, ut hoc addam,

(a) Auguſtin. Confeſſion. Lib. XII. capp. 9. 11. 12. & 13.
(b) Ibid. Lib. XII. Cap. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

dam, Mentis in illo ſtatu conſtitutæ exiſtentia ceſſatura ſtatui putanda eſt, quod inde ſequi nonnullis videri poſſet, quamvis nec in præteritum prolongata, nec in futurum diſtendenda dici queat: non ceſſat illa Mens, ſed nihil in ea eſt quod evaneſcat ſive fiat præteritum, nihil etiam ei deeſt quod de novo ei accidere poſſit & debeat, adeoque quod ſit futurum: omne eſt præſens, at tale præſens quod ſe ipſo non eſt, adeoque abſolute non eſt, ſed à Deo eſt, qui ſolus ſimpliciter eſt, atque illud ab ejus placito plenitudinis ſuæ, alterius (nempe Dei) repræſentativæ, perfectionem haurit. Quamvis autem corpori cuidam, cujus motus & regimen temporum differentiis carere non poſſunt, Mens talis jungeretur, hoc nihil perfecto iſti ejus ſtatui officeret: quemadmodum res temporariæ Deo ſubjiciuntur, earumque conceptus in Deo ſunt, qui tamen non ſubjicitur ipſe tempori, ut mox ex profeſſo dicendum, quia per illas ab uniformi ſui ipſius intelligentia in qua tota ſimul præſenti perfecte acquieſcit, non revocatur nec impeditur.

§. D.

4. *Dei Æternitas demonſtratur.* 5. *Ejus idea. Definitio Boëthii non exacta.* 6. *Æternitas non coëxiſtit tempori, nec hoc illi.* 7. *Eſſentiæ rerum non ſunt proprie æternæ.* 5. *Res in æternitate factæ non ſunt.* 9. *Si mundus non haberet initium exiſtentiæ, non tamen eſſet æternus. Demonſtratur habere initium.* 10. *Figmentorum circa Æternitatem & præſentiam Dei origines, & deſtructio.*

IV. Hæc quantum hic datur percipienti non poteſt non occurrere is de Deo conceptus qui ejus *Æternitatem* verius & diſtinctius quam vulgo fit, repræſentet, noſque reddat certos Dei æterni exiſtentiam cum tempore nil habere commune. Omnis quippe, ut viſum eſt, temporis ſucceſſio, diſtenſio, & effluxus à præterito per præſens in futurum, rei convenit ob ejus dependentiam, & quidem talem, ut ejus realitates repræſentativæ non ponantur omnes, nec ſimul, ſed unæ poſt alias, prout Summo Domino placuit. Quomodo igitur ſucceſſionem, continuationem & effluxum in illo conciperemus cujus omnia ſunt una perfectiſſima & Independens Cogitatio? Aut quam abſurde ejus Æternitas ſtatueretur eſſe ſeries infinitorum momentorum quæ initio carentia ita decurrerent ut finem fluendi non eſſent habitura? Nonne ſic Deo tribuerentur imperfectiones, eæque tales, quas à nonnullis creaturis removeri poſſe vidimus? In cujus Cogitatione eſt ſucceſſio, in illo omnia ſimul

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

mul non ſunt, adeoque is eſt Naturæ limitatæ. Cujus Cogitatio prolongatur, ejus exiſtentia ſemel, adeoque ſimpliciter & in ſe ſpectata, non eſt neceſſaria, ſive non eſt abſolute, ſed cum conditione ut reproducetur, ut reponatur, ſine quo eſſet ut in nihil evaderet. In fluxu temporario à præterito per præſens in futurum, infinite plus datur imperfectionis ſive non eſſe, quam perfectionis atque eſſe: infinitum præteritum amplius non eſt, infinitum futurum adhuc non eſt, ſuper eſt volucre momentum quo res iſtis ſubjecta actu fruitur. Qua fronte ſimilia illi tribuere qui in veritate abſolute dicit *Ego ſum*, quaſi dicat, In me nil præteritum eſt, nil futurum: nil eſt ante me & nil poſt me: Sum ſemel & totus. Exiſtentiæ illius nil poteſt devenire in præteritum, quæ perfectiſſima eſt; neque ſtatus ejus præſens is eſt qui ſibi non ſufficiens egeat re aliqua eum jam deficiente, nempe futura exiſtentia ſibi poſtmodum acquirenda.

V. Cum igitur hæc omnia à Natura Dei longe abeſſe ex ante demonſtratis liqueat, conſequitur æternæ exiſtentiæ rationem eſſe Meram illam Cogitationem quatenus ſe ipſam ſive ſuam eſſentiam totam independenter & perfectiſſime ſemel poſſidet. Quo pacto Æternitas Dei exacte deſignatur, & ab illa repræſentante & dependenti æternitate, quam ſupra in Mente poſſibilem eſſe animadverti, perfecte diſtinguitur. Boëthii decantatiſſimam definitionem (a) qua Æternitatem dicit eſſe *interminabilis vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem*, omittimus tanquam minus aptam: obſcuram, & ambiguam *vitæ* vocem non dilucidavit: vox *interminabilis* quam mundi perpetuæ exiſtentiæ dicit ſecundum Platonem tribui poſſe, quamque Deo, ſed ut ſimul eam poſſidenti tribuit, videtur dare occaſionem cogitandi in æternitate Dei quaſi contractionem momentorum infinitorum, ſive ſpatii infiniti, ac ſi filum in longiſſimum extenſum, conglobaretur ut ſimul capi poſſet: cum tamen nulla res quæ creaturis vere ineſt aut ineſſe concipi poteſt, Deo vel ex parte vel ex toto, diviſim vel conjunctim, eodem ſenſu ſit tribuenda proprie, ut in definitionibus fieri debet: ſed & rationem formalem, ut ſic dicam, & conceptum fundamentalem æternitatis, ipſam nempe Dei independentiam, ſive ſufficientiam, prætermiſit, neque æternitatem exacte diſtinxit ab æterna vita Mentium, quibus etiam quæ ſubjungit de vita temporaria (quam ſolam ab æternitate diſtinctam proponit) non competunt. Poſſent forte nonnullæ harum difficultatum voce *perfecta* quam interponit, utcunque reſolvi, verum id non niſi intercedentibus multis mediis atque ratiociniis quæ exacta definitio non requirit. Sed nec hocce propoſitum ſuſtinet ut aliorum cogitata diſcutiantur.

(a) Boëth. de Conſol. Philoſoph. lib. v. proſa VI.

VI. Ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VI. Obſervabimus tamen ob male intellectam Æternitatem Dei, quaſdam vulgo proponi quæſtiones, propoſitiones & locutiones abſurdas, quas ſi veram Æternitatis ideam concepiſſent, nunquam in medium attuliſſent. Exempli cauſa, quæritur quomodo Æternitas coëxiſtat tempori, ejuſque differentiis, futuro nempe, præſenti & præterito? Item, quomodo res temporariæ coëxiſtant Æternitati? Deſudatur ut huic quæſtioni ſatisfiat, utque ea explicentur tanquam convenientia quæ nullo modo conveniunt, nec à ſuis explicatoribus concipiuntur. Dicunt Æternitatem coëxiſtere omnibus temporum differentiis, quatenus ſimul cum iis eſt, licet omnes hæ non ſint ſimul: dicit alius, non coëxiſtit tempori futuro, ſed coëxiſtet: alius, quod coëxiſtat, ſed prout columna in foro defixa coëxiſtit tota omnibus ſignis Zodiaci, in quantum iſta ſibi mutuo ſuccedunt in Horizonte, &c. Nugæ. verba hæc ſunt ſine ſenſu & evidentia. Atqui facile fuiſſet eis cogitare Æternitatis exiſtentiam eſſe ejuſdem eſſentiam: adeoque, petere quomodo Æternitas ſit coëxiſtens tempori, idem eſſe acſi quæreretur, quomodo illa ſit coëſſentialis tempori, vel contemporaria, tempuſque coëternum? ſive quomodo natura Æternitatis & temporis ſint ut unum quid & in eſſentia conveniant? Quomodo unius natura ſit ſub notione naturæ alterius concipienda? Quæ abſurditates revocaſſent à quærenda illarum rerum convenientia quæ pluſquam toto genere differunt ratione ipſius quæſiti. Nos vero, cum ſupra perceperimus Æternitatem Dei eſſe ipſam Dei eſſentiam quatenus à ſe ſufficientiſſime eſt; tempus autem eſſe res ipſas creatas quatenus ſuas perfectiones limitatas accipiunt unas poſt alias; quærentibus, quomodo Æternitas coëxiſtat tempori, vel, Deus æternus rebus temporariis? non aliter reſponderi debere putamus quam ſuam quæſtionem cum paraphraſi addita & ſocia ſic remittendo: Quomodo perfectiſſimum quid, quatenus id à ſe eſt ſemel & ſufficientiſſime, conveniat cum alio imperfecto, quatenus hoc eſt non à ſe, non plene, ſed limitate & vicibus variis? Quomodo perfectiſſimum eſt imperfectiſſimum? Quomodo Deus eſt non-Deus, ſed res temporaria, & viciſſim? Minus enormiter quæreretur, quomodo Mens ſit corpus, aut Amor ſit quadratura circuli? Impertinens eſt poſtulare diſparatum de diſparato. Igitur hæc de Æternitate & tempore cum nullatenus conveniant, nec poſſint concipi ut convenientia in exiſtentia, ſive ut coëxiſtentia quin ſtatuantur coëſſentialia, ſive ejuſdem eſſentiæ, quæri cum ratione non debent.

VII. At, quod de rerum exiſtentia dubitanter eſt quæſitum, de earum eſſentia ſecure affirmatum eſt: Rerum inquiunt eſſentiæ ſunt Æternæ. Hoc falſum eſt. Attende, an idea rei alicujus creatæ involvat ideam veræ Æternitatis? Nequaquam. Ergo falſo illi attribuitur Æternitas. At dices, eſt æterna in conceptu Dei, loquor de eſſentiis rerum, quatenus à Deo concipiuntur. Quid vero hoc eſt, Eſſentia rei eſt æterna in conceptu Dei? An hoc, Deus concipit eſſentiam rei iſtius quæ eſt ab ipſo diverſa æternam eſſe? Hoc abominandum eſt. Iſtud inquies non velim, ſed hoc, Deus eſſentias illas concepit ab æterno, vel, ut dictum eſt, conſtituit, voluit, ex placito determinavit: quare merito æternæ dicuntur, ut etiam paſſim decreta Dei æterna vocantur. Obſcuræ & incommodæ locutiones, eſſe æternum ob conceptum ab æterno! an quia res eſt ab æterno concepta ejus eſſentia æternitatem involvit? ſed etiam, quid illud eſt, Deus *ab æterno* hæc concepit, voluit? An, Deus hæc voluit qui æternus eſt? bene quidem, ſed ſic mundi exiſtentia eſſet æterna dicenda, cum ille ſit æternus qui eam fecit: An vero, Deus hæc concepit conceptu æterno? ſunt in conceptu Dei æterno? Nulla commodior ſignificatio videtur dari poſſe: examinemus eam aliquantum, viſuri, utrum inde ſequatur Æternitatem eſſentiis rerum convenire. Conceptus Dei tria dicit, primo Deum ipſum, ſecundo objectum aliud à Dei natura, tertio actus Dei. Jam cum conceptus Divinus dicitur æternus, cui ex his tribus Æternitas, & quo ſenſu, eſt tribuenda? Si Deo ipſi, hoc nil facit ad rerum eſſentias? Si ipſis objectis, ſive ideis, hæ non involvunt ideam æternitatis, nec cum illa neceſſario nexæ ſunt, abſolute non ſunt, ex ſe nihil ſunt. *vid. Cap.* x. Supereſt actus, quem proculdubio æternum dicentes allegabunt in cauſam locutionis ſuæ. Poſſem reſpondere infirmando iſtud quo uti debent ratiocinium, Actus quo rerum eſſentiæ concipiuntur eſt æternus, igitur & ipſæ eſſentiæ æternæ ſunt; inſtando, actus quo idea trianguli à Deo concipitur eſt omnipotens & omniſcius, &c. ergo idea trianguli eſt omnipotens. ſed quia iſtæ ad abſurdum ducentes inſtantiæ etſi convincant, lucem tamen non inferunt, dicam aliud; nempe, Cum actus quo res conceptæ, ſtatutæ, decretæ ſunt, æternus dicitur, num ſignificari putandum eſt eum in Dei Æternitate involvi, ex ea fluere, cum ea ita necti, ut ſi is actus negaretur, etiam ipſa negaretur Æternitas; nec Dei eſſentia eſſet æterna niſi Deus ita egiſſet, concepiſſet, voluiſſet, quæ à ſe diverſa ſunt? Hæc ita non eſſe, demonſtrant ea quæ de Dominio Dei abſoluto dicta ſunt. Non habet actus Dei liberrimus, indifferentiſſi-

 mus,

mus, à quo potuit Deus abſtinere, nexum neceſſarium cum eſſentia Æternitatis Divinæ Naturæ; nec, niſi alio ſenſu, æternus dici poteſt, nempe, quatenus res nondum erant, & tamen actu concipiebantur à Deo, vel quatenus conceptus non eſt in Deo per modum ſucceſſionis & effluxus tempori correſpondentis, ſed per alium quem ſolus novit Deus, quique Naturæ ejus Æternitas certe non eſt, etſi Eum deceat cujus Natura eſt æterna. Omnia huc redeunt. Sola Dei Eſſentia æterna eſt. Actus ſeu placitum Dei, ſive ejus determinatio, aut conceptus de rebus (&, ſi vis, rerum eſſentiæ) ſunt libere, non neceſſario, in illo, ante omne tempus, nec cum ſucceſſione, quaſi alia in Deo præceſſiſſent, alia vero ſecuta eſſent. Opera denique Dei ſunt in tempore, etſi, ut monitum eſt, quædam ex his ei ſubducta eſſe poſſint. Hæc ſufficiat concipere. Contendat de verbis qui volet, quantum libuerit. Si quis hæc capere nolit, nil mea refert.

VIII. Ex male intellecta Æternitate eſt, quod nonnulli ſic ratiocinentur: Si cum res non eſſent nullum tempus erat, ergo Æternitas erat, in qua mundus factus eſt: quod ſi in illa non ſit ſucceſſio, igitur omnia ſimul facta ſunt. Hi imaginantur ſibi Æternitatem, etiamque tempus, tanquam eſſent aliquid à Deo æterno, & à rebus temporariis diverſum atque indifferens ad Deum & ad res recipiendum, prout ſpatia imaginaria ficta ſunt. Sic dicimus ut difficultati prætenſæ non ſit locus. Res quæ non ſunt perfectiſſimæ non erant, ſed res Perfectiſſima ſufficientiſſime pleniſſimeque à ſe exiſtens (hæc eſt Æternitas) erat, qua exſtante, placuit eidem ex arbitrio quod ex ſe indifferens erat, res poni quæ limitatas ſuas perfectiones unas poſt alias (hoc utique non eſt in æternitate fieri, vel omnia ſimul creata dicere) reciperent. In quibus nil video difficultatis, utut ea verbis obſcuris, vel inſignificantibus, turbari poſſint.

IX. Aſſerentibus (Platoni ut ajunt & Ariſtoteli) mundum exiſtentiæ initio carere, fuit objectum, ſi id ita ſe haberet, mundum igitur æternum fore. Ecce, homines iſti ſibi imaginantur Æternitatem, quaſi eſſet infinitorum momentorum ordo principio atque fine carens. quæ vera æternitatis ignorantia eſt. Falſum eſt, mundum ſtatui æternum ſi dicatur vel ſemper exſtitiſſe, vel non poſſe affirmari in eo eſſe aliquod momentum quod ab alio non fuerit præceſſum: quamvis enim hoc eſſet, nihilominus mundus temporarius eſſet & dependens, neque hoc quicquam Dei Æternitati aut Potentiæ detraheret. Equidem dogma illud non propugno, ſed objectionem qua oppugnatur ineptam eſſe oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

oſtendo, & ex falſo Æternitatis conceptu oriundam. Fortaſſis vero ex incidenti poſtulari poſſet ut ex veris principiis refelleretur illud dogma, & demonſtraretur, mundum non ſemper fuiſſe. cui petito ut quantum in me eſt ſatisfiat, non pigebit diſcurſus filum digreſſione parva interrumpere. Id diu attendentibus non ita facile eſt ut prima fronte videri poſſet, adeo ut ſententiæ contrariæ fautores, ſiquidem revelatione deſtituebantur, aliquatenus excuſari poſſint. Certe adhuc dum hæc ſcriberem, poſtquam videram rerum extrema conceptui noſtro eſſe occulta, non poſſe cogitari uti ſpatium vacuum ſic nec tempus vacuum, ſive in quo nulla res fuerit; poſtquam aliorum quæ occurrerunt rationes infirmas deprehenderam, alias diu in mente mea quæſieram, putavi ſepoſita revelatione non poſſe ex lumine naturæ demonſtrari Mundum ſic eſſe, ut prius non fuerit. Nam ſi ab hoc momento, ad quod ejus duratio deſcendit, retrogrediaris aſcendendo quaſi ad primum momentum perventurus, non poteris unquam ullum deſignare momentum quod non potuerit ab alio præcedi, & hoc ab alio, & ſic in infinitum: quod autem concipis ſic poni potuiſſe, unde ſcis, revelatione ſepoſita, non eſſe poſitum? Sed poſtea occurrit, momenta, quæ infinita dicuntur, ſive particulas temporis cujus initium non concipitur, non eſſe tantum ſeparatim una poſt alia conſideranda, ſed, ſiquidem in unum collecta infinita dicuntur, uno etiam intuitu ſpectanda eſſe, ut omnibus conjunctim animadvertatur ineſſe quod eſt de eſſentia ſingulorum ſeparatim. Animadverto itaque, Momentum præſens antequam eſſet præſens fuiſſe futurum, quod autem futurum fuit, id non fuit, ſive prius non fuit: Ergo, colligendo quodquot momenta per quæ duravit mundus, quæque infinita effluxa eſſe dicis, omnis & tota mundi exiſtentia præterita, cum omnibus partibus, prius futura fuit quam præſens fuit, hoc eſt prius nihil fuit, deinde fuit: quod, ni fallor, demonſtrat mundum habere exiſtentiæ ſuæ initium. De mentibus quas ſuo ſenſu diximus tempori ſubduci poſſe, (nam ex illarum conſideratione aliqua inſtantia fieri poſſet) ſciatur eas plus realitatis ex ſe non poſſidere quam res temporariæ, & forte omnes prius tempori fuiſſe ſubjectas. Sed hæc ſufficiant. Redeamus ad ea quæ Æternitatem concernunt.

X. Plures aliæ locutiones vel propoſitiones circa Æternitatem obſcuræ vel falſæ dantur, quam ut hic poni poſſint omnes, ſed facile eſt eas ad exemplum præcedentium reſolvere, ſi modo clara Æternitatis idea aliquatenus habeatur: alioqui, vel commentariorum plauſtra non ſufficerent. Addam tamen & geneſin errorum fere omnium qui in hac ma-

teria pullulant, ut ea detecta, iſti nullo negotio evitentur. Primo, homines cum eſſent ſtulti, &, ut Auguſtiniano verbo utar, incraſſati corde, pro rebus omnibus nil aliud ſuppoſuerunt & cogitaverunt quam extenſionem diviſibilem, & quidem ſpatii pro rerum natura, durationis vero pro actuali exiſtentia. Secundo, cum poſtea alicunde nonnihil de mente vel de Deo audiviſſent aut percepiſſent, etiam eis tale *Ubi* & *Quando* extra ſuam eſſentiam, extra Cogitationem, in extenſione quæſiverunt & aſſignarunt. Tertio, ne omnia miſcerent, ſed ex phantaſia ſua aliquatenus diſtinguerent, & primo quidem corpora; quemadmodum, poſtquam figura certa, menſuraque, extenſionem ſpatii determinavere, eam præſentiæ ſive τῷ *Ubi* corporum aſſignaverunt & locum appellarunt; ita etiam extenſionem durationis momentorum certis limitibus ex parte anteriori & poſteriori limitantes, dixerunt hanc exiſtentiæ rerum corruptibilium menſuram ſive *tempus* eſſe, quod ſpecialiter dixerunt *Quando*. Quarto, extenſionis ſpatium fecerunt porro non infinitum quidem, ſed nec determinarunt, uti pro corporibus factum eſt, verum in ſtatu medio indeterminatum reliquerunt, idque creatarum mentium tribuebant præſentiæ ſub voce *Ubi*: quo pacto etiam cum extenſioni temporariæ limites, non omnes, ſed quoſdam ſaltem, nempe poſteriores, ſuſtuliſſent, eam adaptarunt Mentium creatarum exiſtentiæ, nec eam tempus appellare placuit, ſed *æternitatem à poſteriori* ſive ævum, de digniori Mentium æternitate nil quicquam ſolliciti. Et quemadmodum, quinto, poſtquam extenſionis ſpatioſæ limites laxaſſent, eamque infinitam concepiſſent, Dei præſentiæ illam attribuerunt, & *Ubique*, atque ſpatia imaginaria nuncupaverunt; ita quoque limitibus extenſionis durabilis omnibus rejectis, tam prioribus quam poſterioribus, illam ad Dei exiſtentiam retulerunt, & quæ ante erat æternitas à poſteriori, jam & à priori æternitas illis eſt, ſive ſimpliciter Æternitas, quam ut Deo propriam aſſeruerunt. Verum uti neſcio qua ſtupenda contradictione omnia iterum miſcuerunt, includentes totam Dei eſſentiam in omnium minimo ſpatio, cauſantes Deum ibi præſentem eſſe quoad eſſentiam immenſam; ita etiam eo devenerunt ut ſuam Æternitatem in minima extenſione durationis conſtituerent, docentes eam coëxiſtere totam cuivis temporis particulæ, &c. Ridicula figmenta hæc ſunt, & pari modo difflanda: ut enim in primo libro vidimus Dei eſſentiam, quæ ejus omnes perfectiones complectitur, fore limitatam ſi in creatura eſſet, imo ipſam creaturam ſic fore Deum, quippe in qua eſſet eſſentia Dei; ſic, ſi exiſtentia Divina ſive Æternitas coëxiſtat tempori ejuſ-

que differentiis, & tempus ei, ſequeretur iſtam Æternitatem inſtar momenti & cum eo limitatam fore, ſiquidem tota, quæ una eſt, illi coëxiſteret. neque refert, ſi concipias eam ante & poſt illud exiſtere, nam hoc proprie eſt concipere reproductionem rei quæ in ſe eſt ejuſdem cum tempore naturæ, ſive ſemel, ſive pluribus vicibus eſſe concipiatur. Menſuratur ita Dei exiſtentia, quamvis menſurando limites nec ante nec poſt deprehendas, omnino prout de ſpatio imaginario dictum eſt. Fiunt hoc modo è tempore & rebus temporariis tot Dii, aſſerendo iſta æternitati vel per momentum coëxiſtere: nam quodcunque ſemel cum Deo coëxiſtit, qua Æternus eſt, id Deus eſt. Sed quis eſt ille Deus cujus eſſentia & exiſtentia in extenſum reſolvuntur? Miſerum cerebri humani, quod vere hoc reſpectu atheum dici poteſt, idolum! Sed tandem ut ejus diſſolutio non minus pateat quam generatio, quemadmodum præſentiæ Divinæ in ſpatiis fictio, ex permiſtione diſparatorum orta, evaneſcit cum unumquodque in ſua natura ſeorſim conſideratur; ita hæ de Æternitate fictiones diſſipantur, ubi vera Æternitas in ſola eſſentia atque Natura Dei, in pura Cogitatione abſolute uniformi inſpicitur. quod hic utcunque præſtare animus fuit. De his magis magiſque meditanti, occurret Æternitatis Entis ſummi pulchritudo ineffabilis, cujus natura nulli alii communis eſſe poteſt, etſi ejus repræſentatio optime inveniatur in illis mentibus, quæ unum illud Æternum objectum cogitantes, tempori vidimus ſubductas, ut æternæ vitæ addicerentur. Utinam hæc cogitarentur profundius, donec ſtudium temporariorum quæ per momentum præſentia turbant, eo autem elapſo incapacia evadunt nos afficiendi, ex animo præ ferventi æternorum cura penitus evaporaret!

CAPUT XVII.

(16) CONSTANTIA.

§. A.

1. 2. *Unde Mentis inconſtantia, ejuſque remedium.*

I. VEnio ad ſecundam quam principio Capitis præcedentis dixi obſervationem, quæque inter illas quas in Libri initio de cogitatione mea notavi ſexta eſt poſt decimam. Infert illa iſtius modo dictæ prolongationis, quam in Cogitatione mea experior, uſum nonnullum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſed eum defectui multo obnoxium. Nempe ejus ope, quod in una durationis parte non poſſum de objecto aliquo Mente percipere, id partibus ſequentibus eo impenſis rectius concipio, imo ad alia etiam, ut plurima ſunt, objecta, mentis aciem dirigo. At quia Cognitio mea partiaria eſt, inadæquata, obſcuritati, errori, incertitudini aliiſque obnoxia, ut ſuperius vidi, hinc in modo quo me non ſolum objectis pluribus, ſed & ſæpe uni eidemque applico, & de illo cogito, varietas & inconſtantia. Sæpe accidit ut de re una cogitem, poſtmodum vero de aliis plurimis, & deinde, quaſi per circulum ad priorem revertar, quæ quamvis ſit eadem, ſtatumque ſuum nullo modo mutaverit, à me tamen modo qui priori interdum oppoſitus, interdum ab illo diverſus, cogitatione tractatur, ita ut quod mox tale vel tale, verum, bonum, conveniens, gratum, tali modo acquirendum, tractandum, &c. cogitabatur, haud multo poſt, etſi idem in ſe manſerit, at ob iſtos, ut dixi cogitationis meæ defectus, aliter reputetur. Et quamvis à voluntate alia cauſa accedere poſſit, (de qua jam non agimus) atque omnis inconſtantia affectibus ſoleat tribui, attamen experientia cuivis attendenti conſtare poteſt, partes potiores tribuendas eſſe huic cogitationis imperfecta cognitione præditæ recurſui.

II. Scio equidem hunc inconſtantiæ defectum ex me depelli poſſe, ſi is qui me tenet, Cogitationi meæ veras neceſſariaſque perfectionum, imperfectionum, veritatis, rerum, ideas evidentes affigat, regatque occulte intima mea, ut in omni actuum cogitationis meæ recurſu ad illas redeam. At vero, ſi illa mihi indebita deneget, ſtatus mei inconſtantia eſt deploranda.

§. D.

3. *Deus eſt conſtantiſſimus in Natura ſua & placito.* 4. *Non obſtante rerum inconſtantia.* 5. *De promiſſis, votis, aliiſque mediis quibus homines prætendunt ſeſe conſtantes reddere.*

III. Ille autem, ad quem reflecto, Deus, non ita ſe habet, ſed mihi ab omni variatione & inconſtantia liber conſpicitur, ſive eum ſpectem quatenus is ſe ipſo gaudet, ſive quatenus alia intuetur; ſive ejus naturam, ſeu ejus de rebus placitum intuear: adeoque ipſum *Conſtantiam* habere eſt agnoſcendum, eamque in ſenſu perfecto, nec talem quam mox in me poſſibilem eſſe vidi, quæ in me ex lubitu alieno poni poteſt. Naturæ ſuæ ſtatum ipſa natura ſua eſſe Conſtantem patet ex ejus Intelli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

gentia & Æternitate ſimul conſideratis, vel nullo negotio, ex eo quod ſit Cogitatio Perfectiſſima. qui enim mutatur fit eatenus alius ab eo quod prius erat, alius autem à perfectiſſimo non eſt perfectiſſimus, ſed perfectiſſimus non fit non-perfectiſſimus, nec poteſt, nam hoc ſibi contradicit, Ergo non fit alius, nec poteſt, ſive non eſt inconſtans, ſed conſtans, ex naturæ ſuæ eſſentia. Id etiam facile de ejus placito ſive voluntate, quatenus res ab eo ſtatutas & creatas ſpectat, concludere eſt: nam in illo non eſt ſucceſſio & recurſus, ut poſterior applicatio à priori diverſa ſit dicenda, adeoque inconſtantiæ ſubjecta. Neque etiam cogitari poteſt, Deum propoſitum aliquod deſerere & aliud amplecti, quin ſupponatur, Deum prius propoſuiſſe quod ipſe poſtea omnimodo deſerens nullo modo probat, hoc eſt, (cum in Dei placito non detur prius & poſterius) quin ſupponatur, Deum aliquid ſimul probare & improbare: quod abſurda contradictione cadit.

IV. Atque hiſce non officit indifferentia illa quam in Divino placito eſſe ſæpe diximus, ſiquidem tunc ut indeterminatum, nunc vero ut determinatum conſideratum eſt Divinum placitum. Nec ea quæ eſt in rebus inconſtantia evincit illud eſſe minus conſtans: nam conſtanter placet Deo res eſſe & fore eouſque inconſtantes, quouſque ex effectu patet eas mutari; & ideo mutantur quia voluntas Dei ut mutentur mutari ipſa non poteſt. Sed & in illa rerum inconſtantia egregii conſtantiæ Divinæ characteres conſpiciuntur, primo, dum ipſæ rerum ſubſtantiæ eorumque modi primarii, ſive immediati, cum ſemel exſtiterunt, conſervantur, unde & Mentium, etiam peſſimarum, ſubſtantia, cogitatio nempe, ejuſque facultates, conſtanter manent: deinde vero, quatenus rerum ſtatui qui inconſtantiæ ſubjicitur, non accedit mutatio niſi ſecundum regulas conſtantiſſimas, quæ in Mentibus & corporibus conſtanter obſervantur, ut ſciunt illi qui ſpecialius de hiſce philoſophantur. Et quamvis reſpectu mentium creatarum, quas magis minuſve approbare, amare, &c. dicitur Deus, prout illæ bono vel malo delectantur, inconſtantia Divinæ voluntati prima fronte quaſi videatur ineſſe; ſi tamen quod jam dictum eſt, nempe uno actu Deum rerum omnium ſtatum & durationem complecti, mente firmiter teneatur, difficultas ita evaneſcet, ut etiamſi omnia mutarentur, imo in nihilum abirent, non pateretur rationis evidentia aliud concludi, quam Divinum placitum, cui viſum eſſet omnia eo modo, & eouſque, nec ultra, exiſtere, eſſe omnino immutabile & conſtans.

V. Ex hiſce patere poteſt, quid de illis mediis ſit judicandum, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

bus homines ſeſe conſtantes reddere prætendunt in alicujus rei poſitione vel conſervatione, quæque vota, propoſita, promiſſa, juramenta, &c. nuncupant, inconſtantiæ ſuæ ſcilicet remedia. Nempe cum divinum placitum omnia ponat & conſervet, Illudque, etſi ſit conſtantiſſimum, non inferat rerum quas vult homo, aut quas ipſe poſuit Deus, forte ad tempus, conſtantiam; abſurdum eſt ut quis voveat ſive ſibi ſpondeat Deum quædam (quæcunque illa ſint indiſcriminatim) poſiturum, niſi Dei ipſius de futuro eventu declaratio habeatur, aut jam poſſideantur primitiæ omnium placiti divini effectorum, quæ cum complemento nexum à Deo ſtatutum dicunt. Stultius vero eſt te vovere eo ſenſu affectum, quaſi à te penderet alicujus realitatis poſitio, ejuſque prolongatio. Bene de præſenti mentis meæ ſtatu aſſeverare queo, talem vel talem revera jam in me eſſe cogitationem, id deſiderium, ut hoc jam vel illud velim, imo cupiam, ut Deus conſervet hanc voluntatem in me: at quid facturus ſit in inconſtantia mea, vel de ea permiſſurus, decet me inter ſpem & tremorem exſpectare. Ubi vero certo teſtimonio conſtat Deum bona in me poſiturum, tunc cum voveo me bona præſtiturum, vota mea non ſunt aliter ab ullo ſpectanda quam ut confidentiæ meæ ſigna de Divina veracitate, non vero ut mei Sponſio de mei ipſius propria Conſtantia.

CAPUT XVIII.

(17) SIMPLICITAS.

§. A.

1. *Mentis diviſio & compoſitio.* 2. *Quo ſimplicior certo ſenſu, eo confuſior.* 3. *Nunquam abſolute ſimplex futura.*

I. TAles & tantæ variationes jam jam in Mente mea obſervatæ, non modo excludunt à me vel omnium, vel unius abſolutæ perfectionis poſſeſſionem aut omnium eorum quæ meæ naturæ alioqui non repugnant, ad quæ tamen ex placito Dei non datur attingere; aut facultatum omnium quæ in me ſunt exercitium & actus, ita ut omnibus ſcientiis, profeſſionibus, objectis, applicer, ad quorum ſingula ſeorſim ferri poteſt mea cogitatio; ſed etiam ſentio me ita variabilem non ſimul poſſidere ea ad quæ pro mei ſtatus conditione præſenti applicari poſſum, aut etiam actu jam memet applicui, ita ut non ſim tam comparan-

parandus mediocri vaſi oris anguſtioris, quod liquorem paulatim quidem admittit, ſed tamen admiſſum variis vicibus actu omnem ſimul retinet, ſiquidem quod variis vicibus cogitatione admiſi non omne actu remanet præſens; quam anguſto canali, quem aquæ, aliorumve liquorum non poteſt ſucceſſive ſubire copia, niſi liquorum portiones in illum fluentes ſeſe mutuo expellant, & evacuatione continua ejiciant: nam experior cogitationes meas ſeſe mutuo ita excludere ut ſi una adſit, cæteris non det locum; ſi cæterarum quædam revocandæ ſint prior dimittenda eſt, & ſic continuo, non tantum ubi de rebus quæ inter ſe diverſæ ſunt cogito, ſed etiam ubi ad objectum quod maxime Unum eſt, nempe Deum, convertor, cujus perfectionem nonniſi pluribus cogitandi actibus repræſentare mihi hoc in ſtatu poſſum: huic enim imperfectioni ſubſunt & iſtæ cogitationes, ut una mihi præſente, cæteræ non appareant nec cogitentur.

II. Et quamvis interdum multa cogitando complectar una vice, non tamen ea ſimul ita complete & clare concipio, quam ſi ſingula ſeorſim ſumerem: ſed aliquatenus tantum, & confuſius, haud aliter acſi liquorum plurium maſſas in parvo canali ſimul caperem, nempe portiuncula ex quolibet liquore admiſſa, unde confuſio & dilutio eorum fieret eo major, quo plures eſſent liquores.

III. Interim non ſine aliqua admiratione intueor formæ cogitationis meæ diverſitatem. Illic eſt limitatio, non eſt unitas, eſt multiplicitas, ſed nec hæc ſimul adeſt, verum per partes ſeſe mutuo expellentes, quibus adde ſis, ex ſupra dictis, quamlibet partem non adæquata cognitione capi. An autem ex hac multiplicitate ad majorem ſimplicitatem ſit olim reducenda Cogitatio mea, id pendet ex placito Dei: quid hac de re velit ex revelatione determinandum relinquitur: quid poſſit, non determinatur, cum quæſtio in Potentiam Dei à nullo capiendam reſolvatur. Attamen, quicquid evenire queat, cum Mens creata nunquam unicam Dei perfectionem ſit habitura, nedum omnes ſimul & indiviſim poſſeſſura, inter ſimplicitatem ad quam poſſit pervenire maximam, atque inter illam quæ vere Deo propria eſt, infinita diſtantia eſt agnoſcenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

§. D.

4. *Simplicitas Divina, quæ? Demonſtratur.* 5. *Difficultates tres.* 6. *Cur nullum aliud ſimplicitatis exemplum ſit?* 7. *Quæ diſtinctio inter attributa Dei ſit. Ea ſimplicitati non obſtat.* 8. *Neque diverſitas decretorum.* 9. *Ut adumbretur in materialibus & in mentibus.*

IV. Divina quippe *Simplicitas* à Summa Perfectione eſt indiſſolubilis, eamque optime concipiemus, ſi miſſis quiſquiliis quibus vulgo eam negative deſignant, ut quod neget compoſitionem ex materia & forma, ex genere & differentia, &c. quæ etiam de ipſo nihilo dicere queas; de Deo cogitemus ſecundum viam mox in cogitando de me adhibitam. Sic enim obſervabimus, omnes quas Deus habet, quaſque de illo cogitare utcunque poſſum perfectiones, non modo ſimul eſſe in illius Natura actu præſentes & indiviſim unitas, ut nulla deeſſe poſſit; ſed & illas ita unitas eſſe, ut una ſit altera, & reciproce, imo, una ſit omnes, & omnes ſint una propriiſſime & quoad eſſentiam: nempe v. g. Vita eſt Spiritualitas, Æternitas, aliæque, & viciſſim: vita eſt omnia attributa, & omnia ſunt vita, & ſic de cæteris quæ omnia ſimpliciter unum & idem ſunt, ſive Unica mera Cogitatio ſunt. Id ita in Natura perfectiſſima eſſe facile demonſtrari poteſt, & ſufficienter in fine libri ſecundi, quo remittimus, eſt demonſtratum. Id quoque ex cæteris attributis nullo negotio evincitur, exempli cauſa, ex Sufficientia: Si enim dicas unum attributum non poſſidere cæterorum perfectiones (hoc eſt, non eſſe illa ipſa) peto, an Deus ſit ſufficiens ad illas ei dandum? Ut neges non permittit Sufficientia Divina: Si affirmes, ſequitur eas ab illo attributo actu haberi, cum nil paſſivi in Deo ſit. Ex activitate, quæ negaretur, ſi unum attributum ab alio ſeparari poſſe, aut uni perfectiones alterius vel omnium deeſſe ſtatueretur: ſic enim in Dei natura aliquid conciperetur ut capax recipiendi, ſive, ut non mere activum. Ex Unitate: Nam quod non exhaurit omnia, id multiplicari poteſt, ſi autem multæ poſſent dari Sufficientiæ, Æternitates, &c. multa darentur Entia ſufficientia, multa æterna, adeoque, quia hæc in ſolo Deo eſſe agnoſcuntur, multi Dii, quod falſi convictum eſt. Sed, ut plura prætermittam, id & ex attributo immediate præcedenti liquet, quo omnis diverſitas & diverſitatis capacitas à Divina natura remota eſt.

V. Fatendum eſt, nonnullas in hoc concipiendo occurrere poſſe difficul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

difficultates: Primo, ex eo quod in nullis rebus talis Simplicitatis exemplum ullum occurrat: Secundo ex eo quod ſoleamus plura in Deo attributa tanquam inter ſe diſtincta numerare: Denique ex eo quod dicantur eſſe in Deo plures de rebus conceptus, multa ſtatuta, decretaque, quæ ab illo abeſſe potuiſſent, vel aliter eſſe. Sed hæc omnia Simplicitati Divinæ non obſunt.

VI. Nam quod omnia, ſive extenſa, ſive cogitantia non ſint ad hunc modum Simplicia, hoc inde eſt, quod à ſe non ſint, ſed à placito alterius qui eis prout placuit dedit eſſe per particulas. Quod in homine ſcientia, juſtitia, gaudium, & quæ ejuſmodi, non ſint unum, inde eſt, quod non ſolum objecta diverſa ſint, ſed & Mens ipſa ſit variabilis modis multis quorum unus abſque altero eſſe poteſt, imo uno mentem diſponente, alia diſpoſitio mentis quæ per alium modum fieret, impeditur. Sed cum horum cauſſæ in Deo non ſint, quippe qui à ſe ſit, unoque invariabili objecto uniformiter gaudeat, nulla difficultate judicari poteſt tales effectus ab eo eſſe remotos; ut neque ejus Simplicitatem in dubium iis revocari.

VII. De attributorum Divinorum diverſitate ſive differentia, prout à me concipiuntur & numerantur, ſic res ſe habet. Deus eſt una mera Cogitatio: At cogitandi in me actus, ſive meæ cogitationes de illo, plures ſunt, & ex pluribus occaſionibus, quæ ſæpe rerum objecta diverſa involvunt, enatæ: nam, modo ex occaſione quod non ſim à me, modo quod non omnia poſſim, modo quod non omnia noſcam, & ſic deinceps, reflecto ad Divinam Cogitationem. Hæ reflexiones, quæ in reſpectu ad Deum conſideratæ ejus Attributa vocantur, cum contineant relationem non modo ad Deum, ſed etiam ad diverſitatem actuum, occaſionum, objectorum cogitationis meæ, adeoque cum plurium rerum conceptus complectantur, non poſſunt non habere aliquam inter ſe differentiam. At diſtinctio eſt in pluralitate actuum mei cogitantis, in occaſionibus ex quibus de Deo cogito, & in objectis ad quæ meas de Deo cogitationes aliquatenus relatas eſſe concipio, non autem in Deo. Una mea cogitatio de Deo non eſt numero eadem cum altera mea cogitatione de eodem: Una occaſio meæ cujuſdam de illo Cogitationis eſt alia ab occaſione alterius cogitationis, unum objectum quod ad Deum refero non eſt idem cum altero quodam quod etiam ad Deum referre poſſum: Sed quicquid de Deo involvitur in unaquaque & in omnibus iſtis numero diverſis cogitationibus ex diverſis occaſionibus ortis, & cum diverſis objectis implicatis, id unum & idem eſt indiſſolubitlier uni-

formiterque in natura Divina ſpectatum. Cujus veritatis aliud præter dicta argumentum eſt, quod nullius attributi vera & clara idea haberi poſſit ſi vel unum ex illis negetur, exempli cauſa, ſi æternitatem negas, vitam negas, nam non-cogitatio eſt non-vita; ubi autem eſt ſucceſſio, neque omnes ſunt ſimul perfectiones, ibi eſt non-cogitatio, non-conſcientia de illis. Et ſic de cæteris attendenti videre eſt.

VIII. Quod attinet ad conceptus, ſtatuta, decreta Dei circa diverſiſſimas res, ea non ſpectant ad Dei eſſentiam, ſiquidem potuiſſent non eſſe, vel aliter eſſe: adeoque nec debet in illis quæri Simplicitas Eſſentiæ Divinæ, nec, ſi ea ibi non inveniatur, obſtat quominus omnes quæ in Eſſentia Divina cogitari poſſunt perfectiones, una ſint eademque realitas. Habent tamen & illa ſuam inter ſe Simplicitatem, eamque quæ placiti Entis perfectiſſimi & ad hæc indifferentiſſimi determinationem deceat, quippe quæ ſint omnia actus unus, omnia objecta à Deo diverſa complectens, ſimul & conſtanter præſens. Sed Simplicitas quæ de re ſumme neceſſaria & perfectiſſima eſt, alia eſt, nec hujus alterius præſentiam aut abſentiam neceſſario poſtulat. Difficultatis hujus luculentius ſolvendæ fundamentum in Cap. x. evidentiſſime detectum eſt, quo ſine, certus ſum non poſſe capi, quomodo ſtatutorum & decretorum, quæ aliter eſſe poſſent, conſideratio, Divinæ Simplicitatis conceptui non repugnet.

IX. Dictum eſt, nullum in omnibus rebus, præter Deum, Simplicitatis Divinæ exemplum reperiri, quod abſolute loquendo verum eſt, nam nil eſt abſolute ſimplex, ſed ſi quod eſt, id aliquo reſpectu tale eſt, adeoque non ſimpliciter ſimplex eſt. Attamen ex rebus ſecundum quid ſimplicibus, nonnullæ ſatis egregia Divinæ Simplicitatis, pro ſuo modo, ſuaque natura, ſigna atque ectypa eſſe poſſunt, uti materiæ natura, ubi longitudo, latitudo & profunditas ita inſeparabiles ſunt, ut omnes & ſingulæ in omnibus & ſingulis materiæ partibus ſint; nec poſſit materia in alia quædam dividi, quorum unumquodque minus habeat quam hæc tria ſimul. Ita motus directio ſecundum lineam rectam Simplicis Opificis nota eſt inſignis, ſiquidem nil Simplicius rectitudine quæ in toto & in partibus uniformis eſt, cujus tota totius natura ſub qualibet parte eſt. Unde bene ex Simplicitate operationis Ens Simpliciſſimum decentis deſumitur Lex de motus ſecundum rectam lineam directione, quemadmodum ad Conſtantiam hæc altera Lex, quod unumquodque in ſtatu ſuo conſervetur, relata fuit; ad utramque vero Leges de motuum communicationibus & reflexionibus. In Mente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

autem creata ut Divina Simplicitas quantum fieri poteſt adumbretur, ſiquidem ad Simplicitatem Divinæ naturæ non pertineant conceptus de rebus à Deo diverſis, ita etiam ad ejus adumbrationem neceſſe eſt mentem creatam iis non hærere, nam attentio ad creata, quæ multiplicia ſunt, cogitationes diſſipat in multiplicitates infinitas, & inter ſeſe diverſas. Iſtius ſupra notatæ æternitatis primitiæ, ſola in Deum Simplicem Cogitationis directio recta, genuina, nuda, aperta, ſine ambagibus, ſine cura varietatis, ſine artificiali apparatu, ſine diſpoſitione affectata, ſine ſtudio ornatuum & phalerarum accidentalium, pompis & fere pupis, in verbis, in geſtibus, in ſubtilitatibus; is in omnibus agendi modus qui nec varietatis nec ſimplicitatis apparentiam captans, nec animum affigens externis & peregrinis quæ foris pro rerum ſtatu neceſſario ſunt formalitatibus, ſit liber ab omni eo quo res grata Deo carere poteſt; iſta inquam Mentem cum Divina Simplicitate conformant, contraria vero à Simplice Deo removere conſueverunt. Quo enim plura aliquis poſſidet quæ à perfectione ſive à cogitatione maxime uniformi & conſtanti, ea videlicet quæ pure Deum amplectitur, diſtincta ſunt, atque idcirco ſeparari & diſpergi poſſunt, is eo magis compoſitus, multiplex & diviſus eſt, minuſque Simplex & ſimilis illi, qui maxime repræſentandus eſt per illud à quo nihil queat amplius ſeparari, in quo omnia ſint unum neceſſarium, & unum ſit omnia. Quemadmodum autem Divinam Simplicitatem inter illa quæ in Deo cognoſcendo primum occurrunt jam ante recenſuimus; Ita etiam in Mente Deo approximanda vel proxima, primum & præcipuum requiſitum eſt Simplicitas hæc omnia condiens. Hinc etiam Simplicitas vere admiranda Divinarum Scripturarum quaſi forma & Anima eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Caput XIX.

(18) LIBERTAS.

§. A.

1. Mentis libertas in quibus? 2. 3. Spontaneitatis. Impetuum gradus, unde? Cautela. Motus Deo addictus. Ea à Deo ponitur, nec ejus ob Potentiam minuitur, &c. 4. Datur Indifferentia. 5. Nec obſtant difficultates. 6. An Libertatis creatæ Idea æqualis Divinæ, vel ea minor ſit dicenda?

I. OBſervatis hiſce variationum vicibus, occurrunt modi generaliores quibus in me ponuntur, quos partim voluntarios, partim coactos ſive peregrinos, partim mixtos animadverto, prout ad diverſas objectorum claſſes, diverſamque Mentis cum objectis communicationem referuntur. Et primo quidem, quæ decimæ octavæ obſervationis materia fuit, adverto eas ex cogitationibus meis quæ circa cognitionem veri & poſſeſſionem boni per judicia affirmantia aut negantia, per amorem, cupiditatem, ſimileſque propenſiones verſantur, non poni in me per externam vim, ita ut ſentiam me ad illas recipiendas, ſeu velim, ſeu nolim, eſſe coactum: Sed potius eas ita libere in me venire quaſi à me procederent. Hic cogitandi modus vocatur *Libertas* apud Philoſophos, quem melius Spontaneitatem dixeris: neque illa eſt confundenda cum alia apud Diviniores Scriptores libertate qua Mens peccato ſoluta, Soli Divinæ voluntati liberrime adhæret.

II. Prout autem veri & boni cognitio clara eſt aut obſcura, vel ignorantia obnubilata, ſic etiam cogitationes quibus de illis judico & in illa feror, ſunt aut ſponte determinatæ & alacres, aut indifferentes, ſive, ſponte indeterminatæ & in neutram partem propendentes, unde Libertas modo ſpontanea modo indifferens ab aliis dicitur, qui forte rectius dicerent Spontaneitatem eſſe vel indeterminatam vel determinatam, quo loquendi modo malumus uti. De motu illo ſpontaneo quo in objecta feror, obſervo, quo major vel minor cognitionis claritas & extenſio, verique & boni perfectio eſt, & quo magis vel minus me concernunt ſive mihi neceſſaria ſunt verum & bonum, eo etiam majori aut minori alacritate atque impetu me illuc ſponte & libenter ruere, atque adeo Libertatis Spontaneæ determinatæ plurimos eſſe gradus. Ad hanc veritatem, trianguli duo quæcunque latera ſimul ſumpta ſunt majora tertio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſponte quidem feror, cum ſit evidentiſſima, ſed cum non ſit è præcipuis, remiſſa valde eſt mentis meæ circa illam propenſio: at in illis quæ majora, nempe Deum & Divina, pro objectis habent, alius ſentitur Mentis vigor, percipiturque inclinationis celer, hilaris & vividus tractus ſive impetus, omnium maxime ſpontaneus, quem ſive ad paſſiones animæ ſpirituales, ſive ad ſenſus internos, quos nonnullus adducit tanquam firmiſſima poſt notitias innatas veritatis argumenta, referam, parum intereſt, modo ſedulam adhibeam operam ut cum clara & evidenti veritatis cognitione jungatur, alioqui ſumma fraus ſubeſſe poteſt, Menſque ignara in chymeras proprias tanquam in Deum vel placita Divina cæco deferri impetu, reputans ex interno ſenſu fervoris & decurſus, totam cogitationem eo temporis penetrante, occupante, & rapiente, ſe in Divina ruere feliciſſime, dedocenda tamen per eventum ubi fervor cum phantaſmatibus evanuerit. Interim quemadmodum inter ideas quas intellectus percipit, certa quædam eſt, eaque omnium intima, quæ ad ſolum Deum eſt referenda, ſic non dubium eſt quin ſit inter hos voluntatis motus aliquis qui radices, ut ſic dicam, & fundum Mentis ſecretiorem commovens, à ſolo Deo excitetur nullo intercedente medio, quippe qui totus ſolum Deum immediate ſpectet, quemque Deus ſibi proprium tanquam ſuum ſecretiorem operationis locum ſuumque vectorem elegerit omnis à quibuſcunque creaturis commotionis recipiendæ incapacem. Sine quo eſſet ut Divinæ operationes, inſpirationes, verus Dei tactus, veraque mentis converſio, ab imaginariis, quibus tot decipiuntur, nunquam poſſent ab ullo diſcerni, nec veræ beatitudinis, aut etiam miſeriæ, ullus certus daretur ſenſus. Sed hæc pluribus deducere non eſt hujus loci. Suffecerit notare ea hoc principio niti; Mens apta eſt à Solo omnipotente Deo intime affici eo modo qui ſit diverſiſſimus ab illis in quibus media creata intercedunt, adeoque ad quem non poſſint media creata attingere. quo ſenſu ipſis occultus dicitur & ſecretus, Menſque in fundo reconditiſſimo (quia cætera eo attingere non poſſunt) tangi. Et hic vere fiunt mirabilia atque ineffabilia Dei.

III. Horum omnium, ut ad hactenus dicta redeam, aliam non poſſum proferre rationem quam naturæ meæ Conſtitutionem, ſive, Dei placitum me ita conſtituiſſe; etenim hæc ſola eſſentiæ rerum modorumque primariorum ratio & cauſa eſt. Potentia igitur Divina, efficacia & vis ſui placiti, Omniſcientiaque Libertati Spontaneæ, ſive Spontaneitati determinatæ, non obſtant, ſed contra, eam juvant: nam cum ſint ejus cauſæ quo major earum operatio vel effectus in me ponitur, eo major

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

major in me eſt Spontaneitas; & quo plura placet Deo de voluntate mea præcognoſcere, eo magis vere liber ſum. Etenim hanc Libertatem eſſe aliquid poſitivi per ſe patet, & ſupra demonſtratum eſt omnia à Deo poni, ipſamque idcirco libertatem, cum eam vult, ad eum modum menſuramque ab illo conceptam, exiſtere.

IV. De Spontaneitate indeterminata, quæ in me eſt cum quid verum & bonum ſit non evidenter cognoſco, adeoque ſponte indeterminatus hæreo, adverto eam eſſe iſtius quam modo dixi Spontaneæ determinationis abſentiam, unde Mens in objectum affirmatione vel negatione, amore vel odio non fertur. Sed præterea obverſatur mihi quædam indeterminationis activæ indifferentis imago, qua Mens habere videtur Potentiam ſeſe à ſe ipſa determinandi ad quodcunque objectum ex pluribus oppoſitis, ſeu diverſis, magis minuſve bonis, prout ei placuerit. Fatendum eſt hanc arduam eſſe difficultatem. Malum non daretur, niſi indifferentia eſſet vel fuiſſet. qui culpanda fecit debuit aliter ſe gerere quam ſe geſſit, ergo, ſaltem aliquando, aliquo reſpectu, in aliquo ſtatu, indifferens fuit: nam ſi alium ſcopum, alia media, aliam occaſionem, aliud principium, non habuit ante determinationem quam poſt illam, non aberravit igitur à ſcopo, à regulis nec à principio, unde evidentiſſime ſequitur eum nequaquam peccaſſe: niſi forte dixeris in hoc eſſe peccatum, quod is qui agit putans ſe male agere, agat contra conſcientiam, nec attendens an ſit ad hoc determinatus: quaſi vero, ſi quis ſibi perſuaderet omnia promiſcue bona eſſe, & fata ſuum quemque vocare, minus peccaret; peccatumque conſiſteret in opinione quod detur peccatum! (quæ Libertiniſmi ipſa principia ſunt). Sed & quomodo illa opinio, quod detur peccatum, eſſet peccatum ipſum, adeoque in illis culpanda qui illam haberent, niſi prius in illis fuiſſet indifferentia ad illam amplectendam aut rejiciendam? Neceſſario igitur Indifferentia eſt ſtatuenda in Spontaneitate indeterminata.

V. Attamen omnia à Deo non modo ſunt determinata, ſed &, quod difficultatem auget, determinate poſita, ita ut nulla, quanquam minimula, à nullo alio quam ab ipſo ſolo qui omnia determinate ſtatuit ſe poſiturum, poſſint quocunque modo poni. Quomodo hæc cum indifferentia Spontaneitatis indeterminatæ concilianda? At non memini hic ſufficere ut obiter tangam ea ex quibus occaſionem loquendi de Deo ſum deſumpturus, nec opus eſſe ut ſcrupulos ſingulos diſcutiam, hos præſertim qui ex occaſione alienæ materiæ, nempe mali, occurrant. Quapropter tractationem difficultatum harum, aliarumque, intermitto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

mitto, donec de malo ſit cogitandum. Tametſi hic brevibus principia ponam unde omnia deducenda. Si certiſſimum eſt, (uti eſt,) omnia poſitiva à Deo determinate poni, & tamen indifferentem indeterminationem dari, Ergo Indifferens illa indeterminatio non eſt creaturæ potentia ſive capacitas aliqua ponendi vel non ponendi nonnulla poſitiva & realia; ſive, illa non eſt de perfectione aliqua ponenda, nec ne; adeoque etſi Deus omnia poſitiva quæ in Mente determinate ponat, hoc non impedit quominus in illa aliquid relinquatur quod concernat imperfectionem ſive negationem: & aliud inſuper habeo hujus rei, nempe quod indifferentia ſit defectus, argumentum, dum mihi perfectionem optanti conſcius ſum me peroptare illa plane deſtitui, quemadmodum & Mentes beatas illa ſpoliatas eſſe apprime concipio.

VI. Quæſtionem, an tantam Libertatis meæ Ideam me concipere dicendus ſim, ut nullius majoris, ne quidem Divinæ (de qua mox) ideam apprehendam, ut minus utilem, utque incommodam atque obſcuram conſidero. Non eſt libertas in omnibus meis cogitationibus. Quæ per indifferentiam liberæ dicuntur eo minus perfectæ ſunt (non loquor de imperfectione peccaminoſa) quo magis liberæ ſunt ſive indifferentes: itaque hæc libertatis magnitudo cum Divina non eſt comparanda. Ex meis cogitandi ſpontaneis actibus inter ſe comparatis, alios aliis minus alacres & vividos vidi, quid ergo ſi ad Deum comparandi ſint? Quæ omnium maxima in quibuſdam eſt lubentia quomodo cum Divina libertate comparabitur, ut hæc non dicatur illa major? eſſe majus vel minus proprie dicitur de æqualitate aut inæqualitate graduum realitatis in rebus earumve modis, quæ quæſtio inter Creatorem & creaturam locum habere nequit. Dices, coactionem vel potius ſenſum coactionis non magis abeſſe à Libertate Dei quam à Libertate Mentis creatæ, adeoque recte hoc ſenſu cum Carteſio Medit. IV. dici poſſe, utramque Libertatem ſic præciſe conſideratam æqualem eſſe nec alteram altera majorem. Reſpondeo, me hæcce quidem ut vera admittere, nempe, Omnis coactionis ſenſus abeſt à Deo, abeſt etiam ab iis ex cogitationibus meis quæ liberæ dicuntur: Sed quia id utrobique non eſt eadem de cauſa, eodemque modo, cumque id quod tanquam poſitivum hac voce *non-coactio* ſignificatur, nempe vel indifferentia, vel lubitus, ſe non habeat ut in Deo ſic in Creatura, nolim idcirco vocibus comparativis uti: nam nullo reſpectu aliquid in Deo eſt poſitivi & in creatura, quod præciſe æquale, nec majus, nec minus dici proprie poſſit, uti nec quid in illis magis vel minus æternum, omnipotens, magis vel minus

Deus, &c. dicitur apte. Hæc diverſiſſimi generis nullum vere parallelismum patiuntur. Addo, non fuiſſe opus Philoſopho ad erroris cauſam inveſtigandam (quod ibi faciebat) iſta realitatis cujuſdam inter Deum & creaturam comparatione uti: nec etiam ibi clare proceſſiſſe videtur. attendat quivis: nam revera ibi inque illa materia quam ibidem tractat, ſupereſt obſcuritas. Dicit ex evidentia ſequi Spontaneam allubeſcentiam (quam diximus Cogitationis ſpontaneam determinationem;) indifferentiam (ſpontaneam indeterminationem) eſſe ex ignorantia vel obſcuritate; eſſe minimum gradum libertatis; adeoque nullam perfectionem ſed potius imperfectionem ſive defectum, inferre, etiamſi ad ea extendatur quæ intellectus vel non cognoſcit, vel non perſpicue cognoſcit, adeoque latius pateat quam intellectus: Subjungit eo majores eſſe agendas Deo gratias, quo illa amplior eſt, ſive quo ſe magis ultra intellectum extendit. Quod cum præcedentibus non congruit, nam hîc ſupponit illam magnitudinem eſſe perfectionem quod ſupra negaverat, quodque etiam falſum eſt: alioqui actus ei magnitudini conveniens, hoc eſt, judicium ſe extendens ultra perceptionem intellectus, eſſet perfectio, (quod aliquo modo præſenſiſſe videtur), neque culpandus eſſet, neque error eſſet. quod abſurdum eſt. Suffeciſſet dixiſſe, Deum, qui Menti creatæ nil debet, ei dediſſe quaſdam perfectiones, ſed non omnes quas potuit; reliquiſſe adeo in illa imperfectiones, inter quas & illa eſt, ut dum in illa non datur determinatio ſpontanea ex evidenti perceptione oriunda, Mens maneat ſponte cogitans vel in ſtatu negativo, hoc eſt, cogitet ſe hoc vel illud vel iſtud non noſſe; vel in ſtatu privativo, hoc eſt feratur ad non-Ens quaſi eſſet ens, unde error. Hæc ex alibi dicendis magis illuſtrabuntur.

§. D.

7. *In Deo eſſe Libertatem non Indifferentem.* 8. *Eſſe & Indifferentem, quæ poſitiva, & ſolius Dei prærogativa.*

VII. Quamvis in Divina Cogitatione nulla ſit imperfectio, adverto nihilominus in illa *Libertatem* quæ cum mea nonnullam habet ſimilitudinem, eamque tum mere *Spontaneam* ſive determinatiſſimam, tum etiam *Indifferentem* ad determinationem, pro diverſitate objectorum, veritatis, bonitatis rerum de quibus cogitat Deus. Libertatem in illo agnoſco, non quæ ſit mera coactionis abſentia, aut quæ ſolum dicat principium Cogitandi eſſe in ipſo, ſed quæ dicat eſſe id à ſe ipſo & ad ſe ipſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ipſum. Spontaneam Libertatem ſive allubeſcentiam determinatam in Deo eſſe adverto, quæque nequaquam eſt indifferens, cum illius Cogitatio in objectum abſolutæ Veritatis & Bonitatis, hoc eſt, in ſe ipſum, fertur: nam proculdubio Deus non eſt indifferens ad ſe ipſum, ad ſe noſcendum, approbandum, ſibi acquieſcendum, quamvis maxime Spontaneè atque lubenter in his verſetur. Æque eſt de Eſſentia Dei ut non ſit ad hæc indifferens, ac de ejus natura eſt ut non ſit ſibi ipſi contrarius, ut neceſſarius ſit. Nec eſt quod quis offendatur, quod hunc quem in Deo concipimus, actum, quo in ſui notitiam & approbationem fertur, ad Libertatem revocaverim, ſi quidem hac voce tantum notare volui actus principium eſſe in ipſa re, & ab ipſamet. Nec etiam obſtat quod ante dixerim Scientiam ſive Notitiam Dei de ſe, non eſſe Liberam, ſed Naturalem, illam vero ſolam quam de rebus cæteris habet liberam eſſe dicendam: nam illic Libertatis vox, quam hic latius diduco, ad indifferentiam reſtringebatur. adeoque de ſolo nomine eſſet quæſtio.

VIII. Cum vero conſidero Cogitationem Divinam ut relatam ad naturas, eſſentias, veritates, bonitatem, cæteraque, quæ ipſe Deus non ſunt, quia ea nec abſoluta nec independentia ſunt, judico Divinam voluntatem nullum cum illis habere nexum neceſſarium, ſed erga illa fuiſſe indifferentem, hoc eſt, potuiſſe ſtatuere, ponere, conſervare ea, aut plane non, aut hoc aut alio modo, &, quæ determinarit, ex indifferentia mera placiti determinaſſe. Atque hoc tam fuſe ſupra Cap. x. eſt expoſitum, & tam ſæpe inculcatum, ut malim ea ſuis in locis inſpicere quam eadem hic reponere. Sed notari velim hanc indifferentiam poſitivam ſolius Dei Privilegium eſſe, omni creaturæ incommunicabile, cum involvat independentiam & Potentiam, ſive, Vim res ſtatuendi atque ponendi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT XX.

(19) IMPASSIBILITAS.

§. A.

1. Paſſiones Animæ in genere, multæ. 2. Mirabilis Dei de hiſce diſpenſatio. 3. 4. Senſationes non tendunt in falſum. 4. Ex ſolis ſenſationibus regere corpus, brutum eſt.

I. Dixi hanc Libertatem, quam in me modo animadverti, ad omnes cogitationes meas non extendi, utpote qui multas ſentiam pro voluntatis meæ arbitrio in me non excitari. Quædam ſunt quæ etſi interdum ex occaſione Cogitationum quarumdam liberarum in me ponantur, tamen præter voluntatem eis annexæ ſunt, adeo ut nexus hic non ſit liber: tales ſunt nonnullæ animi paſſiones & commotiones turbidæ, quæ quaſdam liberas cogitationes nonnunquam ita ſequuntur, ut his poſitis vix non poſſint illæ non ſequi: nec aliud in his pro libertate fieri poteſt, niſi quod antecedentibus ſponte remotis vel poſitis, ſequentes removeantur vel ponantur: quod tamen in omnibus paſſionibus locum non habet, nam cum eæ oriuntur ex humorum diſpoſitione conſtanti, jam utique plus adeſt extranei violentique impetus, quamvis partim tanquam in mente mea ſentiantur. Aliæ ſunt in me Cogitationes quas tanquam ex corpore certo, quod meum appello, imo quaſi in illo, percipio, quales illæ ſunt doloris, appetitus, famis, ſitis, & ejus ſortis ſimiles. Aliæ denique quas tanquam ex corporibus extra meum ſitis, & quaſi in illis percipio, ut ſunt lucis, colorum, ſonorum, & ejuſmodi aliæ, quas patet, ubi motus adſunt vel abſunt requiſiti, quorum perpauci ſponte mea diſponuntur, me invito adeſſe vel abeſſe, nec per voluntatem ſiſti aut amoveri. Unde conſequitur, me multa pati ex occaſione rerum mente mea ignobiliorum.

II. Libet autem in tranſitu intueri mirabilem circa hæcce Dei diſpenſationem, qui cum Mentem meam cum corporibus, & ſpecialius cum uno ex illis, vel cum una ejus parte nexum habere vellet, non effecit ut turbatim & confuſe quævis perceptio cuivis corpori aut motui reſponderet, ſed convenientiſſime omnia fecit, & prout corpora eorumque motus meam cum illis unitatem magis vel minus ſpectant, etiam impetus per ideas in mentem meam vividiores, urgentiores, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

vero dilutiores & remiſſiores fieri ſtatuit. Hinc ubi id quod nexui mentis cum corpore nocet vel prodeſt, in ipſis (ut vocantur) ſpiritibus animalibus (nobiliſſima & immediata Mentis inſtrumenta) invenitur, eoſque fortiter afficit, impetus in Mentem omnium urgentiſſimi, puta per dolores, vel etiam deliria, aut per raptus inter ſe contrarios, fiunt; ubi id extra ipſum corpus eſt, remiſſiores; ubi partim extus, partim intus, medii, mixtæque ſenſationes, quæ partim in corpore, partim extra illud, terminantur, quales ſunt calor, fames, ſitis; ubi quod extra corpus eſt, ipſum remotius eſt, vel non vehementer afficit, neque poteſt; indifferentes quoque, hoc eſt indifferenter ſpectatæ perceptiones, excitantur, quales ex viſu & auditu ordinarie habentur; at ubi illud tanquam in corpus facile & ſubito offenſurum, idque vel deſtructurum, vel perfecturum exhibetur, tunc commotiones adduntur vehementiores, quibus corpus diſponitur ad occurſum vel fugam externorum. Hæc generaliora ſi ſpecialius deducantur, pulcritudinem mirabilem Divinæ ordinationis contemplantibus ſiſtent. Eſt etiam in his unde Deus laudetur, quod per coactiones, turbationes, anxietates, faſtidia, terminationes ad externa, & ſimiles imperfectiones quæ in iſtis occurrunt, & mentem quaſi à ſeipſa & à Deo revocant, me monuerit ea non eſſe ſolida bona, ne illis ſponte mea, præter neceſſitatem nexus mei cum corpore adhærere quæram.

III. Perfectiones igitur quæ in hiſce, utut limitatæ atque imperfectionibus mixtæ, tamen culpandæ non ſunt. Sed non videtur poſſe ita extra culpam poni, quod hæc interdum poſitive & ex naturæ ſuæ conditione fallere videantur, nempe cum vel paſſiones, vel ſenſus, Mentem ad ea revocant quæ vel non ita ſe habent uti repræſentantur, vel nexui ejus cum corpore ſunt obfutura, ut cum dolor ſentitur in illis partibus quæ tamen abſunt, aut cum ſitis hydropicum ad potum ei nociturum diſponit. Quæritur, quomodo hæc, & quæ his ſimilia, quæ Dei ſunt operationes, conciliari poſſint cum eis quæ demonſtrata ſunt, quod Deus non tendat in non-ens, quod ejus Sapientiæ ſit media ad ſcopum ducentia, nec, quatenus ab illo reguntur, deviantia, adhibere? Carteſius circa finem Sextæ Meditationis nodum hunc diſſolvere tentat, ſed, ut quod mihi videtur efferam, non diſſolvit: concludit enim naturam hominis ut ex mente & corpore compoſiti non poſſe non aliquando eſſe fallacem. Manet tota difficultas, An operatio Dei poſſit interdum poſitive in falſum tendere? Certe rationes quibus evincitur non eſſe de Deo reputandum quod interdum in quocumque actu tendat in non-

 ens,

ens, ſive, operationes edat fallaces, omni exceptione majores ſunt; nec cauſæ quas enarrat Philoſophus, quod Mens indiviſa quæ juncta corpori diviſibili, ejuſque parti ſpeciali, affectæ à partibus contiguis, à nervorum funiculis eodem modo cum funiculis in principio, aut medio, aut extremo moventur, debeat potius ad extremitates nervorum per ſenſum reduci quam ad eorum principia aut media, quia illuc utplurimum commodum vel incommodum quo afficimur eſt referendum; & ex unoquoque motu unum eum ſenſum percipere qui quam frequentiſſime ad conſervationem ſani hominis conducit; Hæ, inquam, cauſæ, utut materialiter ſive in re ipſa ita ſe habeant, non tamen tantum realitatis habent, ut ideo hæc realiſſima veritas, *Deus agens nunquam fallit poſitive*, ſive, *Nulla ejus actio eſt poſitive fallax*, ſit infringenda. Quin potius minus incommodum eſſet ſtatuere, perceptiones de corpore in Mente excitari debuiſſe, non pro identitate vel diverſitate motuum, ſed quæ ſtatui corporis bene aut male diſpoſiti, immediate, quocunque modo ſe habeant motus, conſtanter ſint correſpondentes; quam ſi dicatur fallax poſitive nonnulla Dei operatio. Prius tamen non fit: ſed quæ de ſenſibus à Carteſio obſervata ſunt, & de occaſione qua excitantur, ita ſe habent in re ipſa. Quid igitur ad difficultatem propoſitam facies? Dico omnia quæ de ſenſationibus iſtis recenſita ſunt, experientia ſuffragante, non eſſe rejicienda; ſed non debere inde concludi ſubeſſe in illis fallaciam, ſive poſitive fallere atque per ſe erronea eſſe interdum quædam Dei opera.

IV. Quod ut clarius perſpiciam, inquiram quid in hiſce error dici poſſit? Nempe nihil aliud quam deviatio ſenſationum à ſcopo atque uſu quem Deus ipſis voluit aſſignare. Obſervo hunc ſcopum, ſive uſum, mentis cum corpore connexionem ſpectare. Obſervo præterea Deo non placuiſſe ut hæc connexio, ſaltem in hoc ſtatu, inter corpus & Mentem eſſet indiſſolubilis. Obſervo denique connexionem mentis cum corpore non eſſe mere coactam, &, ut ſic dicam, brutam ſive ἄλογον, ſed ex parte rationalem eſſe, ſive in qua ratio ſuas habeat partes, ut inde patet, quod ex arbitrio & ratione corpus regi poſſit. Ex his concludo, Eas ſenſationes non eſſe dicendas fallaces quæ ob incertitudinem ſive obſcuritatem, non impediunt interdum quominus Mens à corpore diſſolvatur; quomodo errarent, ſive deviarent à ſcopo, ſiquidem is, qui eſt Mentis nexus & corporis, ab authore ſuo non ſit indiſſolubilis decretus? Secundo, infero eaſdem non eſſe fallaces reputandas, ſi cum ſolæ conſuluntur, mentis cum corpore conjunctionem de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſtructum eunt, ut in hydropico ſitiente: nam cum illæ non ſint regulæ adæquatæ ſecundum quas corpori conſulatur, ſed adhibenda ſit quæ & in his partem habet ratio, ſi hac neglecta, nocitura amplectaris illas ſequendo, id negligenti tuo judicio voluntatique adſcribe, non autem ipſis ſenſationibus, quæ ad hoc non datæ ſunt ut ex iis ſolis cæce corpus regeremus. Brutalitatis principium eſt, ſecundum ſenſus appetituſque ſolos regere corpus, cibum, potum, cætera uſurpare, prout appetitus adſunt, durant, evaneſcunt vel abſunt omnino. Ut quid rationi jus & partem in illis conceſſit Deus? De illis quidem in quibus nullus adhuc rationis uſus eſſe poteſt, nempe infantulis, videmus ita eſſe diſpoſitum, ut viribus deſtituti, & ſe regere impotentes, alienæ rationis regimini ſubjiciantur: At, qui ratione uti debent, humanitate ſunt indigni cum cæce ſuos ſequuntur impetus, quales delicatuli, voluptuantes, & quotquot ſenſibus addicti ſunt in corporis ſive ſani ſive ægroti regimine, & quaſi beſtiæ merito reputantur. Conſule intelligentiam, illa te docebit quædam aſſumenda, quædam item à corpore eſſe releganda, interdum cum ſenſationibus appetituque, interdum ſine illis, interdum contra, interdum cis vel præter illos, atque etiam judicia ſimiliter de corporis ſtatu efformare. Quodſi ſine ratione ſpirituales impetus, qui ſpirituale bonum nobis proponunt, ſequi non debeamus, ut in capite præcedenti eſt obſervatum, multo minus brutos, qui corporea nobis offerunt. Quare ſenſus interni ſive ſint Spirituales, ſive corporei (facultates tantopere à Herberto decantatæ) non tuto ſoli ad aliquid probandum adducuntur. Et ſpecialius de corporeis, non putandum has perceptiones non-ſpontaneas ad hoc eſſe datas ut ex iis immediate impellamur ad agendum id ad quod obſcure revocare videntur, aut judicandum ſecundum eas: Sed datæ ſunt tanquam monita & ſigna, ex quorum appulſu ratio noſtra, imo & aliena cum imbecilles ſumus, in conſilium vocatur, & admonetur ſtatui corporis attendendum eſſe, eique debite proſpiciendum. Hic ergo uſus eſt: Mentem de corpore ſollicitam reddere; & hunc aſſequuntur. An autem ei ſit conſulendum eo modo & in eo membro, quæ ſubobſcure indicantur, & quo revocant illæ ſenſationes, ſuus rationi non fruſtra in corpus jus habenti, locus relinquatur, quæ etſi quam frequentiſſime cum illis concordet, interdum tamen alio revocat quam illuc quo ſine illa ruiſſemus: eodem prorſus modo, quo perceptionibus caloris, colorum, &c. etſi ad externa per has ſenſationes videamur revocari, ratio tamen intus non revocat, docetque ſimilia in rebus externis non eſſe, ſed intus, in Mente; unde nemo recte

ratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ratiocinans concludet ſic ſenſus ſtatui proprie & ex natura ſua fallaces atque erroneos. Similiter de aliis perceptionibus eſt judicandum. Si quid datum ut pars ſocia, & adhibitum ut totum, nil efficit recti, non illud fallaciæ, ſed qui ſic illo utitur ipſe erroris & inconſiderantiæ inſimulari debet.

§. D.

5. *Deus nil in ſe patitur. Ejus ſenſus perfectiſſimus.*

V. Ab operationibus illis Dei in me non ſpontaneis ſed nec fallacibus, tranſeo ad ipſius Dei contemplationem. Sed quæ in illo ex hac occaſione obſervo, difficultate carent: nam quocunque modo eum intuear, facile concipio eum eſſe abſolute *Impaſſibilem*, & ab alio nil actu recipientem. Talis eſt primo in Notitia atque voluntate ſua quatenus ad ſe ipſum terminantur. Secundo in Cogitatione ſua de rebus, ſuæque de illis voluntatis determinatione, quippe quæ à rebus ipſis ad Deum non veniunt, ut ſæpius probatum. Tertio, in ſenſibus: nullos enim habet noſtris ſimiles qui aliunde procedant, cum imperfectio ſit aliunde recipere. Quomodo autem conſcius ſit noſtrarum ſenſationum, temerarium eſt inquirere. Sed ſenſus Divinus, ſenſus ſui ipſius cum gaudio perfectiſſimo, de ipſo negandus non eſt, etſi non ſit dicendus paſſio, quippe qui aliunde non manat, qui ſpontaneus eſt, nullam involvit imperfectionem, & ab Entis perfectiſſimi Natura eſt indiſſolubilis. Nam, qui perfectiſſimus diceretur ille qui omnes perfectiones poſſidere aſſeveraretur, nec tamen in illis haberet complacentiam, delectationem, gaudium ſummum, quod à conſcientia omnium perfectionum ſuæque Felicitatis non differt? Interim quiſquis ſenſus impreſſionem ab alieno, aut inconſtantiam, aut aliam quamcunque imperfectionem infert, illi proprie non convenit, neque iraſcitur aut odit, aut pœnitentia erga quenquam ducitur ſereniſſima Mens, ſed Scriptores Sacri illis verbis utentes, ejus operationum vices, præſentiam aut abſentiam erga peccatores, deſignant. Hoc attributum *Impaſſibilitas*, etſi verbo negativum, eſt tamen ſenſu poſitivum: ejuſque ab Activitate differentia alibi expoſita eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT XXI.

(20) JUSTITIA.

§. A.

1. *Imperfectiones voluntariæ, injuſtæ.* 2. *Juſtitia in homine.* 3. *Injuſtitia, adductis aliquot exemplis.* 4. *Eæ hominem, non vero Deum attingunt.*

I. NOn modo animadverto in Libertate mea limites atque imperfectiones, quatenus omnes Cogitationes ſecundum illam in me non excitantur: (quæ impreſſio eſt involuntaria:) Sed & alias imperfectiones in illa deprehendo, quæque ſunt voluntariæ, quatenus fieri poteſt, atque etiam nimis ſæpe fit, ut ſponte libertate mea abutar, atque eam ipſam improbem, negando, exempli cauſa, me ea ſponte commiſiſſe in cogitationibus, in judiciis, in corporis regimine, aliiſque, que tamen me commiſiſſe vere percepero; vel etiam eam regere aliter volendo ac fieri deberet. Sic enim ejus tum verus uſus, tum regimen, abnegatur: quæ quidem imperfectio magna eſt, & jure *injuſtitia* appellatur. Antequam autem ex hujus occaſione id quod per *Juſtitiam* Dei intelligi debet, conſiderem, nonnihil de illa mei injuſtitia, deque juſtitia quæ illi in me oppoſita deberet ineſſe, ſpecialius inquiram, ut conceptus & verba diſtinctiora reddantur.

II. Id juſtum eſt, quod rei alicujus naturæ & regimini eſt congruens, conveniens, decens, atque iis dignum: etenim voces iſtæ, juſtum, decens, conveniens, tanquam ſynonymæ recte uſurpari poſſunt. Adeoque, quoniam quicquid eſt realitatis in mea natura, in meæ Mentis corporiſque mei regimine, in regiminis regulis, & verbo, in omnibus quæcunque in me ſunt, aut eſſe poſſunt, quoniam inquam illud omne operatio Dei eſt, ſequitur juſtum eſſe, ut ſinam me, (effectum quippe Dei) à Deo regi, de me ſecundum ejus placitum & regulas diſponi, in me quicquid vult fieri, me per illum (omnia operantem) ad illum (omnium ſcopum) duci, nec impediam quominus illa omnia quæ mihi annexuit, corpus, externa, proximi, ad illum mediante nexu quem mecum habent, rapiantur. Hæc juſtitia mea in ſtatu naturæ, eaque jure eſt indiſpenſabilis. ſic decet verum Dei opus diſponi.

III. At ſi huic reſiſto, tunc operationi Divinæ reſiſtens patro injuſtitiam, cujus natura, vel potius abſurditas, in eo non eſt quod aliquid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ex inde incongrui in Natura Dei ſequatur, aut in ejus placito, aut in ejus opere quatenus ab ipſo eſt, ſed quatenus in me debet admitti. Si ego debeo eſſe merum opus Dei, & tamen reſiſto operi Dei, tunc mihi ipſi, quatenus illud deberem eſſe, noceo & reſiſto: & hoc eſt abſurdum, incongruum, male conveniens naturæ illi meæ quæ opus Dei eſt & eſſe debet. Hæc eſt injuſtitia. Si ex me vane operari tentem, injuſtitia eſt, nam ſic volo eſſe non-opus Dei, ſed opus mei, hoc eſt, nihil: atqui incongruum eſt alicui, ut poſitive tendat in nihil. Si in me optem operationes Dei fieri ad lubitum ſive placitum meum, injuſtitia: nam natura operis Dei eſt effectus placiti ſolius Dei, volo autem ut ſit effectus placiti non-Dei, hoc eſt, ut non ſit, quod incongruum. Si in me optem operationes Dei fieri, at non ita in aliis, in proximis, quos non curem in conſpectu Dei, injuſtitia: nam verum opus Dei repreſentat Deum ſecundum ejus placitum, eſtque canalis per quem operationes Dei ad alios fluunt; Sed hoc modo non repræſento Deum omnes curantem, & nolo me eſſe eum qui gerat ea quæ ſunt operis Dei: opus vult eſſe non-opus. abſurdum. Si lubens ita corpus rego ut proximus non approximetur Deo, ſed alienetur potius ab illo, injuſtitia: Deo ſubtrahere tento opera ſua in me & in aliis, ut fiant non-opera ſua, adeoque nihil. hoc non decet Dei opus. Si poſtquam injuſtitiam commiſero eam negem me commiſiſſe; aut poſtquam juſtum quid in me factum fuerit, illud inficias eam, utrumque nova injuſtitia: poſterius, quia ſic operatio Dei directe, prius autem quia indirecte negatur, & pro ea obtruditur quod non eſt Dei operatio. Etenim negando me injuſte egiſſe, eopſe affirmo Deum ſemper in me operatum eſſe, adeoque injuſtitiam quæ vere in me eſt, tanquam eſſet opus Dei in me, jacto, ſive eam pro me ipſo quatenus opus Dei ſum, ſumo. Atqui indecens & incongruum eſt mihi, quatenus ſum Dei opus, aſſeverare me talem ab illo eſſe factum. Econtra, juſtum & conveniens eſt illi qui eſt opus Dei, ut ſe ipſum manifeſtet quatenus & quouſque tale eſt vel non eſt: id eſt, non debet negare ſua Dei bona, & ſua ipſius mala.

IV. Hæc omnia juſtitiæ Dei agnoſcendæ, & ab ea quæ in hominibus eſſe debet diſtinguendæ, inſerviunt, modo ne hæc ex principio corrupto ullus intueatur, reputans ex amore corruptionis ſuæ, in hoc eſſe juſtitiam, ut quæ ſibi ex depravatione convenire judicat, aſſequatur. Nil aliud in dictis videre volui, niſi juſtitiam naturæ Dei, ut & juſtitiam placiti Dei, etſi hæc ſit regula juſtitiæ hominis, non eſſe tamen ipſam juſtitiam hominis, ſive ipſam rem, ſive ipſum opus juſtum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

in homine: ſed hoc hominem ipſum eſſe quatenus in illo nihil eſt quod non ſit Dei opus, ſive quod non deceat hominem quatenus is eſt Dei opus. Sic percipio, quam vere ſacra clamet pagina, hominem peccantem non tam in Deum quam in ſe ipſum inque ſuam animam peccare (ſiquidem ſic minus operationum Dei ſint in illo;) juſtitias, aut injuſtitias noſtras ad Deum non attingere, quanquam indirecte ſint conamen inutile ut Deus non ſit Deus, nempe quatenus placito & dependentiæ ab illo volunt ſubduci, adeoque, Deum non habere jus, potentiamque in omnia, neque ſic Deum eſſe: Ex quo eſt quod motivum pœnitentiæ ſive doloris ob injuſtitiam, non ſit deſumendum à conſideratione noſtri, ſed Dei: imo, ſi vis, à conſideratione noſtri, quatenus nos omnino noſtri non ſumus, ſed ejus, & tamen in multis, in regimine, in omnibus voluimus eſſe non-ejus. Nam alioqui abſurdum eſſet dolere, perinde quaſi Naturæ Dei aut ejus placito nocuiſſemus, cum hoc, quod indirecte tentavimus, ſit impoſſibile.

§. D.

5. *In Dei natura, placito, opere, juſtitia eſt.* 6. *Ea ultra vindictam mali extendenda.* 7. *Juſtitia vindicativa ut Deo eſſentialis. ut poſtulat ſatisfactionem.* 8. *Nempe ut peccator ſit æternum miſer,* 9. *vel ex amore Dei ſumme doleat.* 10. *Quod interventum ſubjecti præſtantiſſimi & innocentiſſimi requiſivit.* 11. *Conſcientia hiſce ſuffragatur quoad jus. Veritas facti ex revelatione & experientia depromenda.*

V. In Cogitatione ſumma non eæ ſunt imperfectiones quas jamjam in Cogitatione mea animadverti. Nam ſeu illa ſe ipſam contempletur ac velit, ſeu alia velit vel operetur, equidem nil incongrui ullibi adverti poteſt. Naturam mere unam perfectiſſimam, ſimplicem, eſſe ſibi maxime congruam, decentem, atque adeo in ſe juſtam, ita evidenter percipio, ut operoſiorem probationis deductionem non requiram. Non etiam concipere poſſum Deum aliquid ſtatuere aut operari quod eo ſit indignum, ſive quo teſtetur aut ſe plane non eſſe, hoc eſt, aliquid quod non habeat notam Dei exiſtentis; aut ſe non eſſe id quod eſt; aut ſe nolle id quod vult, aut velle id quod non vult. Adeoque non poteſt ab illo aliqua operatio proficiſci quæ oſtendat eum eſſe non independentem, non ſapientem, non potentem, non omnis boni Authorem, non alienum à nihilo vel ab odio ſui, ſive à malo, non approbantem opus ſuum: Sive, Cogitari nequit in Deo ejuſque actionibus ullum indecens, ulla juſtitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VI. Econtra, Cum Deum deceat ſe, qualis eſt, operationibus ſuis, ſi quas producere vult, adumbrare, juſtum eſt igitur (hæc enim *Juſtitia* ultra vindictam mali eſt extendenda) ut iis teſtetur ſe ſummum, ſe Potentem, ſe Sapientem eſſe, ſe bonum & boni fontem, ſe operis approbantem. (hinc omnia conſervat, ipſæque ſubſtantiæ quæ malo implicatæ ſunt, quia ſubſtantiæ ſunt, hoc eſt, quia opus ejus ſunt, ab eo ſuſtentantur, & ab annihilatione præſervantur.) Ita quoque Deum ſui amantem & approbantem, decet eſſe improbantem ejus quod ipſum non amat, in quo ſi aliquid realitatis & bonitatis ponit, decet etiam ut oſtendat indubitatis notis, & valde ſeriis, ſe non ideo malum, ſui neglectum, probare, ſed potius improbare. Hoc ultimum *Juſtitia Vindicatrix* dicitur, & Simpliciter Juſtitia; At improprie ad ſolam vindictam mali reſtringitur Juſtitia, quæ vere latius quid eſt quam vulgo putatur, cum ad Dei Naturam, ad omne ejus placitum, & ad omne ejus opus viderimus eam ita eſſe referendam, ut nihil in illis ab ea deflectat, quamvis ejus viæ in occulto Sapientiæ Divinæ interdum ad tempus lateant.

VII. De Juſtitia Dei vindicativa pauca ex hiſce ſpecialius & evidentius deducere conabor, ſiquidem horum fructus præcipuus ſit ut iis ſacra illuſtrentur. Cum Juſtitia Vindicativa, quæ Creaturas malas pro objecto habet, dicitur Deo eſſentialis, non cogitandum eſt, aliquid per creaturas Deo ſive Divinæ Naturæ ſubtrahi poſſe aut ſubtractum eſſe, quod ei reddere oporteat ut Divina natura ſibi conſtet: nam ſic aliquid Naturæ ſive Eſſentiæ Dei deeſſet. Sed Deo volente ſe operibus ſuis ad placitum pingere qualis eſt, decens eſt ut in illis operibus ſint teſtimonia, notæ, ſigna ſeria, grandia, indubitata, quod Deus ſe ipſum & ſui amorem probet, non probet autem ſui contrarium, ſui neglectum. Hæc igitur decentia, ſive Juſtitia, propriè dicenda eſt eſſentialis placito Dei de ſe, qualis eſt, per creaturas quales jam voluit libere ſtatuere, repræſentando, non vero directe ipſi Eſſentiæ Dei. Quod ſi talia adſint teſtimonia, nil eſt quod placitum ſive voluntas Dei ad ſui decentiam, juſtitiamve, ad hoc ut tanquam Deo digna concipiatur, ulterius requirat: hiſce teſtimoniis ei ſatisfit, nam ſic illa vindicatur à contumelia & blaſphemia qua impeti poſſet, quaſi probaret id quod Deo contrarium eſt, quod revera eſſet injuſtiſſimum, ſive non decens voluntatem Dei, ipſumque Deum.

VIII. Jam vero, ſi Ego, qui ſum opus Dei, ſiviſſem me Deo ſubjici, tunc certe nil in me eſſet quod Decentiam placiti Dei de ſe in me repræſentando in dubium revocaret. At poſtquam volui eſſe mei juris,

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſive Deum nolui eſſe omnia in me, ſed eum abnegavi, & peccavi, tunc quamvis eſſentia & exiſtentia mea, ſive τὸ conſcium eſſe, declarent Dei potentiam ſuſtentantem, (adeoque non ſint eatenus à Deo improbandæ ſive annihilandæ:) attamen illa abnegatio Dei non poteſt concipi eſſe Divinæ voluntati grata, congrua, decens. decet itaque Deum teſtari negationem ſui in me ſibi non placere. Quî id teſtabitur? Quale illud teſtimonium? An ſi Deus illa bona in me operetur in poſterum quæ operatus fuiſſet ſi non peccaſſem, ſique me rebellem ita ſuſtentet, ut in meo ſtatu delicier, mihi placeam, & acquieſcam? Stulta cogitatio hæc eſt. Quin potius ſi omittat in me operari bona quæ ni peccaſſem fuiſſet operatus, gaudiaque iniqua inquietudine percellat: quomodo omnibus bonis privatus ſumme miſer equidem in poſterum redderer, imo & in Dei negatione pergens, Dei operationibus optimis privari æternum pergerem; ſed tamen hoc modo miſeria mea vindicaret Decentiam ſive Juſtitiam Divinam, alte clamans, Deum ſui negationem ſumme improbare, & ab ea eſſe ſumme alienum & abſtinentem. Sic igitur poſtulat voluntas quæ Ens ſe ipſum non improbans decet, ut peccator ſit æternum miſer.

IX. Attamen concipio, quodſi in Dei negatione & mei ipſius præ Deo amplexu non pergerem, & præterea ſi maxime & amariſſime ex diſplicentia peccatorum commiſſorum & amore Dei, ex eo quod voluerim Dei juri ſubtrahi & mei juris eſſe, dolerem, totuſque inquietus eſſem reſpectu mentis & corporis, tunc me fore in eo ſtatu reſtitutum in quo bona Dei voluntas decentiſſime in me operaretur denuo quæ intermiſſa erant, atque conſummaret ea quæ abſente peccato fuiſſet factura, aut forte eadem menſura majori. Sine hoc impoſſibile eſt ut cogitem Deum ſeſe mecum feliciter communicaturum. Nam quocunque medio Deum uti poſſe putem, Si tamen in me non ceſſaret Dei negatio, non deſinere voluptas in non-Deo, non reponeretur Divinus amor; tunc res eo rediret, ut Deus probaret & amplecteretur ſui neglectum; mediumque, qualecunque id cogitari poſſet, dicendum eſſet intervenire ut maneret conſtans Dei negatio, non-amor Dei, & delectatio in non-Deo. Quod abſit ut cogitemus.

X. At quomodo ceſſatio negationis Dei, hujus amor, deſtructio delectationis extra Deum, quomodo dolor ſanctus ex amore Dei & negatione mei oriundus (res bona, perfecta, realiſſima, quæ in ſe mala & execranda non eſt, ſed talis ſi dicitur, ideo dicitur, quia rei execrandæ, nempe peccati, nota eſt) quomodo, inquam, talia bona in me ponerentur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tur, niſi is qui operatur omnia, ea quoque operetur? quomodo vero tanta bona in me rejectaneo peccatore decenti modo operari Deum concipiam niſi concipiam antecedenter quod Deus teſtatus ſit ſolide malum meum ſibi non placere? Prior difficultas primumque obſtaculum redit. Hæc maxima bona ipſumque adeo ſanctum dolorem, non concipio à voluntate Deum neglectum ſui improbantem decente, poni poſſe in ſubjecto improbo, niſi Deus in anteceſſum teſtatus ſit ſui de illo improbationem ſummam, quod obſtaculum ut per circulum redit continuo, donec detur tale ſubjectum, quod nil habeat in ſe præcedente Dei improbatione & diſplicentia dignum, ſed quod ſit præſtantiſſimum & pretioſiſſimum, in quo non fuerit prava voluntas, negatio Dei, quodque Deus ſui amore, &, in teſtimonium odii erga peccatum, doloribus ſummis ex Summo Dei amore & diſplicentia peccati oriundis repleat. Dico autem & ſanctos dolores illos ſummos, & ſubjectum illud pretioſiſſimum atque præſtantiſſimum eſſe debere. Nam cum Deus ultra quam cogitari poteſt à peccato diſtet, ſic quod in hujus teſtimonium debet adduci, ultra quam dici vel cogitari poteſt decet eſſe memorabile & notabile: quod in me hoc quoque reſpectu plene fieri non poterat. Atqui cum tale ſubjectum in naturali hominum ſtatu non detur, alibi quærere ſapientiæ Dei, exhibere liberæ gratiæ eſt. Sed ubi tale ſubjectum innocens, taleque in eo Dei opus fuerit, quid poſtea impediet quominus Dei Bonitatem deceat mihi ita bene velle ut ad ſui mecum communionem divinos in me atque etiam in aliis, ut ipſi placebit, dolores efficiat, ceſſationem negationi Dei injiciat, adque eaſdem quæ prius ante peccatum operationes fuiſſent, ponat, etſi gradatim & alio modo? An jam dicetur quod locus huic contumeliæ ſuperſit, nempe, Divinam voluntatem hæc bona in peccatore operantem ſic agere, acſi ab eo quod Deum negat, ſive à peccato, non eſſet aliena? Siquidem ſe ab hac contumelia ſufficientiſſime purgaverit & vindicaverit, efficiendo dilectum in quo antecedenter nil erat reprobandum, ex amore Divino ſumme ob peccata dolere? Non impediet igitur Juſtitia Dei, ſive decentia ejus voluntatis, quin conſequenter in me bona iſta ponat, videlicet primo, ut amarè atque ex amore doleam quod noluerim Deum mihi eſſe omnia, fuerimque cauſa dolorum innocentis; deinde finem imponat abnegationi ſuæ quæ in me fuit; & tandem priores ſuas operationes in me reſtituat, quæ aliis verbis ex eventu poſſis ſic efferre: Chriſtus morte ſua Dei Juſtitiam vindicavit, mihique acquiſivit pœnitentiam, reſipiſcentiam, & ſanctitatem; ſive, ut feram ejus crucem, abnegem

gem me, & ipſum ſequar; (quæ trina eodem recidunt) ut ne Deus mecum communionem habens putetur cum eo quod adhuc in impuritate maneret & ſui negatione, commiſceri. Et huc reſpexit Deus cum voluit juſtitiam ſuam non priori altero modo, quo ſemper miſer fuiſſem, ſed hoc poſteriori, mihique ſalutari, vindicari.

XI. Hiſce ex naturalis conſcientiæ diſcuſſione ſua conſtat veritas juris: ſunt enim meræ notitiæ communes, evidentiſſimæ, cuilibet ad Deum agnitum attendenti: adeoque Herberti, Deiſtarum, aliorumque dogma, de Juſtitia Dei per ſolam peccatoris pœnitentiam vindicanda eſt plane abſurdum, & ad vindicandum Deum à contumelia ineptum. Quod attinet ad veritatem facti, cum illa potuerit non eſſe (potuit enim Deus poſt malum admiſſum nolle amplius bona in peccatore operari, & ſuam Juſtitiam per peccatoris miſeriam perpetuam declarare) ejus certitudo & modus executionis ex revelatione & experientia, bina eventus rerum poſſibilium argumenta, unice eſt depromenda, totaque res ex duobus hiſce principiis penitius & ſpecialius eſt proponenda.

CAPUT XXII.

(21) VERACITAS.

§. A.

1. Mendacii, fraudis, perfidiæ, &c. injuſtitiæ.

I. INter præcedentes Spontanearum Cogitationum imperfectiones hæc etiam numeranda eſt, quod contingere poſſit, me ea de me negaturum, quæ vera eſſe non modo ſcivero, ſed & ipſe voluero, probavero, & promiſero. Hæc injuſtitiæ ſpecies eſt, & ſpeciali nomine *Mendacium* dicitur, vel potius perfidia. Si aliquid promiſero, nec tamen præſtitero, non poteſt non illic injuſtitia latere, vel in promiſſo ipſo, vel in ejus denegatione. Nam ſi teſtatus fuero me optare & velle ut Deus certis circumſtantiis aliquid in me operetur quod ad alios tendat (etenim id promittere eſt ſano ſenſu) atque illud non placeat Deo quod per me fieri volui, equidem recte tunc violatur promiſſio, at id in illa injuſtum erat, quod non-placitum Dei ſumebatur pro opere à Deo per me faciendo. Quodſi promiſſum fuerit de bono, atque de re Deo grata, nec tamen præſtetur, injuſtitia eſt: nam quod eam rem ab ipſo & à me approbatam ille per me non præſtet, id inde eſt, quod ejus operationi reſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

reſtiterim : ego, inquam, qui ejus opus ſum, reſtiti ejus operi mihi convenienti : quod ſatis patet ad Injuſtitiam eſſe accenſendum.

§. D.

2. *Veracitas Dei in promiſſis.* 3. *Promiſſa verbalia & naturalia.*

II. Satis etiam patet ex dictis de Juſtitia Dei, hancce Injuſtitiam eſſe ab illo removendam: Cum nequeat cogitari decere Ens ſummum ut improbet quæ probat; aut vero mutetur. Econtra, decet conſtantem Deum, atque à placito ſuo non alienum, ſe promiſſi ſui oſtendere approbatorem per ejus eventum. Juſtitia ſive decentia hæc *Veracitas* nuncupatur. Quare, ſi promiſerit ſe, quamvis olim ab illo regi noluerim, recturum attamen ſingulari modo omnes cogitationes meas, ſive, ſi gratiam mihi ſuam non obſtante meo peccato promiſerit, eam ab illo poſtulare queo per Juſtitiam ſuam, hoc eſt, veracitatem, quia nempe decet & juſtum eſt, eum non negare, ſed ponere ſuum promiſſum.

III. Notandum inter promiſſa Dei, objecta hujus veracitatis, non ſolum debere ea reponi quæ Deus vocibus vel literis quibuſdam ſe facturum ſignificavit, ſed etiam quicquid quibuſcunque ſignis, ideis, teſtimoniis ut certa objecit menti, vel per corpora, vel immediate per ſuas ipſius cogitationes; imo quicquid de ſtatu rerum non modo futuro, ſed & præſenti oſtendit Deus menti per ideas, ſe habere inſtar promiſſorum. Nam omnia efficit ille, & extus ea efficit impletque quæ clare conſtat eum intus ſignare, & quaſi promittere vel præmittere. Notitia hæc, *Recte utenti intellectu veritas occurrit*, quam Deus eo modo in Mentibus operatus eſt, ut de illa non poſſit dubitari, eſt quaſi primum promiſſum. Cæteræ, quas Deus etiam Menti impreſſit, & ex quibus recte animadverſis, infertur aliquarum rerum aut modorum exiſtentia, ex hoc priori roborantur, nec in ſuſpicionem falſi debent induci, quia Deus Verax eſt. Quod invicte & inſuperabiliter voluit à Mente tanquam præſens, vel etiam futurum cognoſci; id ipſum, eam ſui voluntatem, non putandus eſt per eventum improbare & rejicere. Hæc de illo Cogitatio contumelioſa eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT XXIII.

(22) SANCTITAS.

§. A.

1. *Animæ Impuritas & Sanctitas.*

I. HÆc quoque una eſt ex numero imperfectionum mox notatarum, quæque ex abuſu libertatis meæ oriuntur, nempe quod cogitationes meas, affectuſque ſpontaneos totos, lubens ita deprimere poſſim, ut adhæream atque affigar rebus vilioribus quam ego ſim; ſive quam ſint operationes Dei in me ſtatui meo decentiſſimæ & convenientiſſimæ: nimirum ſi ad ea quæ inferioris ſunt naturæ me dejiciam, aut ea ad me uſque devehere coner, aut vero eorum gratia operationibus Dei in mente divinioribus injiciam moram, aut his renuntiem ut inferioribus, quaſi ea præſtarent, locum concedam: ut ſi, exempli cauſa, dedo animum & affectus divitiis metalliſque, ſi curæ ſenſualis maſſæ mox perituræ, ſi vanis rumoribus cogitationibuſve de me caſſis & ineſficacibus, ſi denique Mens quæ inter lutoſa ad momentum eſt conſtituta, ut probetur an Deo præ his adhærere malit, atque adeo ab his ſeparari, niſi quatenus neceſſario quibuſdam utendum, eaque ad Deum referri poſſunt & debent; ſi, inquam, illa nihilominus iſtis ſeſe immiſceat divino in mente opere poſtpoſito. In iſtis quanta imperfectio & quantum culpanda! cum peſſime ſic confundantur quæ Deus optime ſeparavit atque etiam natura diſtinxit. Ordinatius cælum terræ, aqua igni, pretioſa ſordibus, omniaque à ſuis vinculis diſſoluta omnibus miſcerentur, quam Mentis cogitationes luto ſubjiciantur, eoque occupari, penetrari & repleri velint. Quare non immerito eæ ubi hoc fit, ab impuritate, diſſolutione, ſordibuſque, ſordidæ, impuræ & diſſolutæ denominantur. Uti è contra, actus quibus quæque res ſeponitur cum iis ejuſdem ſtatus, in ſuo gradu & uſu recte diſponi & ſanciri cenſentur, & à puritate atque ſanctitate recte nomina ſortiuntur: ſiquidem voces Sanctitatis, ſancti, & ſimiles, deſignent ſtatum ſive commercium rei cum iis rebus quæ non ſunt ea indignæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

§. D.

2. 3. 4. *Dei Sanctitas, quæ? Demonſtratur. Declaratur in Creaturis viis oppoſitis. Ad juſtitiam referenda.*

II. Hæcce me juvant ut concipiam quid per Attributum Sanctitatis Deo relatum ſignificari intelligendum ſit. Nempe facile adverto nil aliud eo ſignificari poſſe, niſi quod Deus ſit ab omni eo ſeparatus quod vile eſt, vel indignum ipſius Natura, aut ejus placito, aut ejus opere: imo ab omni eo quod plane non reſolvitur in ipſum. Nam omne quod eſt non-Deus eſt Deo indignum. Et quamvis opus Dei non ſit ipſe Deus, Deus tamen in illo ad ſe recurrit, eſtque illic omnia: ideo eſt opus Dei, quia Deus illic videt ſeipſum volentem, operantem, omnia. Deus à ſe abeſt nunquam, in re, in placito, in opere ullo; omnia ab illo, per illum, ad illum; à quovis alio principio, motivo, ſcopo, actione, re, alienus eſt; nulla re indiget; omne quod plane ab eo eſt alienum, & cujus omnia non reſolvuntur in Deum unum, excludit. Ergo ſi vult aliquid, vult ſe ipſum, vult ſuum placitum, ſui repræſentationem in illâ re: vult ipſe ſibi occurrere. Is ipſe in ſe per adorandam generationem & ſui ſecum communionem ſe ipſum quærit: Is idem extra ſe in rerum umbratilem productionem, & ſui cum illis communionem, ſeipſum quoque quærit, ſive id quærit, quod ipſum in principio, medio, fine, omnibus, referens, tandem in ſe ſolum, quem unice intendit, omne & totum reſolvatur. Alioqui nil Deo dignum quocum communicet invenire eſt.

III. Atque hæc eſt Dei *Sanctitas* Deo eſſentialis & in eo concipienda, facillime quidem ſi nullas creaturas exiſtere ſupponamus; evidenter quoque poſitis creaturis. Nam quicquid ſit, Conceptus Entis perfectiſſimi, ſufficientiſſimi, quod ſibi eſt omnia, eſt conceptus entis nil præter ſe vel quærere, vel invenire potentis quod non ſit ipſe vel ipſius. Ergo exiſtente, ut ſic dicam, malo, quod à Deo non eſt, nec Deum refert, ſed potius eum, quantum in ſe eſt, negat, oſtendet Deus ſe ab eo, omnique impuritate, eſſe quammaxime alienum, tum quos amat, ſive in quibus ſui ipſius amorem & repræſentationem, vel ſeipſum, amat, à malo præſervando; tum deſerendo & puniendo eos qui id voluerint & habuerint. Sicque in utriſque Sanctus declarabitur viis oppoſitis.

IV. Ex his pateſcit, Sanctitatem Dei ad ejus Juſtitiam eſſe referendam: nec conceptum quem de Sanctitate habemus à conceptu de Juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tia differre, niſi quod conceptus Sanctitatis habeatur cum oppoſitione ſpecialiori ad ſpecialiorem peccati notionem, Juſtitiæ vero juxta cum oppoſitione generaliori ad quodcunque indecens quod fingi poſſit. Sed de hiſce diſceptare haud juſtum eſſet.

Caput XXIV.

(23) INFINITAS.

§. A.

1. *Mens augmenti capax eſt limitata, non habito reſpectu ad ſpatia.*

I. QUas hactenus de Cogitatione mea obſervationes habui, utcunque particulariores, recolens, redeo ad generaliores, quibus haſce concludam animadverſiones, quarum prima numero viceſimo ſecundo recenſita eſt, nullas in me perfectiones eſſe quæ novos augmenti gradus, eoſque indefinitos, recipere non poſſint, hoc eſt, quæ magis magiſque perfectæ non poſſint fieri. Non equidem concipio eas magis prope eſſentiam Dei quam ſint, vel, abſolute loquendo, quam ipſum etiam nihil ſit, poſſe accedere, nam infinite ab hac diſtant omnia: Sed tamen eam magis minuſve adumbrare vel repræſentare pro placito Dei poſſunt. Quare inde concludo Cogitationis meæ perfectiones limitibus quibuſdam circumſcribi, ſiquidem augmentum nil aliud ſit quam rei limitatæ, ſive ejus limitum, ulterior extenſio. Nec tamen hic loquor de extenſione ſpatioſa, ſpatiorumque limitibus: ſtultum eſſet ea menti, ejuſque cognitioni, judiciis, amori, &c. tribuere; Sed, ut dictum, de limitibus perfectionum ſive realitatum naturæ cogitationis meæ convenientium. Nil hic obſervo quod non antea paſſim cum evidentia viderim.

§. D.

2. *Deus poſitive Infinitus.* 3. *Non ſpatii extenſione, ſed Cogitationis perfectione.* 4. *Infinitum ſufficienter concipitur.* 5. *De repræſentatione infiniti.* 6. *Quæ requirit Deum exiſtentem.*

II. De Deo non poſſum ſimiles habere conceptus, in cujus quippe idea nullæ ſunt perfectiones quæ prorſus completæ non ſint, atque infinitæ habendæ poſitivo modo, hoc eſt, non tantum quoniam nulli de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

eis limites ſunt noti, ſed etiam quod eas nullos habere, nec quidem poſſe habere, verum pleniſſimam poſſidere abundantiam quæ ab hominibus & à Deo concipi poſſit, quæque nulli additamento intelligibili locum relinquat, poſitivis rationibus convincamur. Et hoc ipſum ſine ratiocinatione in conceptu Entis ſummi, perfectiſſimi, Meræ Cogitationis, immediate habetur.

III. Atque hoc eſt quod per Divinam *Infinitatem* intelligendum venit, non vero craſſum aliquod phantaſma quale in ſcholis ſæpius imaginati ſunt, Infinitatem videlicet ſpatioſæ extenſionis, quam, ad modum Divinæ præſentiæ explicandum, abſurde protruſerunt, necnon tanquam rem veritatis inconcuſſæ in medium attulerunt ut aliquid repellerent quod ſuæ fictioni videbatur obſtare. Nempe cum à nonnullis dictum fuiſſet mundi extenſionem ita eſſe concipiendam ut nulli limites ei præſcribantur, objecerunt illi, ſic mundo tribui Infinitatem, quæ tamen ſoli Deo competat, poni abſurde mundum eſſe infinitum, cum ſolus Deus ſit talis, quem negare eſt ſi alius infinitus dicatur. En cogitationes Infinitatem Dei valde decentes! Quid enim? An Immenſitas Divina eadem eſt quæ Infinitas ſpatioſæ extenſionis, qualem iſti mundo tribui (etſi, non infinitus, ſed indefinitus ab aliis dicatur,) conqueruntur? Id certe cogitant, ſiquidem conquerantur mundo tribui quod ſoli Deo proprium eſt, dum putant mundum ſtatui infinite extenſum. Abſurda hæc de Deo figmenta alibi profligata ſunt. Falſum eſt, mundo, quamvis extenſione infinitus diceretur (qui non dicitur, ut neque hac de re determinate judicari poteſt) tribui Infinitatem Dei. Mundi Infinitas, ſi quæ eſſet, eſſet natura ab Infinitate Divina diverſiſſimæ, multas quippe imperfectiones involvens, quales in extenſione omni reperiri non ignorat ullus, adeoque eſſet infinitas non abſoluta, ſed aliquo reſpectu, eoque finitæ perfectionis, extenſionis nempe. Cum econtra, Divina Infinitas abſoluta ſit, omnes Imperfectiones excludat, quippe quæ ſit Infinitas Cogitationis, Infinitas Intelligentiæ, Infinitas Dominii, Bonitatis, Potentiæ, Sapientiæ, Conſtantiæ, & uno verbo, Omnium & Singulorum Attributorum, quorum quodlibet infinitum dicitur, quia nulla realitas & perfectio ab illo abeſt, ſed unumquodque & omnia ſunt una & eadem maxima & perfectiſſima realitas. Quomodo ad Simplicitatem reducimur. Hæc igitur eſt vera, ſolique Deo propria Infinitas: de qua memorabilia Auguſtini in Confeſſionibus ([a]) verba exſtant inter alia, quæ non poſſum non huc referre. *Anima mea fecerat ſibi Deum per infinita ſpatia locorum omnium, & eum putaverat eſſe Te, & eum*

Auguſtin. Confeſſ. Libr. VII. cap. 14.

eum collocaverat in corde ſuo, & facta erat rurſus templum idoli ſui abominandum tibi. Sed poſtea quam fovisti caput neſcientis, & clauſiſti oculos meos ne viderent vanitatem, ceſſavi de me paulalum, & conſopita eſt inſania mea. Et evigilavi in Te, & vidi Te infinitum aliter, & viſus iſte non à carne trahebatur.

IV. Nonnulli hic difficultates excitare tentarunt, ubi tamen nullæ ſunt, cum nil conceptu ſit facilius quam infinitum, utpote quod nos ponat extra periculum & metum ei tribuendi plus quam habeat, quod nullis limitibus obſcuretur perceptuque difficilius reddatur, denique omnes cogitationes ſimplicius cum acquieſcentia quam ullum aliud quid impleat. Nihilominus tamen dicunt de eo abſurde loqui, eo quod non capiatur ab intellectu noſtro, adeoque eſſe verba ſine mente: aut vero ſi capi dicatur, id eſſe contra notionem Infiniti ut capiatur à finito. Reſpondeo, quamvis non capiatur, non inde ſequi nullos plane de eo ſermones eſſe habendos, ſed tantum non debere de eo verba fieri veluti de re quæ caperetur aut capi poſſet. Deinde advertendum eſt, aliud eſſe cognitione adæquata Infinitum comprehendere, aliud vero concipere Infinitum inadæquate & obſcure quidem reſpectu cognitionis quam id ipſum de ſe habet, attamen ſatis clare & ſufficienter ad hoc, ut ſimus certi in illo eſſe complementum omnium perfectionum. Priori aſſertione limitibus caperetur Infinitum, nempe, ſi aſſereretur, Mentem creatam poſſe habere ejus conceptum ita exactum & plenum, videlicet conceptum Potentiæ infinitæ, Sapientiæ infinitæ, & ſic de cæteris, quemadmodum ipſum de ſe habet Infinitum. Sed ab hac abſurditate declinatur dum in ſenſu poſteriore affirmatur, humanam Mentem ſat noſcere Divinam Cogitationem ut judicet eam carere omni imperfectione, ſive, omni perfectione eſſe præditam, hoc eſt, infinitam eſſe; ſufficienter concipere ejus Potentiam, ut, etſi de objectis nil determinare poſſit, agnoſcat tamen ei nil reſiſtere poſſe, & ita de cæteris quæ in Deo animadverti poſſunt, quorum notitiæ in nobis ſatis ſunt claræ ut judicemus ea eſſe in Deo realiſſima, ſimpliciſſima, adeoque Infinita. Quod homines iſtos decepit duplex phantaſma fuit; primo attenderunt ad infinitatem ſpatii, ſecundo ne quidem intellectu, ſed imaginatione in hoc uſi ſunt: & cum imaginari non potuerint (ut nec vere poteſt) infinitum extenſione, hoc perperam ad Dei conceptum applicuerunt. Num igitur profitebuntur ſe non cognoſcere Deum ſine defectibus eſſe? ſed hoc eſt concipere Deum Infinitum.

V. Quæritur à nonnullis, An partem infiniti concipiam, an vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

totum infinitum? Reſpondeo, τὸ infinitum eſſe ſenſu allato, ut & ſimpliciſſimum eſſe, negat partes quaſcunque: adeoque abſurde quæritur, An partem infiniti concipiam? Concipiam-ne partem ubi eſt de eſſentia ejuſmodi conceptus nullas concipere partes? An igitur, inquies, totum concipis infinitum? An infinitum, ejus ratio & forma, infinitas, eſt in tuo intellectu, in conceptu, in cogitatione? Dico, nec infinitum ipſum, neque infinitas, ſunt in mea cogitatione & cognitione, ut neque etiam ullum aliud Dei attributum, alioqui cogitatio ſive cognitio mea eſſet Deus: Sed in illa ſunt talia delineamenta, tales tabulæ, umbratileſque deſignationes, è quibus percipio infinitum exiſtere Deum. neque eſt neceſſe ut delineamenta iſta in ſe poſſideant eaſdem perfectiones ejus quod repræſentant, alioque non jam tabulæ, ſed originale ipſum forent; ut neque dedecet infinitatem Divinam eo modo repræſentari qui non ſit perfectiſſimus: Sed contra, eam non deceret perfectiſſime repræſentari per rem à ſe ipſa diverſam, ſiquidem præter Deum ſic poneretur aliquid perfectiſſimi, hoc eſt, negaretur Deus, cum duo perfectiſſima ſe tollant, ut viſum eſt ubi de Unitate. Neque eſt quod dicas, hic quæri de infinito repræſentando perfectiſſime objectivo modo, non autem ſubjectivo, quæ duo non videntur ſeſe tollere in rebus diverſis: Nam hoc ultimum falſum eſt. Etenim quando agitur de rebus Cogitantibus, ſi dixero, hæc Cogitatio repræſentat perfectiſſime hanc Cogitationem perfectiſſimam & infinitam, idem eſt ac ſi dicerem, Hæc Cogitatio habet Cogitationem perfectiſſimam & infinitam perfectiſſime, ſive illam perfectiſſime cogitat, aut eſt perfectiſſime cogitans, hoc eſt, ipſamet eſt cogitatio infinita & perfectiſſima. Adeoque dari nequit perfecte objectiva repræſentatio ſive imago infiniti, niſi in ſubjecto infinito. hinc eſt quod Filius Dei, imago ſive repræſentatio objectiva Dei, ſit agnoſcendus Deus ſubjective, quia perfectiſſima ejus imago eſt. Non ita de mente noſtra, in qua præter umbras, mirabiles tamen, nil abſolute perfecti exſtat.

VI. Mirabiles inquam, nam certe fatendum eſt hic aliquid eſſe mirabile, & omnino, quicquid explicetur, ſtupendum: nempe à re minimula, & fere nulla, repræſentari infinitum, qualicunque modo id fiat, attamen modo infinitum non dedecenti. Quomodo res ulla (cogitatio mea) poſſit ſe ipſam, conditionem naturæ ſuæ, excedere? repræſentationes, ſive cogitationis variationes & modos habere excellentiores quam ſua ſit natura? An poteſt modificatio ulla excedere naturam ſubſtantiæ ſuæ? An poteſt ferrum, tale manens, modificationes

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quæ in corpore humano ſunt, admittere, aut aqua modos auri ſuſcipere, aut pulvis inſtar maſſæ ingentiſſimæ modificari? Qui igitur Cogitatio finita habebit cogitationem ſive modum cogitandi natura ſua excellentiorem? Certe mirabilis & incomprehenſibilis hujus effectus cauſa extra meam naturam aſſignanda eſt plane mirabilis, ſtupenda, extra ordinem rerum creatarum, incomprehenſibilis, hoc eſt, exiſtens Deus, qui, ut Sanctus, ſe ipſum quærens, vult ſe etiam ut infinitum & incomprehenſibilem depictum invenire; quique, ut juſtus, operari vult modo Ens Infinitum & incomprehenſibile decenti, adeoque modo qui non capi poſſit & ſit maxime mirabilis. Si hæc mirabilia & in impiis operetur Deus, (hi enim ideam hancce Dei habent) quæ demum ſtupenda illa erunt quæ in ſanctis ab illo poſita, magiſque in poſterum ponenda, nullam cum illis, quæ in exteris ſunt, patientur comparationem?

CAPUT XXV.

(24) IMMORTALITAS.

§. A.

1. *Anima, ſi Deus vellet, ad nihilum devenire poſſet.* 2. *Ex quibus demonſtranda ſit animæ immortalitas.* 3. *Mortis ſignificationes generaliores. Anima non moritur ut corpus.* 4. *Ea quadruplici ſenſu mortalis, imo, mortua dici poteſt.* 5. *De modis Mentis, an ceſſaturi? De ſubſtantia Mentis quæſtio præcipua, Num Deo placuerit eam tantum durare donec corpus diſſolvatur?* 6. *Id ſine revelatione ſolvi poteſt.* 7. *Corporis menti uniti diſſolutio non infert Mentis annihilationem.* 8. *Nodus præcipuus de Animæ immortalitate. Solvitur eadem de cauſa qua allegabatur.* 9. *Animæ immortalitatis demonſtrationes primariæ ex Dei attributis.* 10. *Ex Juſtitia.* 11. *Ex Conſtantia.* 12. *Ex Sapientia.* 13. *Ex vindicativa Juſtitia.* 14. *Ex Sanctitate.* 15. 16. *Ex veracitate.* 17. 18. 19. 20. *De ſtatu Animarum poſt mortem.*

I. NOn modo gradus poſſibiles in mei augmentum percipio, verumetiam in mei decrementum, ita ut realitatis meæ qualiſcunque gradus vel quidam, vel omnes, paulatim, vel etiam ſimul, poſſint diminuere ad ipſum uſque nihil, ut Cogitatio, ſive Mens mea, in abſolutum nihil, quale olim fuit, evaneſcat. Nolim equidem aſſerere Mentem in hoc rerum ſtatu perituram eſſe, ſive mortalem eſſe: dico tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tantum me percipere, quod ſi Deo placuiſſet eam cum hac conditione creare ut ad certum tempus exiſteret, poſtea vero ceſſaret eſſe, id fuiſſet futurum. Etenim, cum ego non ſim opus mei, non pendet à me ut plus vel minus in me ſit exiſtentiæ quam vellem, ſed qualia meo Fictori placuit de hocce ſtatuere ſunt mihi expectanda: quæ quidem, ſi aliter ac nunc voluiſſet, per breve ſtetiſſent tempus; perpetua tamen non poſſunt non eſſe, quatenus quod Deo placuit, non poteſt non ad eum modum eventum ſortiri, quem de placito ſuo circa durationem mentis imperituram evidentiſſime ipſis Mentibus teſtatus eſt.

II. Non forte ludetur opera, ſi coner hic inquirere & brevibus exponere rationes è quibus Mentis humanæ Immortalitas evincatur. Eæ autem ex conſideratione naturæ Mentis, quæ ipſa Cogitatio eſt, & quorumdam Dei attributorum ſunt deducendæ. Verum, & ratio habenda eſt vocis *Mors* ſive mortalis, quæ plures ſignificationes admittit. Et ſic perſpicue habebitur quicquid hac de re eſt concludendum.

III. Mors in genere, ſenſu ſimpliciori, tanquam aliqua ceſſatio intelligitur, atque diminutio exiſtentiæ; & referri poteſt vel ad ſubſtantiam, vel ad ejus modos; ad eoque, ad extenſam ſubſtantiam ejuſve modos, vel ad cogitantem ſubſtantiam, aut modos ejus: quæ quadruplicem mortis ſignificationem pariunt, quarum quælibet forte ſubdiviſionibus plurimis, quas omitto, multiplicari poteſt. (De compoſito ex pluribus ſubſtantiis, quarum ſeparatio etiam mors dicitur, non opus eſt ut hic agatur.) Jam, quoniam ſubſtantia extenſa cum ejus modis, à Mente ejuſque modis cogitandi realiter eſt diſtincta, quis non videt nullum ſupereſſe locum huic dubitationi vel quæſtioni, An mens ſit mortalis eo ſenſu quo corpus mortale eſt? Equidem nullam ullius corpuſculi ſubſtantiam ſive extenſionem annihilari conſtat: Sed quamvis ſupponeretur, omne corpus eſſe mortale quoad ſubſtantiam ſuam, hoc eſt, omne extenſum aliquando ceſſaturum, quid hoc ad mentem? An illa quoque hoc ipſo eo ſenſu moreretur, hoc eſt, deſineret eſſe extenſa? Abſurdum. Quomodo illa ceſſabit id eſſe quod ab illa alienum ſemper fuit? Ita etiam de morte quæ modos corporis certos qui ante aderant ceſſare facit, eſt judicandum. Cum corpora illa, quæ generari proprie dicuntur, in particulas reſolvuntur, quæ alias figuras, alios motus, aliam ſtructuram habent quam antea, cum eorum organa corruunt, partes ſeu ſenſibiles, ſive inſenſibiles, ſeparantur, diſperguntur in auras tenues, miſcentur cum terra, cum aquis, quibuſcum alia, vapores,

vapores, lutum, gramen, inſecta, &c. componunt; tunc mori dicuntur, quia modi priores, quibus omnia iſta erant coagmentata & ſuſtentata in uno Syſtemate, ceſſant. An per hoc ipſum, & hoc ſenſu Mens erit mortalis, ſive an depoſitura eſt priores quas habuerit figuras, motus, particularum coagmentationem, ſitum, & per partes aliis modis figuratas, motas, diſpoſitas, cum aëre vel aqua vel terra miſcebitur, atque cum illis quædam corpora componet? Quam inepte de hoc quæreretur, num Mens ſit depoſitura modos quos habuit nunquam, nec per naturam ſuam habere poteſt! Opuſne eſt ut dicatur expreſſe, non eſſe Mentem mortalem eo ſenſu quo corpus mortale dicitur; & hoc argumentum tanquam egregium aliquod inventum, & valde memorabile, commendare? Equidem id argumenti genus neceſſarium reddiderunt craſſiſſima eorum præjudicia, qui Mentes inſtar corporum, aut tenuis portionis aëreæ, aut ignis, ſunt imaginati. Sed ſuffeciſſet illis oſtenſa mentis à corpore realis differentia, qua poſita, non videtur opus monere, unum alterius modos non poſſe deponere, hoc eſt, eo ſenſu *mori*.

IV. Sed ſi ad eam mortis ſignificationem veniamus quæ ad mentem relata, denotet quæri, An ejus cogitandi modi quidam vel omnes, vel ipſa Cogitatio, ſive Mentis ſubſtantia, exiſtere ceſſatura ſint? jam ad modum difficultatis propius accedetur, etſi non ſit par in iſtis omnibus difficultas. Nam quantum ad modos mentis quoſdam, cum non dubium ſit quin nonnulli ſint in mente ceſſaturi, & quotidie ad longiſſimam moram, imo nonnunquam ad perpetuum ceſſent, non dubitandum eſt quin mens mortalis dici queat eatenus, iſtorum quorumdam reſpectu. Itaque Mens mortalis, imo mortua dici poteſt, quatenus v. g. omnes cogitandi modos de rebus terreſtribus, vilibus, & ſordidis depoſuit: quæ ſanctorum mors eſt & vere grata Deo. Mors itidem omni menti à corpore ſeparatæ tribui poteſt, quatenus modis cogitandi qui fiunt per ſenſus externos, fame, ſiti, dolore corporeo, voluptate, quæ illa ex occaſione corporis percipiebat, ſpoliatur. Etiam nil prohibet cum mens deſtituta eſt modis cogitandi nobiliſſimis & excellentiſſimis, dotibus & perfectionibus ſuis maximis, contemplatione & amore Dei, eam appellare mortuam, & quidem majori jure quam corpus egregiis ſuis modis privatum, inepta & inutilis moles, putidumque cadaver redditum, dicitur mortuum. Hæc mors ſpiritualis & moralis dicitur, de qua ſæpe ſacri agunt Authores. Denique cum mens omnibus jucundis, ex quacunque occaſione provenerint, cogitandi modis exuta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

eſt omnino, quibus atri, horrendi, durandi, nulla lenitate nec ſpe intermixti, ſuccedunt, etiam mortem ſubire dicitur. Sed jam de his omnibus quæſtio non ſit præcipue.

V. Quæritur, an omnes modi cogitandi ceſſaturi ſint in mente creata, ita ut nulla ullo modo, quiſquis is ſit vel eſſe poſſit, amplius cogitet & percipiat? quæ dormitantium quorumdam opinio eſt, aſſerentium Mentem à ſeparatione corporis ita omnibus cogitationibus ſpoliari, atque ſic mortuam eſſe ad certum uſque tempus. Reſpondeo, quamdiu ipſa Mentis ſubſtantia actu remanere ſupponitur, concludendum eſt illam tamdiu cogitare actu, ſive eſſe conſciam: nam hæc eſt ipſa mentis natura & ſubſtantia, ut alibi demonſtratum eſt. Et quemadmodum corpus actu exiſtens non poteſt omnibus corporeis modis ſimul ſpoliari, ſed eſt neceſſe ut aliquibus ſit præditum; ſic non poteſt Mens ſive cogitatio exiſtere quæ non ſe aliquo modo habeat, ſive aliquo modo, quiſquis is ſit, cogitet. At ſi ſupponatur, quod Mentis ſubſtantia ſive Cogitatio radicalis ceſſet, hoc ipſo evidenter infertur, omnes cogitandi modos etiam deſinere: adeo ut tum hujus, tum totius rei difficultas in hanc quæſtionem reſolvatur, An ſubſtantia cogitans, ſive ipſa Mens, ſit exiſtere ceſſatura? De Potentia Dei abſoluta non eſt quæſtio, An Deus id poſſit abſolute loquendo? Sed de eo quod ſecundum Dei placitum eventurum eſt: An nempe Deo placuerit, ut Mens quæ cum corpore juncta eſt, eouſque duret, donec corpus diſſolvatur: quo facto ipſa ceſſet exiſtere?

VI. Hanc quæſtionem multi putant non poſſe ſolvi ſine revelatione Dei verbali, inter quos ſic Carteſius [a] *Quod additis ex diſtinctione animæ à corpore non ſequi ejus immortalitatem; quia nihilominus dici poteſt talis naturæ illam à Deo factam eſſe, ut ejus duratio ſimul cum duratione vitæ corporeæ finiatur, fateor à me refelli non poſſe*, &c. & poſtea, *Solius eſt Dei reſpondere*; & protinus ad revelationem recurrit. Ratio ejus eſt, *quia hæc pendent à Dei libera voluntate & decreto*. Sed ratio ea nil valet ad rem, ſiquidem etiam rerum eſſentiæ, ideæ, veritateſque à Dei libera voluntate pendeant, ut ipſe agnoſcit, & tamen de illis quamplurima, etiam futura, ut in phyſicis, ſine revelatione determinamus, vel potius ut determinata à Deo agnoſcimus, & enunciamus: quidni & idem de Mentis perpetua exiſtentia tentaturi? Profecto credibile non eſt, Deum, qui plurima, eaque minuta ſatis, in natura nobis patefecit, nos in natura celaſſe rem inter omnes maximi momenti, qualis nempe hæc eſt, ut nos nobis, ille nobis, omnia nobis, reſpective fiant vel nihil, vel omnia.

(a) Carteſ. Medit. in Reſponſionibus ſecundis. num. 7.

Quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Quin ipſa revelatio, quæ ingratitudinis redarguit eos qui ex operum Dei inſpectione ipſi gratias debitas non egerunt, convincit eo ipſo dari in natura teſtimonia de laudibus Deo bene & potenter in natura operanti debitis, adeoque de animæ immortalitate, quippe ob quam maximæ ei laudes debentur, cum ſit Divinum ejus Potentiæ opus in natura omnium continuandum, & multarum aliarum ejus operationum baſis. Quare ea teſtimonia quæremus, quibus oſtendit Deus Mentium exiſtentiam nequaquam eſſe deſituram, etſi diſſolvatur corpus.

VII. Teſtimonia ea vel ex Dei, vel ex ejus operum contemplatione exurgunt. Ad hæcce ultima referimus, quod ſic Deus de rebus diſpoſuerit, ut quamvis omnes quibus Mens jungi poteſt, deſtrui conciperentur, non tamen ſequatur neceſſario conceptus deſtructionis mentis. In creatis palàm eſt nil dari quod in mentem magis agat, & à quo Mens viciſſim plura patiatur, quam corpus Menti cuique proprium: adeo ut ſi ab alicujus deſtructione ſit metuenda ruina, miſſis rebus cæteris à nulla magis metuenda ſit quam à propria ruina domicilii quod ſuum quæque inhabitat Mens, cujus forſan caſu opprimatur. Sed hoc dubium ratione caret: nam, 1. Corpus, (ſubſtantia ignobilis & minus perfecta,) non annihilatur cum mens ab illo ſeparatur: cur igitur mens, (nobilior res atque perfectior,) putaretur annihilari cum illud ab hac ſeparatur? Nulla pro ſubſtantiæ corporeæ ab anima ſolutæ duratione poteſt allegari ratio, quæ non majori jure Menti competat. Quod ſi dixero ex ſenſibus conſtare corpus, remanere poſtquam anima illud reliquit, non autem ita de illa; id nec de omnibus corporis partibus quæ reſolvuntur verum eſt, nec perceptio ſenſuum tam firmum medium eſt probandi corporum exiſtentiam, quam rationes mox allegandæ ad Mentium immortalitatem ex perceptione attributorum Dei. 2. Corpus moritur, ſive mutat modos, Ergo ideo mens annihilanda; abſurdum fuerit ratiocinium. Neque enim ab uno ſubjecto ad aliud, natura diverſum, tranſit ſolum; (acſi dicerem, aqua evaporat, ergo & adamas qui in illa eſt, qui tamen magis cum natura aquæ convenit quam Mens cum natura corporis.) verum etiam prave concludit, cum ad ſummum concludi potuiſſet, etiam fieri mutationes modorum cogitandi in mente, cum in corporis modis ſimile quid accidat. 3. Cum Mentis cogitationes intimæ atque nobiliſſimæ à corpore non pendeant, neque id concurrat ad intellectionem, ad ratiocinia, ad contemplationem, ad amorem rerum ſpiritualium, aliaque, niſi quemadmodum compedes cum captivo ambulante concurrunt, ut in primo Libro viſum eſt, ſequitur

remoto corpore eas, adeoque nec mentem ipſam, minime tolli, ut neque captivum ſolutis catenis annihilari aut ambulandi facultate privari; ſed potius eas augeri & perfici, tuncque mentem maxime eſſe activam & vividam. Perierint licet facultatum iſtarum exercitia quæ medium corporeum poſtulabant, qualia ſunt quæ ſenſus externos, quæ dolorum corporeorum, voluptatumque, craſſam ſeriem concernunt, imo, ſi Supremo placet, facultates illæ ipſæ, ſive potentia hiſce modis, in poſterum percipiendi; Ideone Mens craſſamentis tortoribuſque ſic liberata, perire dicenda eſt? Certe majori jure corpus quod invulnerabile, quod inalterabile redderetur, quod ab iis, à quibus ei noceri poſſet, liberaretur, ipſum ideo perire & mori eſſet dicendum. Forte vero Mentis facultates nobiliores earumque exercitium à corporis debito ſtatu pendere inde ſuſpicaberis, quod in ſomno Mens videatur cum omni facultatum vigore abſorpta: quod tamen fieri non deberet, ſi à corpore ſemota vividis polleret facultatibus. nam cum in ſomno multis objectis corporeis ſit liberata, nonne, ſi independens eſſet à corpore, deberet tunc, ubi ſibi magis reſtituta, liberior eſſe? Reſpondeo, in ſomno Mentem à corpore non eſſe liberam, ſed ei bene junctam: Corpus autem ſive Spiritus animales, eorumque inſtrumenta, quibus Mens rigatur, cum non ſint tunc in eo ſtatu ut de eorum motibus, utpote extra vigiliam languidis, inconſtantibus, interruptis, evanidis, poſſit ſponte Mens diſponere; hinc inter dormiendum in mente vi conjunctionis adhuc durantis, excitari cogitationes languidas, interruptas, non ſpontaneas, evanidas, quæ vel fere nullæ, vel totæ abſorptæ fuiſſe videntur. Magis in ſomno gravatur Mens quam in vigilia. Catenæ tunc ita ingraveſcunt ut captivum non ſinant libere ambulare, ſed eum dejiciant. At ſi mens vel in ſomno, vel in quocunque alio ſtatu minus eſſet alligata corpori quam eſſe ſolet, non dubium eſt quin facultatum intellectualium exercitium ſolito nobilius & magis ſpontaneum eſſet habitura. Hinc in morbis qui Mentis cum corpore vinculum relaxant, interdum raptus nobiles, cogitationes ſublimes, & quæ occulta prius, detegentes. Et de magnæ Mentis viro (a) memoriæ proditum eſt, quod cum ejus corporis vires paulatim reſolverentur, is per aliquot menſes non niſi ſomniis inter dormiendum mere ſpeculativis & ratiocinationibus ſine abſurditate phantaſmatum ordinaria refertis, fruitus ſit, quæ pro ſignis diſſoſolutionis Mentis ſuæ à corporis conſortio ipſe, & vere quidem, eventu teſtante, habuit. An etiam ii qui Mentem eatenus à corporis conſortio ſubducunt, ut aſſueſcant puro intellectu ſine imaginatione uti, non habeant

(a) P. Paul. Servita Veneto. in ejus vita.

beant interdum in ſomno cogitationes quaſdam ſublimes, ſolidas, ſubtiles, novas notitias vel ratiocinia detegentes, quibus vel ex profeſſo inter vigilandum vix potuiſſent attingere; id expertis determinandum relinquitur. Huc igitur redeundum eſt, Mentis facultates excellentiores corporis caſu non impediri, nedum plane deleri. 4. Denique ſuſpicari nequeo quod corpus ipſum, vel ulla creatura, proprie poſſit eſſe cauſa mortis ſive annihilationis animæ: nam cum vita morti iſti oppoſita nil ſit niſi ſuſtentatio exiſtentiæ mentis, mors vero ceſſatio ab illa ſuſtentatione; id non poteſt deſinere ſuſtentare Mentem, ſive mortem ei inferre, quod eam non ſuſtentat: corpus autem ut olim non creavit, ita nec jam ſuſtentat mentem, neque, eadem de cauſa, ulla creatura; Ergo non poteſt eſſe cauſa ejus annihilationis, nec etiam ulla creatura, aut ullius creaturæ voluntas, poteſtas, actio. Deus igitur Creator & Conſervator ſic omnia diſpoſuit ut nulla de mentis immortalitate ſuſpicio juſta haberi poſſit. quod merito in rebus maxime neceſſariis pro affirmante argumento habendum eſt.

VIII. Forte ſic poſſit aliquis reputare: Quamvis corpus non ſit cauſa Mentem producens & ſuſtentans, imo quamvis neceſſarium nexum non habeat cum mente, nec abſolute ſit opus concipere mentem corpore concepto, nec mentis deſtructionem percepta corporis diſſolutione, uti nec mentis præſentiam concepta corporis præſentia: attamen quemadmodum nihilominus poſita corporis generatione placuit Deo mentem incipere exiſtere; ita quis ſcit, ſepoſita revelatione, num poſita corporis corruptione, placuerit Deo Mentem non amplius exiſtere, quamvis, ut dictum, conceptus poſitionis & deſtructionis Mentis, in conceptu generationis & deſtructionis corporis præciſe non involvatur, ut attendenti patet? Et hæc quidem eſt ultima dubitationis meta, ultra quam ire non datur. Cui ſufficeret reſpondere, allegata inſtantia & comparatione, utut adverſa videatur, vim noſtræ aſſertionis nequaquam infirmari, ſed potius corroborari: etenim, quemadmodum poſita corporis generatione non eo ipſo concipimus Mentem, quæ prius non fuit, idcirco exiſtere, neque hoc ideo affirmamus, ſed experientia & certiſſimis indiciis edocti, eam adeſſe judicamus: Sic poſita corporis deſtructione, quæ conceptum annihilationis Mentis antea exiſtentis non involvit, non putandum eſt Mentem deſinere eſſe, niſi certiſſimis experimentis & rationibus id conſtet; quæ cum deficiant, continuare priorem Mentis exiſtentiam judicandum eſt. Nam, qua ratione ſupponere non licet exiſtere quicquid nobis placet, niſi illud exiſtere certis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

convincamur rationibus, ſine quibus id in primo ſuo ſtatu, hoc eſt in nihilo, manere recte judicamus; eadem etiam adducimus ut non ſupponamus quicquid nobis lubet deſinere eſſe, niſi de hac ipſa rei annihilatione certa ratio & cauſa valida habeatur, ſine qua res in priori ſtatu, hoc eſt in exiſtentia qua ante fruebatur, manere judicanda eſt, niſi velimus ſine cauſa aliqua de re judicare contrarium ejus quod eam mox fuiſſe conſtat, hoc eſt, niſi libeat ſcientes errare.

IX. Sed ut omni diſceptationi & conflictui terminus ſit, jam dicam quomodo affirmative conſtet Deum velle, ut mens nulla exiſtere ceſſet. Hoc, ut dictum eſt, pendet à placito Dei. Placitum autem Dei præter revelationem extraordinariam (quæ prophetica eſt) etiam conſtat præcipue ex iis quæ in Mentis notitiis internis deſcripta ſunt, vel in illis fundantur. Ex quibus quia nil clarius, nil evidentius eſt notitia Divinorum attributorum, ut ex omnibus dictis conſtat, unde firmiſſime concludimus Deum ſic velle à nobis agnoſci; ita quoque ſi notitiæ attributi alicujus divini perſpicue jungatur conceptus attributi alicujus Mentem meam concernentis, (v. g. me amore debere ferri in Deum) quod negare non poſſim niſi obſcurando divinum attributum, eique tribuendo quæ id non decent, quæque id contumelia afficiunt; palam eſt eum de mente mea conceptum, ſive id mentis meæ attributum, pro veriſſimo & Deo grato, & ab eo ſtatuto atque decreto eſſe habendum. Certe firmius probandi medium in tota rerum univerſitate non novi quam illud quod ita in notitia attributorum Divinorum fundatur, ut nequeat negari quin hæc, non dico corruant, ſed contumelioſe traducantur: non quod ſit periculum pro attributis Dei: quicquid ſtatuant homines ea in ſe tuta ſunt: ſed ſi quod periculum eſt, id in noſtra de illis notitia eſt, quæ deturpari poſſet, iiſque falſitatibus obſcurari, quibus cognitionis Dei lumen nobis interciperetur. Illud autem certo accidit hoc in caſu. Nam aſſerta Animæ mortalitate, Dei Juſtitia, Conſtantia, Sapientia, Juſtitia retributiva ſive vindicativa, Sanctitas, Veracitas, Bonitas & Gloria, eo ipſo traducuntur, & percipiendæ proponuntur cum tali dedecore, quod ſine horrore illis attribui nec cogitari quidem poſſit. Ubi econtra, cum in ſuo decore contemplamur eorum ideas quas pro Dei placito habemus, infertur ab illis animæ Immortalitas, quæ ipſorum viciſſim notitiam quammaxime illuſtrat. Atque hæc ita patent.

X. (1) Ex Juſtitia Dei. Deus ex placito condidit mentem, quæ in ipſa ſua ſubſtantia Dei perfectiones aliquatenus adumbraret; dignum placiti & Potentiæ ſuæ opus; ac proinde, non annihilandum. Nam decet

eet Deum ſe ſtatuentem, ſe operantem approbare, proindeque ſuum ipſius verum opus non improbare. Gratis autem affirmarem Deum ſe ipſum ut ſtatuentem, utque operantem non probare, ſi putarem eum opus ſuum deſtruere, & ſe tanquam non bene acti, non bene conſulti, arguere. Nonne ſic cogitando decentia ſive Juſtitia Dei, à me impugnaretur? At, in mente invenitur malum, quod eſt non-opus Dei. Quid inde? Etiam mox videbitur ideo non debere Mentem annihilari. Sed jam ſuffecerit annotare, ipſam mentis ſubſtantiam malam non eſſe. Ipſa radicalis perceptio, conſcientiave, bona eſt, opus Dei eſt, & manſit: cur Deum eam improbare ſtatueres? Opus alienum, peccatum, concipe eum improbare, opere ſuo ſubſiſtente.

XI. (2) Ex conſtantia cum Juſtitia. Teneor de Ente Perfectiſſimo reputare, ipſum decere ut opera ſua quam realiſſimam, quantum experientia non reclamat, nec contrarium ratione evincitur, ſuæ conſtantiæ gerant imaginem. Ut concipiam quamdigniſſime, & modo decentiæ ſive Juſtitiæ Dei conveniente, Conſtantiam Dei, tenendum eſt Deum ipſam probare in ſe ipſo, in placito ſuo, & in ſuis operibus, ſive ſui tabulis & adumbrationibus: Ac proinde id quod in ejus operibus bonum eſt nec unquam quicquid accidat, malum fieri poteſt, (Subſtantia nempe rerum, & ſpecialiter Mentium, præciſo earum ſtatu, de quo non loquor, ſubſtantia inquam, rerum, ſemper opus Dei,) conſtanter remanere judicandum eſt. Contrarium ſtatui nequit niſi ab illo, qui quæ poſſent eſſe Conſtantiæ Divinæ imagines ipſe pro phantaſia ſua mutans, ac penitus è medio tollens, non vereretur jactare ſic ſuos conceptus Deo conſtantiſſime dignos eſſe.

XII. (3) Ex Sapientiæ notitia eadem Immortalitas evincitur. Sapientiam Dei in ſtatuendo & ponendo ea quæ extra ſe ſunt, quis dicat à me recte & decenter concipi, ſi ſtatuerem Deum ſubſtantiæ alicui ſimpliciori dediſſe facultatem ſimpliciorem, nobiliſſimam, ſpectabilem valde, omniumque quaſi baſin, quæ continuo ferme ad aliquid tendat, nec tamen hoc aliquid ſive ejus objectum, dandum eſſe, adeoque fruſtraneam & nullius uſus facultatem cum ejus inclinatione, à Deo factam eſſe? Quis Sapientiæ Dei tribuere audeat, eam donaſſe homines facultatibus videndi, eſuriendi, ſitiendi, amandi, &c. inclinationes ad objecta in illis poſuiſſe, ſed tamen nil viſibile, nil manducabile, nil potabile, nil amabile, quo illæ unquam, quicquid agant, fruantur, ponere voluiſſe? Quis non erubeſcat Sapientiam Divinam in agendo ſic calumniari? Et dederit illa facultatem realiſſimam & nobiliſſimam,

Deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

// Deſiderium Immortalitatis, ad objectum cum vehementia, fervore & conſtantia in omnibus inclinatam, (ſiquidem tam probi quam improbi, quorum hi in modo errantes, voluptuoſe craſſeque perpetuo velint verſari, omnes immortalitatem peroptent,) & tamen objecti poſſeſſionem, immortalitatem ipſam, nullo modo acquirendam propoſuerit, ſiquidem Mentes in nihilum ſit redacturus! Inepta hæc eſt impietas. Ne quis autem locus captioni relinquatur, cauſando, multos habere facultates regnandi, docendi, & alias, deſtitui tamen objectis, regno, diſcipulis, &c. notetur, hic quæſtionem eſſe, de re, de facultate, ejuſque inclinatione, quæ inter omnia creata ſunt ſimpliciſſima & communia; de objecto, non quod particulare ſit, quale à pluribus poſſideri non poteſt, non quod ſit naturæ ab optante diverſæ, quod externum, quod fictum, quod impoſſibile ſit dicendum: Sed econtra agi de objecto communi, quod eſt naturæ rei cogitantis, ſiquidem ſit ipſa cogitatio continuata; adeoque de objecto interno, vero, jamjam materialiter exſtante (nam eſt exiſtentia), ad cujus durationem Mens plena anhelat cupiditate.

(4) Præterea quis ſine horrore Sapientiam eandem ſecundum quam omnia diſpoſita ſunt, velit ita concipi, ut quæ diſpoſuerit Mentes probas noxis & crucibus ab impiis ita eſſe (quod ſæpe accidit) afficiendas, ut horrendo fine per deſtructionem corporis in nihilum eæ redigantur ab iſtis, qui poſtquam tranquille diu vixiſſent, dulcis vitæ terminum abſolute ultimum, diu ditatum, tandem ſimpliciter cum illis ſubeunt, in eundemque cum illis nihili ſtatum deveniant?

XIII. (5). Juſtitia vindex malarum mentium ſubſtantiam annihilari non poſtulat, ut ſuo loco dictum eſt: quin & negatur hujus Juſtitiæ conceptus verus, ſupponendo Deum, commiſſo peccato, peccatrices mentes in nihilum reducere, ſive eas non amplius ſuſtentare. Sic enim ſtatuitur de Deo, eum tacere, ſe gerere peccato admiſſo acſi nil plane factum, nil admiſſum eſſet; id enim eſt annihilare, ſe gerere acſi nil factum eſſet. Sic Deus non magis à malo cenſeretur alienus quam à nihilo: mentem peccare, ipſi idem eſſet ac lapidem viſu carere: atque perinde ipſi eſſet teſtari ſe ſui odium improbare, & aliquid in nihilo relinquere. Quæ omnia in notitias quas habemus de Deo impingunt.

XIV. (6) Sanctitas Divina, niſi Sanctarum probarumque Mentium immortalitatem confitear, non poteſt recte à me concipi. Nam qui Mentes Sanctas Dei amantes amicaſque, Deum in omnibus repræſentantes, aſſeram deſtruendas à Deo illo qui ſe ipſum, ſuum placitum,

ſuam

ſuam imaginem in omnibus quærit & probat? Cui, niſi ſanctitatis amoriſque Divini oſori & inimico, tribuenda eſt voluntas deſtruendi ſimul cum mentibus puris eam quam amplexantur & fovent ſanctitatem & dilectionem Dei? Hoc atrocius eſt, quam ut Deo eſſe applicandum cogitetur.

XV. (7) Etiam ex veracitate Dei animæ immortalitatem concludo. Deus impreſſit in mente mea evidentiſſimam immortalitatis ideam: propoſuit illam tanquam ſcopum acquiſitu poſſibilem: poſitive illuc inclinat Mentem: omnia, quam diligentiſſime fieri poteſt, cum circumſpiciuntur, nova de immortalitatis certitudine teſtimonia (quæ præceſſerunt) in operibus Dei deteguntur. Qui optime ſuis facultatibus utuntur, omnibus perſpectis non poſſunt non eo ſponte & ſine indifferentia deduci ut de animorum immortalitate perſuadeantur: imo ipſi impii cum craſſis objectis quocunque modo valedicentes ſpiritualia intuentur, omnibus latibulis perreptatis, futuri ſtatus conſcii ita ſunt, ut nullis argutiis & conſiderationibus eam conſcientiam poſſint deponere. Niſi hæc omnia à Deo ſint, niſi ſint ejus placiti teſtimonia, inſculptaque de futuro ſtatu promiſſa, dic, quæſo, quænam apta erunt voluntatem Dei teſtandi? Ecquis neget iis, quibus poſitive, potenter & inevitabiliter inducimur ad aliquid affirmandum, Dei operationibus in mente noſtra clariſſime perſpectis, quis, inquam, his neget non reſpondere eventum, niſi improbus veracitatis Divinæ calumniator, ejuſque notitiæ in Mente deletor? Ergo, quam verum eſt homines à contumelia in Deum debere abſtinere, tam verum eſt eos convinci Mentes creatas eſſe ex placito Divino clare mentibus ipſis inſculpto *Immortales*. Quod nullo probabili argumento vel negabatur vel in dubium revocabatur, ſed nullis, ineptis, impiis de cauſis. Si quis vero vult ſine multis ratiocinationibus de hac veritate ſecure perſuaderi, is caveat tantum ſibi ab ea morte quæ ſpiritualis initio dicta eſt. Alioqui non adeo mirum eſt, ſi mali ut mortem æternam declinent, in nihilum relabi peroptent, & ex conſuetudine, juſto Dei judicio occæcati, id futurum nonnulli ſibi perſuadeant.

XVI. Plures demonſtrationes, ut quæ ex Bonitate & Gloria Dei (de qua ultima ſpecialius nil adhuc dictum eſt) ſolide poſſunt deduci, prætermittimus; cum ex dictis ſufficienter pateſcat veritas hujus Propoſitionis, Mens humana nunquam exiſtere ceſſabit. Quod aſſertum non opponitur priori ab initio à me allato, nempe, Si Deus abſolute voluiſſet res aliter diſponere, ſuaque attributa alio in me modo adumbrare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nil ex parte mei obſtitiſſet quominus in nihilum poſſem relabi eo me ſuſtentare deſinente. Quod autem jam id non futurum ſit, id non ſit vi naturæ meæ, quo ſenſu anima mea non eſt dicenda immortalis ex natura ſua, ſed vi voluntatis Dei, qui ſolus, ut mox dicendum ,eſt ex vi naturæ ſuæ Immortalis.

XVII. De ſtatu Mentis à corpore ſolutæ, (ut hic nonnihil dicatur de eo) nil præciſe & ſpecialius determinari poteſt, quia hoc à placito Dei non omnino manifeſtato pendet. Interim ejus idea generalior poteſt haberi, ſi præter id quod mutari conſtat nulla alia ſubita & violenta mutatio accidere ſupponatur, hoc eſt, nulla talis mutatio, quæ fiat de ſtatu contrario in contrarium: ſed omnia putentur in præcipuo ſuo ſtatu, quantum fieri poſſe concipitur, remanere; atque in eo per habitus intellectus & voluntatis magis magiſque radicari, &, quæ ſtatus mentium regula eſt, robore morum & conſuetudinum gradibus indefinite augeri. Non eſt quod in concipiendo Mentis immortalis à corpore ſolutæ ſtatu, à binis hiſce regulis, quas hîc veras eſſe conſtat, quæque ſine cauſa, imo falſo, alibi aſſererentur mutari, recedatur. Igitur Primo, putandum eſt Mentes à corporibus ſolutas, ſiquidem ſolutæ ſint, & cum illis nullum nexum amplius habeant, nullas etiam amplius habere perceptiones ex illis quæ immediate ſive directe excitantur in nobis per organa corporea ſine quibus nunquam perciperentur: adeoque Mentes, quamdiu corpus non reſumunt, perceptionibus ſenſuum externorum viſus, auditus, aliorum, eorumque adeo objectorum, item voluptatum aut dolorum corporeorum omnino deſtitui. Quapropter proprie dici nequit, Animas à corpore ſeparatas igne neſcio quo torqueri. Nam quamvis dolor, etiam corporeus, non ſit niſi in Mente, ignisque corporeus, ſic diſponente Deo, doloroſæ perceptionis occaſionem dare poſſit, ut bene obſervavit Author Artis Cogitandi,hoc tamen fieri in Mentibus corpore ſolutis nequit ſupponi, (a) ut ſit ab illo, niſi deſtruatur eo ipſo hypotheſis, quod Mentes illæ ſint corpore ſolutæ. Si enim cenſeantur per mortem à corpore mentem ſenſibus ſubjiciente ſeparari, cenſeri non poſſunt igne tartareo aliove corporeo torqueri: nam ad hoc ſupponendum eſt eas cuidam corpori manere unitas, vel de novo uniri (ipſi ſaltem igni), quod cum ex natura non pateat, non ſine divini placiti patefactione eſt affirmandum.

(a) Ars cogitandi Part. I. cap. VIII.

XVIII. Secundo, eſt ex iiſdem regulis quod cogitemus, eas mentes quæ in corporea vita corporeis præter neceſſitatem nexus à Deo cum ſuis corporibus inſtituti, adhæſerunt; ita ut principium ex quo corporeis

reis applicatæ ſunt, fuerit ſpontanea cogitatio qua ſe præter neceſſitatem lubentes excitabant ad terreſtria cogitanda, quærenda, amplectenda, cumulanda, ut illic delectarentur; quæque aſſueverunt ob horum præſentiam aut abſentiam amore, ſpe, odio, ira, angore, percelli & abripi; eſt, inquam, quod cogitemus mentes eas hoſce habitus, non obſtante nexus cum corporeis diſſolutione, retenturas, ſiquidem ii non à neceſſitate ejus nexus, ſed à mente ipſa ſponte orti ſint, ibidemque ſponte radicati. Et cum Mentes iſtæ plerumque ſoleant eſſe habitualiter ignorantes, adeoque tales ſint etiam remanſuræ; cum phantaſmatibus illæ ſuis firmiter infixis, quorum objectis non amplius tunc frui dabitur, indeſinenter ſint vexandæ; cum ſuis illæ paſſionibus, quibus conſueverunt ob optatorum defectum ſeſe torquere, ſint percellendæ & diſcerpendæ, quanta hujus immortalis ſtatus miſeria eſt reputanda!

XIX. Tertio, habemus ex iiſdem, Mentes eas quæ in hac Vita intellectum ſuum cum affectu applicuerunt ſcientiis & Cognitionibus de corporeis & terreſtribus, ut in Phyſicis, Mathematicis, Hiſtoricis pleriſque, & ejuſmodi aliis; vel de Divinis, ut in Theologicis, in iis quæ circa Religionem, in ſtudio ſcripturæ litterali, &c. acquirendis, quæque in his cum ſui amore, delectatione, ſatisfactione, ſuperbia & exiſtimatione verſantur, quærendo, lætando, deliciando, ſe tantas, tam doctas, ſubtiles, & ſpirituales eſſe & haberi; aut ſi non tales ab aliis habeantur, vel etiam à ſe, non invenientes quod in ſuæ ſcientiæ & præſtantiæ idea acquieſcant ut vellent, dolendo ſuffocatæ ira, angore, odio: tales intelligimus poſt ſeparationem ſui à corpore evadere in Mentes Diabolicas, ſeu Diabolicis ſimiles: Nam Mens pura, id eſt, corpore ſoluta, intelligens, docta, & ſuperba, de actibus paſſionibuſque ſuis ſecundum exiſtimationem ſui ſpiritualem diſponens, Diabolica Mens eſt. Hic eſt ſcientiarum, earumque quæ de Diviniſſimis & Spiritualiſſimis tractant, ubi ſine humilitate & abnegatione ſui poſſidentur à quoquam, certiſſimus eventus. Noli igitur ſuperbia elevari, ſed time. Non aliud ex ſcientia evidentiori ſequetur, niſi importuna Magnitudinis Boni abſentis moneta, ac mali lapſuſque ingentis clara & non reclamanda convictio, ex habitu amoris proprii (principio peſſimo & Deo non grato) perpetuos cogitationum laniatus reverberans.

XX. Sequitur & inde ultimo, Mentes quarum ſtatus & habitus ante ſuam à corpore diſſolutionem is fuerit, ut terreſtribus præter neceſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſitatem non adhæſerint, ſed iis ſubductæ fuerint, ſe ipſas omniaque prætermiſerint ut Deum contemplarentur, amarent, in eo acquieſcerent, non ob ſui utilitatem, ſed quia ſic Deo placet; quæque doluerint ſe alio olim inclinatas fuiſſe, ſiquidem id Deo diſpliceat; & eas pravas inclinationes penitus delere omni opere conatæ fuerint; fore poſt relictum cadaver, à vanis maliſque non amplius inquietandas, ſed à Dei notitia & amore habitualiter & conſtanter abſorbendas. Nam ſtatus fundamentalis ut malus in aliis, ita & bonus in his conſtans manet perſeveratque. Et quamvis dum ſolutio Mentis à corpore fiebat, labor ille quem deſudabat Mens in eliminandis & delendis malarum inclinationum minimis plicis notiſque ultimis, atque in acquirenda habituum ſanctiſſimorum Divinæ ſui Deo in omnibus traditionis perfectione, non fuerit adhucdum plane ad ultimas metas abſolutus; attamen ſiquidem principium conſtans atque exercitatum averſationis à vanitate, & applicationis ad Deum unum, manet alta mente repoſtum, fixum, penetrans fundum animæ, ſeſe ſemper offerens, ſemper gratum; ſolutione facta, remotis tentationum obſtaculis quæ imperfectiones involuntarias fovebant, delebuntur brevi facileque ſi qua manent priſcæ veſtigia fraudis, & obtinebitur ſcopus ad quem unice collimatum fuit. De iis quæ ubi corpora reſumentur accident, conſulenda eſt Divina revelatio, unum cognoſcendi in his principium. At illa ſic de præcipuis bonis, *Quod erimus nondum patefactum eſt.*

§. D.

21. *Deus eſt Immortalis ſenſu nobiliori quam ſit Anima, ſibique ſoli proprio.*

XXI. Quicquid de *Immortalitate* Dei poſt hæc dicendum eſt; cum per ſe pateat; verbo annotare ſufficiet. Nempe non modo Deum non eſſe mortalem concipio, ſed ne quidem eſſe immortalem eo ſenſu quo Mentem immortalem dixi. Non diminuentur ullæ Dei perfectiones ullo modo, multo minus eo qui ad nihilum abſolutum redigat. Sed nec ſi illæ à diminutione manent immunes, tales manent vi & placito alieno, ut de Mentis immortalitate dictum eſt; verum ex virtute & præſtantia propria decrementi ſunt incapaces, quippe quæ ſint perfectiſſimæ, ſibi ſufficientiſſimæ, & à ſe ipſis. Poſſe minui, etſi actus diminutionis ſequi numquam deberet, eſt nota dependentiæ ab alio qui pro placito plus minuſve realitatis queat largiri; aut etiam nota eſt contrarietatis & repu-

pu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

pugnantiæ internæ inter principia aliquid componentia, quæ ſeſe paulatim niſi id impediretur, labefactarent, quæ omnia ab Ente ſimpliciſſimo quamlongiſſime ſunt removenda. Deus igitur ut cætera, ſic Immortalitatem eo habet ſenſu qui nulli præter ipſum ſolum eſt tribuendus. Quomodo inter ejus propria attributa Immortalitas recenſenda eſt.

CAPUT XXVI.

(25) GLORIA.

§. A.

1. *Gloriæ Mentis de ſe occaſio nulla.* 2. *Probatur id ex vano Mentis de ſe phantaſmate.* 3. *Ex conſideratione operantis Dei.* 4. *Ex conſideratione operis ipſius in genere.* 5. *Ex conſideratione operis quatenus id eſt cogitans.*

I. VEnio ad ultimam qua numerum ſuperiorum de Mente mea obſervationum clauſi, conſiderationem: videlicet, omnibus hiſce viſis mentis meæ imperfectionibus quibuſcunque, perfectionumque dependentia omnimoda ex alterius placito, nil eſſe cur adeo de me ipſo bene opiner, mihique memet conſpiciendum & ſpectandum ſiſtam.

II. Nolim dicere ſilentio vel cogitatione eſſe prætereunda, aut etiam contemnenda Dei in nobis dona atque opera, vel cæterum falſa humilitatis affectatione neganda & diſſimulanda eſſe. Mendacio locus dandus non eſt, nec operationes & imagines Dei ſunt improbandæ ubicunque ſint, illi qui juſtitiam amat. Sed accidit plerumque ut homines ſua (quæ à Deo ſunt) bona conſiderantes, (non enim loquor de illis qui ob mala ſua efferuntur.) accidit inquam ut reflectentes ad opera Dei in ſeſe, inſtar ejus quod fit in omni reflexione in qua quis ſe quaſi à ſe ipſo diverſum & à ſe alterum ſpectat, ſic ſe ipſos tanquam ab operibus Dei in ſe diverſos conſiderent, adeoque ſui ideam phantaſticam, ab opere Dei diſtinctam (quæ revera nihil eſt, ſiquidem omne non-opus Dei ſit nihil) contemplantes, ad ipſam ea bona referant, acſi hæc illis eſſet digna præ aliis quas quiſque alius ſibi de ſe format phantaſticis ejuſmodi ſui ideis, & acſi magis apta ad illa dona quam alii ſint, fuiſſet. Sic vanum quiſque ſui ſpectrum ex Dei donis æſtimat, laudat, inflat; gaudet illam ſui ideam, quam contradiſtincte ad Dei dona contem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

platur, pluribus ornari dotibus quam aliorum de ſeipſis phantaſmata. Et hoc eſt gloria interna, ridiculum exoſæ Deo ſuperbiæ fundamentum atque cor.

III. Certe ſi in me multa, & ea quidem utcunque egregia Dei dona & opera ſint, ad quæ contemplando reflectere velim, eaque ut in me poſita conſiderare; quicquid pro me, pro illo ſubjecto in quo opera illa eſſent ſupponere poſſem, convincor id nil poſſe aliud eſſe quam unum ex illis ipſis operibus Dei quod ipſe omnium primum ex mera liberalitate liberrimi ſui placiti ſtatuerit, poſuerit, ſuſtentaverit; huicque tanquam baſi alia itidem ex mera voluntatis libertate quot quantaque placuit, impoſuerit: adeo ut ſi quæratur, quare hoc ſit poſitum, eique illud, & iſtud, aliudque, ſuperadditum? nil vere aſſignari poſſit quam Dei placitum & operatio: Deo videlicet pro arbitrio placuiſſe hoc primum operari, ſtatuere nexum hujus primi cum altero, & hoc alterum ex libertate eſſe operatum, & ſic deinceps opus operi ob ſolum ſuum placitum addidiſſe. Ergo ſi poſitionis alicujus realitatis cauſa eſt alleganda, probanda, de ea gaudendum, gloriandum, præter voluntarium Dei placitum, præter bonam Dei erga me alioſque voluntatem, nil omnino occurrit quod proferam. quare in hoc ſolo eſt gloriandum, & gaudendum hoc unicum eſſe in omnibus omnia, præter quod ſit nihil, & ſic ad Deum in omnibus reflexionibus eſt tendendum.

IV. Opus, umbratile opus, non neceſſarium opus, non eſt quid abſolutum ſed relatum, & relatum ad operantem, ad operantem ſolidum, ad ſolidiſſimi operantis liberum placitum. Quicquid realitatis ego ſum, & in me eſt, continuo tale opus eſt umbratile & non neceſſarium. Ergo in illius conſideratione non debet vel minima cogitatione ad ipſum, vel ad aliquod phantaſma non operans omnia ex placito, non-Deum, fieri terminus, eique, acſi ſolidum quid eſſet, adhæreri, ipſum ut ipſummet probare approbatione in illud ipſum terminata, & ab aliis velle id probari: niſi libeat ſic Deum omnium originem & exemplar atque finem, tollere, negare, eique abſurdum nihilum ſubſtituere. Nec etiam decet me de aliis aliter quam de me, modo jam demonſtrato, cogitare, nam ipſi, & omnia, præter occaſiones laudandi & probandi Deum ſolum ex bonitate omnia operantem, à ſe, ad ſe, & per ſe ſunt, non opus, non umbra, non accidentarium quid; ſed abſolutum nihil.

V. Deus operatus eſt in me, & operatus eſt me & multa alia; ſed &, quod de multis non fecit, cogitantem & conſcium me fecit, non ut ſimpliciter

pliciter eſſem cogitans, non ob operationem illam, hoc eſt, ut illa eſſet id quod eſt, nam & de brutiſſimis ſimile dici poſſet, & creatura eſſet ſcopus ſui: adeoque nec etiam ut eſſem conſcius mei, ut conſcientia mea ſciret ſe eſſe, conſcia eſſet de ſe terminative, ut ſic dicam: nam nec habeo mei ſolius ideam, neque illi perceptio acquieſcentiæ ſive termini mei juncta eſt: Sed cogitans factus ſum ut eſſem conſcius operationis Divinæ, ut perciperem operationem quæ in me eſt eſſe à Deo, hoc ſcirem, cogitarem, in hoc acquieſcerem, gauderem, gloriarer. Neque cogitationis, idearum nobiliſſimarum, facultatumque ejus, excellentiorem uſum rationemque aſſignare datur. Et quod præter Dei in me operantis conſcientiam, is ipſe Deus me utcunque conſcium de quibusdam aliis reddidit, cum aliorum ideas mihi dedit, ſive notificavit mihi ſe in aliis operari, & efficere ut glorientur illi in ipſo agnito; Id mihi oſtendit, non ut ego cæterorum ſim ſolum conſcius (quod eſt ſcientiæ vanæ) eoſve laudem: ſed ut ego ſim conſcius & læter, & glorier quod Deus ſit & habeatur ab aliis ut exiſtens omnia in omnibus.

§. D.

6. Gloria Deo eſſentialis. 7. Gloria relativa Dei in creaturis. Gloria quomodo datur Deo. Deus cur glorificandus & laudandus.

VI. Sed cum Deus ad ſe ipſum reflectens & ſe ipſum, quantum concipi poteſt ut à ſe ipſo differens, contemplatur, ſit ille ipſe unus ſibi uni obvius, ſibique omnia, ſibi ſuæ perfectiones omnes indiviſim; cumque eorum quæ in ſe ſunt approbans exiſtat, non poteſt non ad ſe ipſum approbationem exiſtimationemque perfectiſſimam proprie referre, & primo atque ultimo terminare. Et hæc vera eſt *Gloria Dei*, Deo eſſentialis, ut à ſe, ad ſe, per ſe perfectiones ſuas, ſe ipſum, conſideret, approbet, bonum de ſe ipſo ſibi teſtimonium habeat, bonamque ſui ipſius de ſe conſcientiam.

VII. Concipitur gloria in Deo quæ non niſi mediantibus ejus placito atque effectibus eum reſpicit: nempe percipimus Deum omne ſuum placitum & opus approbare, æſtimare, & ad ſe ipſum, ut ad exemplar & authorem ſcopumque referre. Hoc ſenſu dicitur Deus omnia ad gloriam ſuam ſtatuiſſe, nempe ut eſſent umbræ & imagines quibus repræſentaretur Deus ut ſe ipſum approbans, ut exiſtens omnia. Quare etiam hæc gloria dicitur eſſe in creaturis objective, & creaturas, vel brutiſſimas, gloriam dare Deo. Quod autem ſpecialior quædam gloria à mentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tibus Sanctis Deo tribui dicatur, eodem recidit, nam hæc gloria eſt opus Dei in mentibus illis, neque putandum eſt aliquam Dei gloriam à Creatura, ut à ſe ipſa, poſſe procedere: Deus ipſe efficit illam ſui gloriam in illis & per illas, ſive ſe glorioſum reddit in illis, & creat illas (beneficio ſingulari) ad gloriam ſuam. Ipſe ponit ſui in illis delineationes excellentiores, & efficit ut Mentes tum ad Dei naturam glorioſam intelligendam & amandam ſponte dirigantur, tum ut Divini placiti opus in ſe ipſis fieri ſinant, & illud ut glorioſiſſimi Dei effectum & tabulam conſiderent. quomodo ſic vere omnia per ſanctos fiunt ad gloriam Dei. Sed interim advertatur, ut dictum, Naturæ Dei hanc Gloriam non eſſe eſſentialem, quippe quæ, ſi Deus voluiſſet nil à ſe diverſum velle, non exſtitiſſet: nil autem concipi poteſt ſuperaddi poſſe ab ullo, nequidem à Deo, Divinæ Naturæ ut ei eſſentiale. Non magnificentior illa & ornatior in ſe redditur. omne hoc in placitum Dei ſic debet refundi, ut ſi effecerit ſuæ gloriæ imagines in mentibus, ſique illæ Deum laudent, non ſit cogitandum hoc ideo eſſe quod eo opus habeat, idve illi ſit neceſſe: Sed ideo vult in ſuis glorioſus adumbrari, & illi in hoc ſummo fervore debent ferri, quia Illi gratioſe placuit ut hoc vellet ita eſſe. Gloria verbalis, loqui, canere, &c. quam ſtupide multi pro vera Dei (imo & ſui) gloria amplectuntur, hic, ubi de cogitatione ſola agitur, locum non habet; atque cum ſola eſt, fumus & mendacium meretur dici.

CAPUT XXVII.

CONCLUSIO hujus PARTIS.

§. 1. *Reflexio ad præcedentia.* 2. *Attributorum Divinorum diſtributio generalior.* 3. *Specialior.* 4. *Via facilior ad ea cognoſcenda.* 5. 6. *Hic non hærendum, ſed ad notitiam infuſam tendendum.* 7. *Remoto obſtaculo, nempe malo, de quo poſtea tractabitur.*

I. HÆc ſunt quæ de Mente creata & de Deo dicenda erant, poſt quæ operæ erit pretium ſi ad conceptum Simplicitatis Dei recurſus fiat, ne nimia cogitationum multitudine diſſipetur Mens. Cæterum ſuffecerit Attributorum Divinorum generaliorem ideam hic propoſuiſſe, vel ſaltem id conatum fuiſſe, quæ ſit inſtar fundamenti vel potius areæ in qua quæ aliunde ex ratione circa hæc occurrent ſpecialiora, vel quæ ex his ipſis deducentur, poſſint cum majori facilitate diſponi:

nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nam forte vix aliquid de hiſce rebus oſtendi poterit, quod non poſſit per hæc ſatis commode illuſtrari. Quare etiam omnes quæ de hiſce ab aliis habentur opiniones, difficultates, controverſiæ, non recenſitæ ſunt, ſiquidem una veritatis præſentia ſe ipſa ſufficiat diſpellendis quibuſvis nebulis, abſque ulteriori apparatu.

II. Jam ſi conſuetudinis ergo poſtuletur attributorum Divinorum diſtributio, & dictis ſat patet eam eſſe omnium primam & utiliſſimam, quæ eſt attributorum ratione Naturæ ſive Eſſentiæ, ut Intelligentia, Altitudo, Infinitas, &c. & attributorum ratione Placiti, ut cognitio, Indifferentia, &c. Imo ſub quolibet ferme attributo, vel potius attributi nomine, latet iſta diſtributio, ut ſæpiſſime ſuis in locis fuit notatum: ſed quod vulgo neglectum, confuſum, permiſtum, non parum obfuit claritati facilitatique conceptuum de hiſce.

III. Quodſi memoriæ cauſa, ut facilius attributa Divina certo ordine enarrentur, ſpecialiores eorum petantur diſtributiones, vix aliæ dari poterunt, quàm quæ ex occaſione rerum à Deo diverſarum deſumentur. Inter quas præter illam quam quiſque ex occaſione ſuæ cogitationis, ut obſervatum eſt, deſumere valet, ſequentem adhibere licet. Attributa Divina concipi poſſunt, vel ex occaſione univerſitatis rerum in genere, quæ univerſitas cum ſit una, variata, cujus membra ſibi invicem communicent, magna, cui tamen addi poteſt, nec tota comprehendatur: hic de Deo cogitari datur, *Unitas*, *Simplicitas*, *Bonitas*, *Altitudo*, *Infinitas*, *Incomprehenſibilitas*; vel ex ſpecialiori conſideratione rerum, quarum ſi ſpectes exiſtentiam quoad ejus principium, inde *Sufficientia*, *Potentia*; quoad ejus durationem, *Æternitas*, *Conſtantia*; quoad finem, *Immortalitas*, tanquam ex occaſionibus concipiuntur: Si rerum eſſentiam intuearis, & quidem in genere, ſeu res ſint cogitantes aut ſecus, futuræ necne, *Dominium*; ſi in ſpecie Eſſentiam rerum cogitantium naturamque earum ob oculos ponas, occurrent tibi de Deo, *Vita*, *Spiritualitas*, *Activitas*, *Intelligentia*, *Libertas*; Si earum naturæ ſtatum aut perfectionum gradus, *Cognitio*, *Impaſſibilitas*, *Felicitas*; ſi regimen, *Sapientia*, *Juſtitia*, *Veracitas*, *Sanctitas* & *Gloria*. quæ quidem omnia ſunt quæ in præcedentibus capitibus hactenus ſunt propoſita, etſi alio ordine. Modus quo attributa hæc occurrunt ex iſtis conſiderationibus, in ſex prioribus notatus eſt, in cæteris vero quia eſt facillimus, eſt prætermiſſus. Ut autem neminem moveat quod Intelligentia quam ut hypoſtaſin multi concipiunt, hic attributum appelletur, ſciatur animum non eſſe hic de rebus iſtiuſmodi diſputare, adeoque per attributum nil aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

hic ſignificari quam quicquid de Deo cogitari poteſt. Quod prius monendum erat.

IV. Ultimam hanc viam attributa Divina enarrandi & cognoſcendi poſtpoſuerim illi, quæ ab initio ex inſpectione ſolius Cogitationis eſt propoſita & poſtmodum adhibita. Nam ultima hæc ex rebus extraneis & ignotis & partim ex terminis ſcholaſticis, non cuivis perſpectis, non parum obſcuritatis contrahit: Prior vero, quam ſum ſecutus, ita naturalis, ita facilis eſt, ut nil evidentius faciliuſque in ſtatu naturali & diſcurſivo inveniri potuerit. Naturalis eſt, cum ſponte ſua ſine artis operoſæ adminiculo ſeſe cuilibet cogitationes, ordine fere eodem qui ſupra, ſiſtere poſſint, quales mihi de me occurrerunt ex quibus ad Deum recurri: eſt quoque maxime facilis, cum fundetur tum in quibuſdam perfectionibus quæ ſunt in nobis, vel quæ potius à nobis ipſis non differunt; cum, & quidem utplurimum, in detectione imperfectionum multarum nobis ita cognitarum, ut fieri nequeat, quin eas quiſque in ſe ſentiat, convincaturque eas eſſe revera imperfectiones, adeoque habeat ſtatim actualem ideam abſolutarum perfectionum eis oppoſitarum, hoc eſt, Dei ipſius. Non enim videtur poſſe aliquid tanquam imperfectum agnoſci, quin comparetur cum notitia perfectionis oppoſitæ, eo ipſo cognitæ, ut ante demonſtratum. Ergo cum & ipſæ Cogitationis imperfectiones adhibeantur ut inſerviant ad eum cognitionis de Deo gradum qui in præcedentibus expoſitus eſt, non videtur eſſe ulla Mens, utut imperfecta ſit, quæ ratione utens eouſque attingere non poſſit, quo acquiſito, ad ulteriora adſpiret: hic enim ultimus gradus non eſt, imo ne vix quidem initium.

V. Quapropter ne pernicioſa hic fiat confuſio, etiam atque etiam monitum velim, Dei cognitionem, cum ejus acquirendæ ratione, prout hucuſque tractata eſt, non proponi niſi ut naturalem, ut quæ ex principiis innatis, per rectam rationem, ſecundum veriores ratiocinandi leges, cuivis occurrere poteſt; ut ea maneat intemerata & intacta Dei notitia ineffabilis & longe perfectior, quam in ſtatu abnegationis & regenerationis infundit Spiritus Dei, ejus ſolus Doctor & diſtributor, quæ demum vere Theologica & Chriſtiana Dei cognitio appellari meretur, & priori non quidem contrariatur, ſed eam implet, vel potius abſorbet. Sed hodie non raro pro Cognitione Dei Theologica ea venditatur, quæ artibus obliquis acquiſita & obſcurata, & Scripturæ (ſi ea interdum adhibeatur) verbis ſine Spiritu & ratione perceptis incruſtata, ſit vel ipſa naturali, imo Ethnica, in multis deterior.

VI. Ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

VI. Ne igitur hic hæreas & pauſes. Ut quid tibi ſubſiſtendum in ea Dei cognitione quam Mentes perpetuo impuræ, infelices, Deoque exoſæ, acquirere, & etiamnum atque in poſterum poſſidere poſſint? Parum eſt quod ex Cogitationis tuæ & facultatum tuarum generaliorum qualicunque conſideratione ſuperficiarias de Deo cogitationes atque ratiocinia acquiras, ad quæ etiam ex imperfectionibus, imo ex illis quæ culpandæ ſunt, introduci poſſis, ut hactenus plerumque factum eſt, ex conſideratione Mentis, ſecundum primam ſuam definitionem, qua variabilis & limitata aſſerta eſt (lib. II. cap. VI.) conſideratæ. Dignius Deum cognoſces per tui in omnibus abnegationem: quam & nobilior ſequetur Notitia à Deo ſpeciali modo producta, cum nempe Deo in nobis miras ſuas operationes efficiente, iſtis perfectionibus tanquam Dei imaginibus & tabulis, licebit intueri, quæ quantaque ſit Archetypi & Authoris pulchritudo. Quo pervenies, ſi ſecundum alteram Mentis definitionem, quod hæc tendat amore intelligendi ad Deum, cum ſui ipſius deſpectu, progrediaris. Et hæc ſunt praxeos, non ratiocinationis. Sed (quæ tertia Dei cognoſcendi via eſt, juxta tertiam Mentis deſcriptionem) ubi abnegatio, &, ut ſic dicam, oblivio noſtri, atque Dei operatio, perfectæ ſunt futuræ, tunc perfecta erit Dei cognitio, multiplicitaſque conceptuum volatilium in unum ſolidum neſcio quid abſorbebitur, & velut perdetur, inſtar guttulæ cui torrens, cui fluvius, cui mare, ſuperadderentur, à quibus eſſet abſorpta. Et hoc tertium eſt ex genere eorum, in quibus homo, ut nihil activi ſeſe habens, facultatem de illis loquendi & ratiocinandi non habet: quæ proprie ineffabilia ſunt, & dici queant manna abſconditum, quod ſoli Sancti interdum hic guſtant; nomenque nulli niſi poſſeſſori notum; Ab inexpertis hæc non exſpectanda: cæci ſunt, etſi ſibi videre videantur. Si de his aliquid fando audire lubet, conſule Divinum & horum expertum Taulerum in omnibus ejus operibus.

VII. Quoniam autem in nobis univerſis exſtat obſtaculum quod Diviniſſimæ huic Dei Notitiæ ita opponitur, ut niſi illud removeatur, hanc non ſit nobis largiturus Deus, danda eſt opera ut hoc agatur, atque adeo ut quamprimum recte & evidenter agnoſcatur id obſtaculi (quod *malum* & *peccatum* appellatur) quo deinceps nullus ei aditus in Mente patefiat. Et hoc eſt quod in ſequenti Libro tractabitur. Hoc agnito, ſi Mens eo purgari peroptet conſtanter & ſincere, non dubium eſt quin Deus opitulatum veniat atque operatum, nec quin det ipſe quæcunque ad Diviniſſimam ſui Notitiam & fruitionem pertinent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

etiam nullo intercedente humano externoque diſcurſu: Etenim ſi creaturæ rebus externis undique circumſtrepentibus circumcinctæ, eiſque applicatæ, nimiſque occupatæ, malo peccatoque penetratæ, hoc nihilominus gratiæ præſtat Creator, ut in illo ſtatu copiam atque ideam ſui, quam deduximus, mirandam ſane, excitet, & magis magiſque promoveat, utendo vel ipſis rebus externis & imperfectis, literis, characteribus, ſonis, quæ nexum neceſſarium cum illo non habent, imo ipſiſmet imperfectionibus à quibus abhorret; multo magis cum illa iſtis erit libera & vacua ſolique Creatori dedita, Hic Illi Ideam ſui & Copiam per ſe, iſtis velis remotis, immediate impreſſurus & aucturus cenſendus eſt.

O Deus, quis Similis Tibi? Pſal. 71: 19.

Nullus plane eſt ſicut Tu, Domine. Jerem. x. 6.

LIBER QUARTUS

IN QUO

DE MALO ſive PECCATO AGITUR.

CAPUT I.

De iis quæ ad ſequentia ſunt prænotanda.

I. DE Realitate Summa, & de intermediis, præſertim vero cogitantibus, ſive de Deo & de creaturis, maxime de ſpiritualibus, hactenus dictum eſt. Sed cum hæ poſterioris generis malo ſint obnoxiæ, eoque nonnullæ, ſpecialiter vero omnes Mentes humanæ, interdum contaminentur, neceſſe eſt, ut rerum omnium in genere fundamentales notitiæ habeantur, de malo quædam meditari. Quare de eo in poſterum agetur, Deo juvante; Sed prius monita hæc animadvertantur.

II. Primo, ne malum culpæ, cujus natura, non vero ſequelæ, hic eſt proponenda, cum malo pœnæ confundatur, ſæpiſſime hic nomine peccati deſignabitur.

III. Secundo, ſcopus hic non eſt, ut cujuſvis cupiditati curioſiſque quæſtionibus ſatisfiat, quod ipſum à peccato non eſſet alienum: ſed tantum ut quilibet de peccatis propriis inquirere ſerio volens eo ducatur, ut Deo ſoli det gloriam agnoſcendo omnia realia eſſe ab ipſo; ſe ipſum vero, à quo nil reale eſt, deprimat uſque ad nihil; atque etiam ſe non modo ad nihil uſque deprimat, verum quoque ob malum admiſſum infra nihil ſeſe dejectum videat, ſentiat, odioſum & juxta inexcuſabilem habeat. Quæ tria certe apta ſunt ſatisfacere quantum hac in re poteſt requiri, cujuſvis conſcientiæ. Si quis autem de peccatis aliorum, velut infantum, ſpecialius inquirat, quia hoc non tam ad bonum eorum de quibus ſic quæritur, utpote qui diſciplinæ ſunt incapaces, quam ad curioſitatem quærentium poſtulatur, reſponſa aliunde exſpectet. De adultis non quidem quoad ſpecies, gradus, durationem peccati, ſed quoad ejus radicem, fundum, rationem, vel potius abſurditatem, quilibet hæc capiens, ex ſe ipſo, ſive ex ſui ipſius experientia, facile judica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

bit. Nam uno nequam agnito, cæteros omnes ejuſdem farinæ nullo labore noſcere licet.

IV. Tertio, Cum hic ſcholaſtico modo locum communem de peccato proponere non ſit animus, ſed tantum ea oſtendere quæ ex principiis Menti innatis, ut hactenus factum eſt, ſecundum recte rationis normam circa peccata quæ actuali modo admittuntur, poſſunt demonſtrari; non eſt quod ullus commoveatur ſi principia, ſi methodus, ſi nomina quæ eorum ſcriptis vulgantur, non ſint adhibita; ſi peccatorum definitiones communes, ſive veras, ſive falſas, ſi partitiones in peccata originis, imputationis, propagationis, habitus, & ſimiles, ſilentio prætereamus. Quæ de his ſimilibuſve ab aliis ſcripta ſunt, ſuis in locis relinquuntur, neque de illis quicquam hic vel negatur, vel quidem judicatur. Quodſi quis ſua in ſequentibus dogmata deſideret, nolim idcirco eum magis indignari, quam cum in ſcriptis Philoſophicis non invenit ſermones de myſterio Incarnationis aut Reſurrectionis. Nam Philoſophi iſta omittentes, eo quod ex principiis quibus utuntur non vident illa manare, non ideo negant eadem ex aliis principiis poſſe & inveniri & demonſtrari. Hic autem non utimur niſi principiis naturalibus; quanquam tamen ex illis ea poſſint deduci quibus cæteræ peccati ſpecies magis quam à multis credi poſſit, illuſtrentur. Sed hæc prætermittimus.

V. Ut autem, quod quartum eſt, in anteceſſum de iſtorum, quibus hic utimur, principiorum valore certior detur perſuaſio, velim adverti ea eſſe quæ non modo ad ſyntherеſin poſſint referri, ſuamque adeo ſecum certitudinem attendenti inculcent, verum etiam quæ à ſcriptis ſacris commendentur, dum his aſſeritur, legem in mentibus dari inſcriptam, principium diſcretionis boni & mali, homineſque ſecundum ejus tenorem eſſe judicandos.

VI. Denique velim ut ea mente teneantur quæ in Libro ſecundo, capitibus ſexto & octavo, item quæ in Tertio de Dei Dominio, de Bonitate, de Potentia, de Libertate, maxime Indifferentiæ, de Juſtitia, de Sanctitate, & de Gloria dicta ſunt: etenim in his ſequentium principia omnia continentur & probantur; & quidem ita, ut reliquus labor omnis in eorum diſpoſitione, concluſionum ex iis deductione, eorumque ad hoc negotium applicatione conſiſtat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT II.

I. *Generaliſſima notio peccati.* 2. 3. 4. 5. 6. *A peccato generalius ſubducuntur quæ ad illud non ſpectant, Deus, Dei placitum, Dei opus ut à Deo eſt, Abſolutum nihil, nihil exiſtentiæ, & nihil admixtum realitati, quatenus id à Deo eſt.* 7. *Non autem quatenus eſt ab homine.*

I. SEd ad majorem evidentiam, res ab ovo, ut ajunt, eſt exponenda. Principio itaque peccati generalior notio habenda eſt, etſi confuſior, ut ſaltem non neſciamus quid quæratur: neque abſurde petitur in anteceſſum generalior illius notitia, cujus ſpecialius natura inquirenda eſt. Eam autem recte deſumemus ex notione Juſtitiæ, oppoſitum ejus Mente percipientes, indecentiam videlicet, incongruitatem, repugnantiam in re ſecum, vel cum ſuo ſtatu. Quæ ſit illa res, quæ repugnantia in ea, ſingularius eſt detegendum.

II. Ut autem hic nihil alieni aſſumatur, nullum phantaſma quo errori locus dari poſſit, removeo quantum poſſum omnia, & quamminimum potero reſumam.

III. Primo igitur, omnia quæ poſſent non eſſe, ſuppono non eſſe, ſic apud me cogitans: Si Deus ita ſolus eſſet, ut præter illum, præter ejus Eſſentiam, ejus Naturæ veritates, nihil plane eſſet, non modo nulla res exiſtens, ſed & nulla eſſentia, nulla idea, nulla veritas ſtatuta, verum abſolutum omnium rerum, eſſentiarum, veritatum, idearum Nihil, (quod ſe ita habere potuiſſe ex dictis de Dominio Dei demonſtratum eſt) tunc non poſſet eſſe peccatum. Et hoc ſatis per ſe manifeſtum eſt, ſiquidem Natura Dei perfectiſſima eſt, ſibi convenientiſſima, concordantiſſima, unitiſſima ut ſic dicam; Neque eſſet ei incongruum & male conveniens eive contraveniret ut Una & Sola omnibus quibuſcunque abſolute excluſis, eſſet. (ex Dominio.) Quare concludo Divinam Eſſentiam ſive Naturam incapacem eſſe peccati; & præterea, abſolutum omnium rerum *nihil* non eſſe peccatum.

IV. Secundo, ſi Deus, (quem cum placito ſuo jam conſidero) ita ſolus eſſet, ut præter ejus placitum de rebus ſtatuendis, ponendis, gubernandis, nil eſſet, ſive, ſi res illæ nondum exiſterent, ſed, ut ante creationem, eſſent adhuc exiſtendæ; tunc nondum peccatum fore facile percipio. Peccatum ergo in placito inque conceptu Dei quæri non debet;

debet: nam qualecunque eſſet vel eſſe poſſet id Dei placitum, id tamen eſſet Deo dignum, (ex Juſtitia) & bonum, (ex Bonitate) Deuſque ſe in illo quæreret, (ex Sanctitate) adeoque eſſet illud Dei repræſentatio & imago, haberetque Deum pro principio, medio & ſcopo, quæ omnia optima, & ſecum in Deo convenientiſſima ſunt, adeoque peccatum non inferunt. Imo ne poſſibilitati quidem peccati dat ex ſe locum Dei placitum, ſic abſque opere externo conſideratum, quod quamdiu ita eſt, peccatum ne poteſt quidem exiſtere vel exiſtendum concipi. Dices, inde tamen haberi ſive concipi, peccatum poſſibile eſſe, adeoque conceptum ſive notionem ideamve peccati, à placito Dei eſſe deſumendam, abſque quo peccatum plane non eſſet, ne quidem potentia nec in conceptu. Reſpondeo primo, neque poſſibilitatem peccati, neque conceptum ſive notionem ejus, peccatum eſſe. Præterea, peccati notionem atque poſſibilitatem eſſe quidem eatenus à placito Dei quatenus ſi Deo non placuiſſet ullam rem ſtatuere faciendam, etiam peccatum eſſe & noſci non poſſet, velut ſi me non ſtatuiſſet eſſe, non à me peccatum committi & noſci potuiſſet: Sed hoc nihil aliud eſt quam dicere, poſſibilitatem ſubjecti in quo eſſe & noſci poteſt peccatum, à Dei placito eſſe deſumendam. At vero ipſa notio, idea, natura poſſibilitatis peccati non eſt à placito Dei, nec ideo quod res ſtatutæ ſint; ſed ab eo eſt, quod res, ſi quæ ſtatuantur, ex ſeſe & ſine interventu placiti Dei, ſint nihil ſolidum, nil ſubſiſtens, nil ſe conſervans, ſint non-Deus. quare ut deficiendi ſint capaces, non opus eſt placitum Dei poſitive intervenire. Hac ergo de cauſa & hoc ſenſu ſine placito Dei peccatum eſt poſſibile, ſive datur ejus poſſibilitatis conceptus, cujus ratio & cauſa non eſt placitum Dei.

Ex quibus evidenter eluceſcit, Deum ut Eſſentiarum, naturarum, formarum, veritatumque cauſa ſtatuens dicitur, (ex Dominio) non ita dici poſſe peccati formam eſſentiamque, (quæcunque ſit) ſtatuiſſe, nedum ejus exiſtentis cauſam efficientem eſſe: Nam cum efficere ſit vim & ſimulacrum placiti externo opere teſtari, quî id operabitur quod ne quidem ſtatuit? non autem ſtatuit quod ſe non deceat ſuumque opus. Objectum placiti eſt realitas & decentia. Quod placitum eſt, eo ipſo decens & bonum eſt. Quod nil perfectionis habet cauſam ſtatuentem non requirit, nec ſtatuitur, ſed linquitur, ut ſic dicam, intactum. Improprie itaque dicitur, Deum decernere ut fiant peccata, ut & improprie quoque, peccata eſſe contra placitum Dei: Nam quemadmodum Deus cum ejus placito, quanquam omnis realitas quæ in ſubjecto peccati ab ipſo pendeat, non tamen tangit ulla quæ in peccato ſunt, ſic neque ab illis

illis tangitur, nec ejus placitum per contrarium poſitive premitur, à quo evacuetur. Magis proprie dici poſſe putaverim, peccatum eſſe ſine placito Dei, ſinentis id fieri in ſubjectis iis quæ bene voluit ſtatuere, efficere, regere. Hoc de Deo cogitare indignum non eſt. Si quis culpæ conceptus in hoc involvatur, ejus rationem eſſe à ſubjecto peccati deſumendam, eique jure tribuendam, poſtea videbimus.

Ex his quoque evincitur, quod ſi quid ſit decretum nec tamen adhuc exiſtat, id peccatum non eſſe, ſive *nihil exiſtentiæ* non eſſe peccatum.

V. Hiſce tum de Deo ſolo, tum de Deo cum ejus placito conſiderationibus, tertiam adjungo quæ rerum decretarum exiſtentiam involvit. Nempe, ſi quæ Deo placuit ſtatuere, ita eſſent producta atque exiſterent, ut in illis nihil præterquam quod ſint placiti Divini opus, conſiderandum occurreret, ne tunc quidem ullum peccatum eatenus deprehendo. Non enim eſt incongruum, ſed è contra valde decens eſt ut placitum Dei Deumque decens, à Deo complementum ſortiatur. (ex Potentia.) Et res effecta non poteſt non eatenus eſſe perfecta, cum ſit effectus repræſentans Sapientiſſimam cauſam. Quare nullum Dei opus, nullas res exiſtentes & durantes peccatum eſſe concludo; ſeu omnes res ſint æque perfectæ, ſeu non ſint æque perfectæ; ſeu ſimul ponantur, ſive unæ poſt alias; imo etiamſi ſuas quæque perfectiones non adipiſcantur ſimul, ſed gradatim, v. g. ſi gradatim dentur & augeantur in corporibus quidem organa, moles, vires, in mentibus vero cognitio, ſcientia, prudentia, ſive etiam ſecus omnia ſimul darentur. Non eſt incongruum, nec ulli decentiæ contravenit ut ea ſive ſemel ſive per vices accipiant realitates, quæ à mera Creatoris nil cuiquam debentis liberalitate proficiſcuntur. Quare realitas admixta nihilo, hoc eſt, nondum adhuc eas adepta perfectiones quas in poſterum adeptura ſit, non infert ex ſeſe peccatum.

VI. Animadverto itaque Dei τὸ eſſe, placere, ſtatuere, velle, decernere, efficere, plane non tangere peccata: Deum non habere in ſe, in ſtatuto, in opere, aliquid poſitivi quod peccatum ullo modo attingat ſive illuc tendat. Blaſpheme contrarium aſſereretur. Peccatum eſt quid plane derelictum à Deo, qui non habet commercium in eſſe, in ſtatuendo, in agendo, niſi cum realitate & perfectione. Sive ergo Dei naturam ſolam ſpectem, ſive eam cum placito, ſive eam cum operibus, nullum peccatum eatenus, nullam peccati cauſam deprehendo: & tamen datur peccatum, & in me datur, & non eſt merum nihil, ſed aliquid habet, quodcunque ſit, quod inſtar formæ & eſſentiæ ſit. Non eſt quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

exiſtens, & tamen non eſt mere non-exiſtens. Non eſt placitum & opus Dei, ego ſum opus placiti Dei, & nihilominus habeo peccatum. Quomodo hæc incompoſita in congruum ordinem redigemus? At quî congruere poſſent, ſiquidem eſt de natura peccati ut ſit abſurdum & inordinatum? Interim tamen cum conceptus peccati non ſit peccatum, cumque abſurdi recta poſſit haberi cognitio, etſi forte non undique clariſſima, ſiquidem omnis abſurditas aliquid obſcuri involvat, tentabo eam qualitercunque adipiſci. Quapropter circumſpiciam me diligentius. Nam utut ex jam dictis collegero peccatum eſſe aliquod nihil, quod prave, indebite, indecenter, imitatur formam realitatis; eſſe non placitum, non opus Dei; eſſe placiti operationiſque Dei abſentiam in eo ſubjecto cujus omnis realitas eſt effectus placiti Dei; his tamen ſimilibuſve definitionibus non ſufficienter effecero, ut, (cæteris quæſtionibus prætermiſſis) ubi, unde, quid, quove modo exiſtat peccatum, quam clariſſime fieri poſſit percipiatur.

VII. Forſan vero id clarius confecero, ſi animadvertens peccatum non eſſe Ens ſeorſim conſideratum, neque eſſe *nihil* ſeorſim ſpectatum, ſuſpicatus fuero id in mixtione utriuſque eſſe deprehendendum. Nam quid, & ubi, & unde præterea eſſet? Atqui mox vidi realitatem admixtam nihilo peccatum non involvere. Sed eſto. Mixtio iſta quatenus à Deo eſt facta, vere recteque facta ſit, cum potentiſſimum Ens poſſit revera in nihilo realitatem ponere, ſi velit: Attamen ſi mixtio iſta fiat indebite, nempe ab Ente impotente, à me qui nihil ex me ſum, ſi videlicet tentem nihilo interponere realitatem, ſive Entitatem quandam, nonne hoc pro abſurdo & malo habendum erit? Certe hic aliquid ſubeſt ejus quod quærimus. At quia iſta hoc modo valde abſtracta ſunt, terminique non uſitati, ſatius eſt ea ut ſunt in ſubjecto quod corpore & Mente conſtat, conſiderare, & verbis quantum fieri poteſt vulgaribus exprimere; quam perſequi modo nec ſatis intelligibili, nec ob abſtractionem, fixo ſatis. Entis igitur & nihili generaliores conſiderationes prætermitto, ut aſſumam quid determinatius.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT III.

1. 2. 3. 4. Quid ſpecialius à peccato ſit ſubducendum (1) in Corpore. 5. (2) In ſenſibus & paſſionibus. 6. 7. 8. (3) in Mente. Mentis materiale & formale, error, facultates, habitus, actus, ignorantia, notitia, ſpontaneitas, ut ad illud ſe habeant? Non eſt explicita Dei rejectio. 9. Peccati ſpecialior deſignatio. 10. ad illud reflexio non requiritur.

I. CONCIPIO Deum & nihil, me vero quaſi inter utrumque, quatenus à me ipſo plane nihil, quatenus autem à Dei placito, aliquid, quod nec ſit, nec habeat omnia. Intuebor itaque tum realitates quaſdam quas poſſideo, tum quarumdam quæ mihi deſunt abſentiam, ut ſciam quid ſit in his non modo ſubjectum proprium ſed & formale peccati. Et poſſet id quidem ſolam Mentem, ut hactenus factum eſt, contemplando, breviori via abſolvi, quæ veritatis præſentia errorem depelleret: at quoniam multi plurimis, iiſque ſolitis impediuntur ambagibus, in quas ex conſuetudine recidunt, non advertentes eas veris principiis repugnare niſi de hoc expreſſe moneantur; cum etiam nihil communius ſit illo ſuperſtitionis principio, quo juſtitia vel peccatum in rebus extenſis corporeiſque, in mole, in motibus quæratur, & præcipue collocetur; corpus juxta cum mente inſpiciendum reſumam, ſiquidem conſtem ex utroque.

II. Corporis mei naturam quod concernit, non poſſum eam in ſuſpicionem peccati adducere ſi eam in genere, quatenus cum aliis communis eſt, extenſa eſt, diviſibilis, mobilis, mota, quieſcens, &c. conſidero: nam eatenus merum opus Dei eſt, & brutum opus, quale ne ſubjectum quidem eſſe peccati, indubium eſt. In peccatum quoque non imputari debet abſentia quarumdam realitatum, ut quod non habeat omnes partes, omnem molem, omnes motus, &c. poſſibiles, quorum abſentia eſt merum nihil. Hæc ad omnia corpora debent extendi: nam ex uno poteſt hic tuto inductio fieri.

III. Corpus quoque qua humanum eſt, certa mole donatum, alia carens, certis figuris, motibus, humoribus, temperamentis præditum, certiſque deſtitutum, peccati culpam non infert. Si quæ de ejus motibus vel humoribus eſt difficultas, facile elevabitur. Omnis quippe corporis motus, ejuſque gradus, varietas, determinatio, ſunt opus Solius

Potentiæ Divinæ; eorumque poſitio nec ab hominis, nec ab Angeli, nec ab ullius creaturæ vi accedit; quod ex Dei Potentia demonſtratur. Atque hîc expreſſe ad motus determinationem omnem pronunciatum extendo, omnis quippe non à me, ſed à Deo eſt: & quamvis mihi videantur quamplurimæ motuum corporis mei determinationes à me eſſe, quoniam fiunt cum interventu meæ voluntatis, attamen rem penitius inſpiciendo nulla apparet neceſſaria connexio inter mentis voluntatem de movendo membro, quod fit per effluxum Spirituum animalium (quos illa ignorare poteſt) in tubulos & canales incognitos, ad certa receptacula, (quæ etiam non novit,) & de quibus nil cogitat:) & inter effectuum horumce executionem. Quomodo unum vi exiſtentiæ ſuæ alterius exiſtentiam inferret, cum utrumque ſe ipſum ne ponat quidem, neque cum altero conveniat eſſentia, cum unum ſit cogitationis, alterum extenſionis modus? Sed & experientia conſtat non pendere à nobis, ut ſpiritus animales, principium motuum, in quam vellemus corporis partem determinemus, alioqui morbos, vitam, mortem, ſuo quiſque ſibi arbitrio diſpenſaret. Pleniorem hujus deductionem demonſtrationemque fere palpandam alicubi (a) exhibuit Lud. Forgeus. Hic hæc eſt Veritas: Omnia iſta eſſe à Deo agente, movente, determinante motum, etſi ex occaſione & interventu cogitationis Spontaneæ, ut dictum eſt, ubi de Potentia. Quare nullum in his præciſe eſt peccatum, cum ſint operationes Dei. Præterea iidem motus communes ſunt probis cum improbis, quare ſi in illis eſſet peccatum, in utriſque eſſet, cum nulla in motu eſſet diverſitas: interimens beſtiam & interimens hominem, aſſumens ſua & apprehendens aliena, & ſic de cæteris, quo ad corpus ſimiliter moti, ſimiliter peccarent. Denique quotquot rationis uſu non pollent, vel ob ſomnum, vel ob morbum, aliamve cauſam naturalem, ob irregulares motus non ſolent culpari. Quicquid de corpore vel motibus ejus in relatione ad peccatum dici poteſt, illud eſt, nempe, iſta peccati vel occaſiones, vel inſtrumenta, vel notas & ſigna eſſe poſſe, ipſa ſcriptura teſte: adeoque corpus & omnia quæ circa illud ſunt, quæque in ejus ſenſuum organa incurrunt, vanitati & peccato ſubjici, non culpa ſua, ſed culpa ſubjicientis: quare in ſubjiciente, qui ſane corpus non eſt, quærenda eſt culpa, ſive malum ipſum. Abſurdè in objecto quod eſt occaſio mali-conſtituitur malum, nam & lex bona nonnunquam eſt mali occaſio: abſurde in inſtrumentis, abſurde in ſignis. Ridicule intemperantiæ v.g. turpitudinem vino, aut pateris, aut doliis, aut ſuſpenſæ adſcribes hederæ: homicidii, gladio: falſitatis, verbis: ſuper-

(a) Ludov. de la Forge in Tractatu de Mente Hum. cap. XVI.

ſuperbiæ, veſtibus aut geſtibus, &c. Ultra cortices hoſce penetrandum eſt, neque in apparentibus hærendum. Vide in quibus ſcriptura homicidia, calumnias, furta, aliaque conſiſtere dicat. Oppones forte fructus cujuſdam vetiti eſum à parentibus primis commiſſum pro peccato haberi. Atqui non motus, non manducatio ipſum peccatum erat, ſed ſignum peccati prius in mente admiſſi, quod etiam ſine comeſtione æque peccatum, etſi latens, fuiſſet.

IV. De humoribus quoque & temperamento corporis idem agnoſcere licet: nam ſi hæc à cogitatione ſemota conſideres, nihil aliud ſunt quam materiæ ſive ſanguinis modificationes & motiones. Quamvis autem diſponant Mentem ad triſtitiam, vel iram, vel ad affectus alios, attamen nec paſſiones iſtæ in ſua natura vitioſæ ſunt ut dicetur mox, nec, ſi vitioſæ eſſent, malum idcirco eſſet in humoribus: quemadmodum libellus nonnullus poteſt mentem ejus characteres perluſtrantem ad malum diſponere, neque tamen charta ejus vel atramentum ipſum peccatum fuerint. Ergo recte concludam, peccati naturam non eſſe in materia, nec in ullis quæ materiam concernunt, ſemota cogitatione creata. Quodſi illis juncta ſit cogitatio, tunc illa, remiſſis materialibus, ſola adeunda eſt.

V. Et quanquam non negaverim eſſe quaſdam in mente perceptiones quarum conſideratio à materiæ motibus non videtur diſſolvenda, quales ſunt perceptiones ſenſuum & affectuum ex diſpoſitione ſanguinis oriundæ, quidam item corporis motus qui à cogitatione ſpontanea non ſeparandi ſunt, (quibus de cauſis corpus aliquod meum appello): Attamen omnia illa non eſſe mala aſſero, quatenus vi conjunctionis mentis cum corpore oriuntur. Quibus in motibus intercedit Cogitatio ſpontanea, illis omiſſis, hæc, ut dictum eſt, conſideretur. Perceptiones quæ tanquam à corpore ad mentem promanantes, bonæ ſunt omnes, Deumque authorem habent. Non poteſt malum in corpore eſſe qua meum eſt, ſive, quia certe perceptiones in mente ex ejus motibus, & certi motus in eo ex mentis cogitatione pro Dei placito & ordinatione potenti præ aliis perceptionibus vel motibus oriuntur. De ſenſibus res evidentior fiet ſi hæc tria in illis occurrentia diſtincte ſeorſimque perpendero, primo motum, ſive occurſum tum objectorum in corporis organa, vel corporis in objecta, de quo jam actum; ſecundo principium, motivum, ſcopum, intentionem, conſenſum cogitationis creatæ in appropinquatione objectorum ad corpus, vel hujus ad illa, ut in ſe agant: & hoc proprie non ad ſenſum, ſed ad cogitationem ſponta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

neam, de qua poſtea, eſt referendum; tertium eſt, ipſe qui ex actione objectorum in corpus reſultat ſenſus, cujus extrema, titillatio & dolor, perperam à vulgo pro bono & malo habentur: cum tamen utrumque, & ipſa adeo dolorum tormenta extrema à Deo efficiantur ſapientiſſime & decentiſſime. Tot in paſſionibus conſiderari poſſunt, quorum ultimum, ipſam ſenſionem ſive perceptionem commotionis, quæ proprie paſſio eſt, non eſſe natura ſua malam, ex dictis ſequitur. Cæterum quod dixi mox de corpore & motibus, poſſe ea eſſe vel occaſiones, vel inſtrumenta vel ſigna peccati, id de hiſce, & de aliis in quibus adhuc dicam non conſiſtere peccatum, aſſeveratum eſſe reputandum eſt.

VI. Reſtat igitur ut Mentem meam ſine reſpectu ad corpus, in ſe ipſa, ſive quatenus ſum Cogitatio Spontanea, conſiderem. Certe ad id attendens quod alicubi *materiale* Cogitationis appellavi, nempe, Conſcium eſſe, vel percipere actu quæ in me ſunt, non poſſum eouſque quicquam mali reperire: hoc enim opus Dei eſt, nec ipſi improbi peccare ideo dicuntur, quod eorum quæ in ſe ſunt ſint conſcii, quæ ratio cum optimis quoque mentibus eſſet communis. Inter *formas* autem Cogitationis ſive Mentis quas ſupra (a) intuitus ſum, è quibus quaſdam magis, alias vero minus præcipuas animadverti; ſi in harum quibus carere poſſem, quales ſunt cogitare de rebus mere terreſtribus, ſpeculari naturas rerum materialium, ſcientias humanas, &c. ſi inquam in harum ſpeculatione ex ignorantia vel etiam errore deficerem, & ſi defectus vel privatio realitatis cujuſdam in mente mea hoc ipſo daretur, non tamen idcirco peccatum, ſed errorem commiſiſſe dicendus eſſem. Peccatum igitur jam ſpecialius quam ſupra factum ſit, deſignare licet, non quamvis indebitam realitatis cujuſcunque repræſentationem, non merum non-placitum & non-opus Dei, ſiquidem hæc ipſa ſint in errore quovis: ſed ad præcipuas & maxime proprias mentis formas redeundum eſt, quarum vel indebita imitatio, vel inordinatio, vel alius quis circa illas defectus, peccatum ſit. Eæ autem mentis formæ ſupra relatæ ſunt ad limitationem cum variatione; at tendentiam ad Ens aliud à Mente ipſa, nempe ad Ens Summum, ſive, quod idem eſt, ad repræſentationem alterius; & ad dependentiam ab illo: quæ omnia à Spontaneitate permeantur.

(a) Supra lib. 2. cap. VI.

VII. Sed ut in his cum minori confuſione agatur, ſingula ſeorſim reſumam. Ex eo quod cogitatio limitata ſit & variabilis, animadvertuntur in ea facultates, habitus, actus. Facultates percipiendi in poſterum

rum ea quæ nondum percipio. At illæ tametſi actus abſentiam involvant, non tamen ideo malum complectuntur, cum nec debuerint omnia menti ſimul ineſſe, nec vel ipſa quidem peccandi capacitas, (nolim dicere facultatem) quæ poſitiva non eſt, ſit peccaminoſa, ut mox notatum fuit. Ignorantia igitur ex hoc fundamento recte dicitur non eſſe peccatum, neque etiam parvulis in quibus viget illa in peccatum reputatur, uti neque ejus oppoſitum, videlicet notitia, conſtituit juſtitiam. Quod ignorantiam juris hinc excipiant cum id ea fiat de cauſa, quod ex principio libero ſponte occaſio diſcendi ſit prætermiſſa, nil aliud infert, quam Spontaneitati potius quam ignorantiæ, quæ peccati ſequela eſt, ejuſdemque in futurum occaſio, peccatum attribuendum eſſe. Ad habitus quod attinet, nil mali eſt ſi ex iteratione actuum præterita mens ad eoſdem in poſterum iterandos diſponatur: hoc in ſe ſpectatum bonum eſt, atque effectus Divini placiti. Quod habitum ſpecificat ut ſic dicam, ſive reddit atque denominat bonum vel malum, actio eſt: quare hæc, non ille, venit huc conſideranda. Quod ſi per actiones, quæ præteritæ ſint, peccaminoſas, ubi proprie malum invenire eſt, malos habitus ſum adeptus, quibus tamen in præſenti atque in futuro tempore ſponte totus reſtitero, non puto me pro eo reputatum iri qui adhucdum & ideo actu peccatum faciam; ſin vero iis actu conſenſero & dedar, hoc ipſo actiones criminari oportet. Ergo ſupereſt ut in actibus cogitationis limitatæ quæram peccatum, quod ſi non conſiſtat in ignorantia atque in limitibus ipſis cogitationis, multo minus in Cognitione, ſive realitate quæ eſt inter ipſos limites, non modo in cognitione veri aut boni, in Dei ejuſque placiti ad certam menſuram notitia, ſed nec in ea quæ eſt de falſo & malo: etenim quamvis cognovero errores, vitia, enormitates, blaſphemias, & monſtra ejuſmodi, quamvis Menti ſiſterentur cogitationes Diabolicæ & horrendæ, modo illis ſponte non conſentiam, ſed reſiſtam, non pecco. Quin potius hoc ſæpe utile eſt, & ad mali confutationem & virtutis confirmationem: acciditque interdum ut malum eſſet quorumdam horum non habere experientiam, ſive cognitionem. Hæc propoſitio, Satanas eſt adorandus, eſt abominanda, nihilominus tamen cognitionem Chriſti, ſuggerente ipſo Satana, ſubiit, cum horrore quidem & repulſione, at ſubiit tamen. Hinc tentationes Diabolicæ intellectuales ubi ſponte diſplicent non nocent, ſive malum non inferunt menti tentatæ.

VIII. Præterea in forma mentis conſideravi tum quod Cogitatio non ſiſteretur in ſe ipſa, ſeque adeo ipſam non repræſentaret, ſed utut imper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

imperfecta & limitata, ad Deum tenderet, inque eo repræſentato ſiſteretur: Tum hoc denique, quod ab illo eſſet omnimode atque abſolutiſſime in fieri, eſſe, operari, regi, & verbo, in omni realitate dependens. Quæ omnia optima ſunt & nobiliſſima. Spontaneitas quoque hæc permeans, quippe opus Dei actu præſens, in ſe bona eſt, & maxime bona cum determinata eſt ut hiſce applicetur. Ecce igitur cum coram Deo omnia quæ in me ſunt intueor, Cogitationis materiam, formas, facultates, habitus, actus, determinationem ſpontaneam, nulla mala ſunt: & quod iſtis multæ, ut vidi, deſint realitates, adeoque de nihilo eatenus participent, non eſt malum. Iſta omnia bene ſe habent, & tamen abundo peccatis. Unde vero hoc? An quod determinate negem rejiciamque formam Mentis quatenus directe Deum reſpicit, quaſi explicite dicam, Nolo à Deo eſſe limitatus, nolo ad illum tendere, illum repræſentare, ab illo eſſe & regi? Hoc quidem peccatum eſſet, nec forte multum alienum ab illo quod irremiſſibile dicitur. Sed id jam nec examinabo, nec in clariores ideas reſolvere tentabo, ſiquidem in communibus peccatis non inveniatur. Verum velim tantum hinc caveri ne multi ſibi adulentur, quaſi non peccarent ubi Deum non expreſſe rejiciunt. Nam peccatum, non dico aliquod in ſpecie aut in gradibus, ſed in communi genere, non eſt explicita Dei in cogitatione repræſentati, rejectio.

IX. Illa Mentis meæ forma quæ mihi Deum undique ſiſtit limitantem, repræſentatum, operantem, mihi etiam ideam ſiſtit mei, prout ego ſolus ſine Deo ſum, videlicet ut qui nihil ſim, ne vel minimum quidem realitatis gradum, in me habens, nihil quod ab aliquo debeat repræſentari, vel ſcopus aut originale alterius eſſe, nihil denique quod à ſe quicquam operetur. Et quemadmodum hoc non habeo à Deo, nempe ut ſim nihil, quippe quod non habet opus cauſa, ſed à me ipſo quatenus à me ſum, ſeu quatenus nihil ſum; ſic non opus eſt à Deo poni determinationem in me ſpontaneam quæ ſit à me, ad me, & per me: hoc eſſet contradictorium & abſurdum; ſicque ego memet amplecterer ut Ens à me, ut aliquid per me, mei ſcopum, &c. quod eſt imperfectio, tenditque in non-ens. Deus hoc neque ſtatuit neque efficit, nec occaſionem poſitivam, ut talis in me eſſet determinatio, obtulit, ſiquidem omnia in me & extra me contrarium mihi ſiſtant, clamentque, Deum omnia eſſe, me nihil. Quare hic à Deo relictus ſum ad hoc non-determinatus. Et quia ſum variabilis à me ipſo quatenus natura mea non ſum Ens Summum & conſtantiſſimum, fieri poteſt ut deficiam ab hoc

ſtatu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſtatu non-determinationis in quo ſum non-determinatus à me, ad me, per me, ad inane aliquod ſpectrum pejus quam nihil, cui, quanquam ei ſubſit cogitatio realis & ſpontanea, abſurda ineſt forma, quaſi nimirum à me eſſem, poſſem, facerem aliquid reale. Et hoc eſt quod, ubi accidit, peccatum eſt, imo hoc ipſa radix eſt & fundum peccati intimum unde manant reliqua. Quia vero ad hoc eram indifferens, hinc culpa à peccato eſt indiſſolubilis. Sed ut hæc clarius percipiantur, de libertate ex profeſſo, maxime de indifferentia, nonnulla ſunt explicanda, & quantum ad peccatum conferat, oſtendendum. Poſt quæ aliquot difficultates, quæſtiones, concluſiones, ex hiſce oriundæ ſubjicientur.

X. Sed hoc adhuc notandum eſt, naturam commiſſionemque peccati actualem non requirere ut Mens reflexivo modo ad illud ſe gerat, quaſi apud ſe eſſet dicendum, volo à me ipſa determinari, à me, ad me, per me, pro me regi, conſiderari, nonnihil haberi, me ipſam repræſentare, volo hoc vel illo modo non limitari, & ſi quæ ejuſmodi: quæ quidem ſi adſint peccatum reddunt gravius, elatum nempe & contra conſcientiam; Sed ſufficit ad peccatum ut ſine reflexione cogitatio ſic ſe habeat quaſi talis quæ jam dicta eſt, eſſet illa: Sic enim Ego, quatenus à me nihil ſum; Ego, quatenus per Deum aliquid ſum; Deus ipſe, quatenus me ſtatuit & fecit; Ipſe etiam, quatenus ſe repræſentavit; ipſeque adeo, quatenus ille ipſemet eſt, conſequenter negantur.

CAPUT IV.

1. *De libertate notiones clariores.* 2. 3. 4. *De Indifferentia, eam dari.* 5. *Ea multiplex.* 6.--12. *In creatura non eſt poſitiva, ſed negativa. Demonſtratur, repulſis contrariis probationibus.* 13. *Ejus termini Duo.* 14. *Peccati ſpecialiſſima deſignatio.*

I. DE intellectu voluntate, libertate tum ſpontaneitatis tum Indifferentiæ, tam ſæpe apud ſcholaſticos, &, ut fieri ſolet, iis cum tenebris diſputatum eſt, ut ex illa conſuetudine vix ulla ex iſtis vocibus adhiberi poſſit quin aliquid præteritarum obſcuritatum, vel etiam chymerarum ſtatim recurrat. Quare hic voces aliæ, eæque evidentiores, quantum fieri poterit, nullíſque nugis adhuc contaminatæ adhibebuntur cum principio perſpicuo unde deducentur. ſi tamen aliqua ex illis retineatur, expoſitione clara non carebit. Sit hæc propoſitio *Concipio ſponte Deum meum*, principium, ſive occaſio, unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

unde hæc deducentur. *Concipio :* hoc referunt ad Intellectum ut ejus actum, nos id ſimpliciter cogitationis ſive Mentis perceptionem dicimus. *Sponte* concipio : hoc, quod voluntati tanquam ejus actum adſcribunt, qua de cauſa etiam Libertatem ei attribuunt, dicimus allubeſcentiam, ſive lubitum, vel potius Spontaneitatem. *Deum meum* ſponte concipio : Id jam ad Libertatem Spontaneitatis quam vocant, referunt: Sed evitandæ, ut dixi, obſcuritatis cauſa, malo dicere, illum actum quo mens percipit ſponte objectum ſibi conveniens, eſſe ſpontaneitatis determinatæ, ſive eſſe ſpontaneam determinationem. Nulla eſt obſcuritas in reſolutione hujus propoſitionis quoad formam, & patet hinc quid per Intellectum, Voluntatem, Libertatem, Libertatem ſpontaneitatis, intelligendum veniat. quæ clarius ſic comprehendes & efferes, Mens percipit Sponte determinata; quam ſi cum ſcholis dixeris, Anima habet Intellectum & Voluntatem quæ eſt libera libertate Spontaneitatis.

II. Hæc omnia, & nominatim Spontaneitatem determinatam interventu perceptionis, eſſe à Deo, demonſtratum eſt expreſſe ubi de Divina Potentia & Libertate actum eſt. Quare omnis quæ reſtat difficultas eſt de Indifferentia, quam quaſi in ortu & radice ex hac conſideratione videre licet. Nempe, ſi quod mea Mens ſponte percipit, non videt ſeu quia realitati in perceptione aliquid deficit, ſeu in objecto ipſo, convenire cum eo quod Deus in forma Mentis manifeſtavit de ſe ipſo, de placito, de opere ſuo, tunc indeterminatus maneo, ſive hæreo, an id meum mente faciam, hoc eſt, an in illud ſpontanea cogitatione ferar, inque eo maneam tanquam id eſſet quod Dei ideæ, aut placito, aut operi conveniat ? Hoc malim ſpontaneitatem indeterminatam, vel non-determinationem ſpontaneitatis dicere, quam libertatem indifferentiæ : nam de hac demum ſpontaneitate indeterminata quæritur, an ſit indifferens, nec-ne ?

III. Inde notare eſt, indifferentiæ in Mente creata ſuſpicionem, ejusque, ſi qua ibi detur, fundamentum, eſſe negationem, ſive, non-poſitionem determinationis ex eo quod Mens non inveniat vel detegat objectum perceptioni & allubeſcentiæ conveniens. Ex quo quid de indifferentia illic fundata ſit judicandum, ſitne perfectio aut ſecus, decidere facile eſt. Sed id ex ſequentibus ſat patebit. Videndum prius, quid ſit indifferentia.

IV. Si ſcholaſtice loquendum eſſet, dicerem, hic non quæri de indifferentia in ſenſu morali, vel Phyſico, ſed in ſenſu Metaphyſico; at dicere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

dicere malim, hic non agi de ratione qua res nonnullæ nec bonæ nec malæ, ſed adiaphoræ nominantur; neque de ea quæ eſt aptitudo paſſiva alicujus ſubjecti ad recipiendum has illaſve ab operante formas, prout operanti placebit: quo ſenſu homo indifferens eſt ad hoc ut Deus hoc aut illud realitatis, aut plane nihil, in illo operetur. Indifferentia de qua hic agitur, eſt concipienda inſtar principii in quo ratio & cauſa naturæ atque exiſtentiæ rerum ad quas indifferentia dari dicitur, quæratur, atque plene inveniatur ſine ulteriori provocatione. Talem indifferentiam in Deo dari reſpectu omnium rerum quæ ipſius natura non ſunt, ſæpe dictum eſt: unde is potuit hoc aliove modo ſtatuere & efficere earum naturas, exiſtentias, veritates, & quarum omnium, quocunque modo ſe habuiſſent, ratio, principiumque præter ejus placitum nullum datur. Ex ſimili, hoc eſt, indifferenti principio debere provenire peccatum, demonſtratum eſt expreſſe in libro tertio, ubi de libertate. Et certe, aut à nullo plane principio, ſive, quod ſit inſtar principii, eſt peccatum, atque ſic non daretur peccatum; aut à neceſſario, quale vel abſolute, vel ex hypotheſi, præter Deum, ejus placitum, & ejus opus, quæ in ſe extra culpam omnino ſunt, nullum habetur; aut ab indifferenti. Dubitari-ne etiam poteſt rationem peccati vel admiſſi, vel negative non admiſſi (non loquor de poſitione boni) in mente creata certo reſpectu conſiderata ſine ulteriori provocatione dari? quæ eſt ipſa indifferentiæ ratio.

V. Occurrit ex allatis exemplis indifferentiam prout eſt in Cogitatione firma vel infirma, aut etiam prout ejus termini ſunt poſitivi vel negativi, ipſam poſitivam vel negativam eſſe agnoſcendam: Cum enim res aliqua potens eſt ponere hoc vel illud vel iſtud bonum, ejus indifferentia pure poſitiva eſt; at ſi ponere bonum, aut id intermittere, poſitiva eſt ex una parte; ſi vero indifferens ſit ad hoc, ut vel plane nihil à ſe ipſa faciat, vel malum patret, tunc negativa eſt ejus indifferentia. Duas priores Soli Deo competere excluſive ad omnem creaturam, ex Potentia Divina demonſtratur: quare ſi quæ eſt creaturæ tribuenda, ut tribuendam oſtendi, reſtat ſola ultima, quæ negativa eſt.

VI. Sed hoc non omnibus placet, qui à ſe aliquid eſſe ſibi videri volunt. hinc poſitive ſe eſſe indifferentes aſſerunt, vel in alterutrius ex duobus bonis poſitione, vel ſaltem inter boni poſitionem aut omiſſionem. Quare plurimi mali originem rationemque hinc deducunt, quod cum indifferentes ſint, vel ſaltem ante admiſſum malum fuerint, ſi ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

duobus bonis minus eligant, majori poſtpoſito, minus quidem; ſi vero bonum omne plane facere deſiſtant, tunc gravius peccent. Quibuſcum videntur Scriptura ſacra atque hominis debitum conſentire.

VII. Quantum ad haſce duas, quæ adferuntur, inſtantias, rem non ita eſſe ut prima fronte videtur, poſthac manifeſtum fiet. De Indifferentia vel ex parte, vel ex toto poſitiva, manet invicta ex Potentia Dei deducta demonſtratio, eam nulli Creaturæ in quocunque ſtatu convenire, ne Angelis, ne homini quidem in ſtatu innocentiæ. Nil ille unquam, nil alius præter Deum, vi ſua aliquid reale ponere valuit vel valet, quî igitur fuiſſet indifferens ad ponendum vel ſecus? Quam verum eſt Dei Potentiæ nil ab alio addi poſſe, nullam rem eſſe ejus terminum qui eam excludat, Solum Deum eſſe independentem, nil eſſe ſine vi voluntatis ſuæ, nil eſſe à ſe ipſo, denique Deum eſſe Deum; tam verum eſt neminem præter illum eſſe aliquid reale ponentem, vel ad id poſitive indifferentem. Aut Deus & omnium evidentiſſimæ & Sanctiſſimæ veritates hic negandæ ſunt, aut blaſphemum iſtud poſitivæ indifferentiæ idolum, quod, utpote notitiis de Dei potentia, de Creaturæ dependentia, communibus adverſum, imo noxium, inutile, fundamento deſtitutum, exterminare præſtat. Nam quod nonnulli id amplectantur ne ſibi ipſis nimis vileſcant, neve, quod allegat quidam, ſequatur inde aliquid Deo, nil vero creaturis tribuendum eſſe, id abominandum eſt; nec aliunde venit quam ex eo quod Mens Diabolicis inſiſtens veſtigiis, in ſe gloriari quærat.

VIII. Sed forte etiam nonnulli ex iis qui indifferentiam iſtam propugnarunt, ex alio motivo, non ita malo, egerunt. forte conſequentias omnes quæ ex ejus cum Divina Potentia comparatione oriuntur, non animadverterunt; verum aliis de cauſis ad indifferentiam poſitivam recurrerunt; alii ut oſtenderent peccatum eſſe inexcuſabile & culpabile; alii quia ipſo ſenſu conſcientiaque propria de ſe ipſis convinci videntur, ſe indifferentes eſſe. Non video quid aliud poſſit prætexi.

IX. Sed hæc nihil habent roboris ad probandum quod aſſumitur. Nam, ut à primo initium fiat, ſufficit ad culpam peccati agnoſcendam conſideratio indifferentiæ negativæ in mente, quæ poterat vel in ſtatu nihilum ſuum decens manere, nil à ſe gerere; vel ab illo ad ſtatum privativum ſive indecentem peccaminoſumque deſciſcere. Ergo præter neceſſitatem allegatur ejuſmodi poſitiva Indifferentia. Sed & inutilis quoque & noxia eſt. Quod ut perſpiciatur, ſciendum eſt, ut quid ſit culpabile & inexcuſabile, oportere ejus oppoſitum, quod fieri debebat, tale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

tale eſſe, ut ex eo nulla neceſſario ſequatur culpa. Jam vero, quamvis ille maxime culpandus videatur qui bonum quod ipſe ponere potuiſſe dicitur, omiſit, cum ſupponis tamen eum fuiſſe bonum illud operatum, tunc quoniam ei præbes occaſionem de ſe ipſo gloriandi, patet (ex Dei Juſtitia & gloria) eum in majus inconveniens inde lapſum fore. Quod ſi dixeris eum teneri omnem Deo gloriam reddere, tunc, ſiquidem verum fuiſſet (ut velles) eum poſitive indifferentem ſe habuiſſe, is referendo ſuum opus alteri, non autem ſibi ipſi, qui tamen id potuiſſet, mentiretur, gloriamque mendacem tribueret Deo: ſed hic non poſtulat per mendacium commendari, neque falſa ratione ejus glòria eſt illuſtranda. Itaque ſuppoſita Indifferentia poſitiva, quicquid facias in culpam cadis, eamque minorem ex parte boni omiſſi quam boni commiſſi. Proinde ſuppoſitio abſurda eſt.

X. Quod ſecundo prætendebatur etiam caſſum eſt. Multi nempe ad ſenſum provocant. En, inquiunt, experimur nos indifferentes eſſe ad rerum poſitionem, id percipimus, id ſentimus. Quod conſtat ſenſu intimo non debet negari quia forte cum re incomprehenſibili, Potentia nempe & concurſu Dei, conciliari à nobis non poteſt. Quod clare percipitur non eſt negandum ob id quod natura ſua incomprehenſibile eſt. Hæc ſic inverto: Res clara hæc eſt, & evidens, Deum eſſe Authorem & Effectorem omnium realium; nullam rem à ſe, præter illum, quicquam eſſe vel operari; Indifferentiam in Creatura poſitivam non modo non poſſe conciliari cum Divina Potentia, ſed ei è diametro repugnare, eam negare & tollere. Quod autem eſt, vel ſaltem quod primo intuitu videtur eſſe incomprehenſibile, id hocce eſt, In nobis aliquid ab alio eſſe vel poni (nempe quodcunque reale in nobis ſponte eſt) quod tamen non ſentiamus tanquam ab alio pendere, verum quod quaſi à nobis ipſis venire percipiamus. Quapropter, ſi quod evidens eſt non debet ob incomprehenſibile quoddam negari, concludendum eſt, illud primum, utpote evidentiſſimum, Deum videlicet omnia ſolum facere, Creaturam ad nil quicquam indifferentem eſſe poſitivo ſenſu, non debere ideo negari, quia non ſtatim comprehendimus, quomodo id quod quaſi à nobis ipſis ſponte vel ex indifferentia videmur ſentire, non tamen à nobis ponatur. Quid mirum aut incongruum ſi modus quo Deus in Mentibus agit non omnino comprehendatur? Sed id demum incongruum eſſet, ſi Divinæ Potentiæ, Impotentiæ autem creaturæ principia patefacta non eſſent, aut ut depravata ſiſterentur. Nam Deus decenter agnoſcitur, &, ut ſic dicam, tractatur, his patefactis, illo, modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

nempe agendi, occulto: non vero contra, cum hicce evidenter percipi dicitur, illa autem vel diſſimulantur vel ignorantur, ſtat Deo in Mente ſuus honos.

XI. Sed inſuper falſum eſſe dico, ullos ſeſe poſitive indifferentes ſentire. Etenim omne quod ſe ſentire dicunt, referri poteſt vel ad indifferentiam ſubjecti, cum ex pluribus operationibus quæ à Deo in illo poni poſſunt, ignorat haſce an illas ſit experturus; vel ad indifferentiam negativam; vel ad ſpontaneitatem poſitive determinatam, quam, cum ea non ſentiatur ut ab alieno, putat ideo eſſe à ſe. Sic vero omnis ſpontanea Cogitatio eſſet ex natura ſua à Dei Potentia ſubtracta atque independens, & ne quidem poſſet Deus in illa operari. quod undique profligatum eſt. Verum aliæ ſunt rationes, cur ab alieno & externo non ſentiatur, ut non ſit opus ad nodum hunc diſſolvendum Creaturam in Creatorem tranſmutare, aut vice verſa. Ipſa conſervatio noſtri continua ſpontanea eſt, nec ſenſu percipitur ut ab alio procedens, eam tamen à nobis non eſſe evincitur intellectu. Quod autem ipſa, cum aliis ejuſmodi operationibus, non percipiatur ut ab alieno, ratio eſt quod nobis ſit intima, nec ſit in nobis magis intimum cum quo comparata, aliena ſentiri poſſit. Omnis directe percipiens aliquid ut à ſe diverſum & ab alieno, eatenus eſt diverſus à re ita percepta: quare etiam ex ſenſu craſſo & corporeo concluditur dari aliquid à nobis diverſum. Sed opus Dei, cogitationem ſpontaneam in nobis efficientis, eſt nobis intimum, vel potius, eſt noſtrum intimum. Nos ipſi in fundo id opus ſumus. Quid in nobis, præter id, reſtat, quod ejus operis tanquam rei à nobis differentis poſſit directum recipere ſenſum, & cujus comparatione id poſſit ſentiri ut extraneum? tametſi per reflexionem intellectus percipiamus, omne reale, utut nobis ſit intimum, ſitque vel tota ipſa ſpontaneitas noſtra, à Deo poſitum eſſe. Herbertus ipſe, (a) qui tantopere ſenſum urget internum, ſi nomine Libertatis non confudiſſet in unum quæ diſtincta eſſe vidimus, ſique ad id quod tanquam notitiam communem proponit, attendiſſet, Deum omnium finem, principium & medium eſſe, hæc neque negaret, neque, ut facit, diceret, hoc pacto Libertatem non niſi ex inepto vexari & limitari diſcurſu.

(a) Edoardus Herbert in ejus Libro de Veritate, &c. paſſim.

XII. Carteſius, qui omnia multis in locis à Deo dependere, bene demonſtrat, quique indifferentiam creaturæ alicubi (b) inter defectus enumerat, non videtur hiſce veritatibus conſentaneum quid proferre in ſuis Epiſtolis, ubi (c) de indifferentia loquitur ut de *facultate poſitiva*, de *potentia poſitiva ſequendi deteriora præ melioribus agnitis*, dicitque, *nos abſolute*

(b) Carteſ. Medit. IV.

(c) Carteſ. Tom. I. Epiſt. CXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſolute id ſemper poſſe, atque in eo majorem hujus potentiæ poſitivæ uſum fieri, quam ſi ſecus. Hæc vel falſa vel male expreſſa ſunt. Ipſe in Medit. IV. dicit non eſſe opus facultate poſitiva ad errandum: an igitur ea opus ad peccandum? Non loquendum eſt de *potentia poſitiva ſequendi pejus*, ſed de imperfectione, ſive impotentia negativa ex qua in privationem cadere datur: neque tam dicendum eſt, *nos id abſolute poſſe*, quam nos ſemper ſatis à nobis eſſe imperfectos qui huic defectui obnoxii ſimus.

XIII. Sola itaque negationis indifferentia reſtat, quæ creaturæ tribuatur. Nec novum eſt in ſubjecto poſitivo, ut neque etiam in actu, vel objecto, aliquid negativum conſiderandum dari. At quomodo reſpectu nihili poteſt dari indifferentia, ſiquidem ad indifferentiam duo ad minimum requirantur termini? Verum, nota eſt differentia quæ eſt inter nihil mere negativum, & inter nihil quod privativum dicitur: vel, ut dicam clarius (quia id forte in recto atque convenienti ſenſu à nonnullis ignoratur aut obſcuratur), aliquando *τὸ nihil* adeſt, ut ſic loquar, ubi adeſſe debet: debet autem in eo quod ex ſeſe plane nihil eſt, reſpectu eſſentiæ, exiſtentiæ, conſervationis, omnium, adeſſe nihil determinationis propriæ, nihil ſcopi ad ſe, nihil principii à ſe, nihil repræſentationis ſui quaſi aliquid eſſet: & hoc ſenſu, *nihil mere negativum* dicitur; Aliquando vero *τὸ nihil*, ubi adeſſe deberet, deeſt, & in ejus loco inane realitatis phantaſma, caſſaque imitatio, adeſt, quod nihil, *privativum* dicitur. Atque horum duorum reſpectu datur in Mente indifferentia, vel ſaltem antequam peccaretur, & habitu prave deficiendi corrupta fuiſſet Mens, exſtabat illa. Negari enim nequit, Deum liquiſſe mentem non determinatam à ſe ipſa & ad ſe ipſam: qui unus eſt ex Indifferentiæ terminis; & conſtat ex eventu, alterum terminum (nihil privativum) iſti oppoſitum jam actu dari, & olim fuiſſe in potentia. In quocunque autem ex his Mens manſiſſet, ejus, ſic præciſe ſine realitate conſiderati, ratio, &, ſi ita vocanda ſit, cauſa, in Mente fuiſſet quærenda. (quæ ratio eſt indifferentiæ.) Nam cum utriuſque ſtatus ita ſpectati forma ſit nihil, imo alterius ſit pejor nihilo, non requiritur cauſa poſitiva, idque quantum ad hoc poſterius extra dubium eſſe debet: Sed nec in priori ulla eſt ratio difficultatis: etenim quanquam Deus operando res in mente maxime poſitivas, Mentem ex indifferentia ſic eripuiſſet, ut illa in nihilo reſpectu ſui ipſius conſtanter manſiſſet, (quod in Angelis ſanctis factum eſt) attamen dici nequit, ſtatum mentis, quæ à ſe ipſa nihil eſt, fuiſſe ante peccatum inſufficientem ad hoc ut mens maneret à ſe ipſa talis, quale decet ut quod nihil eſt à ſe ipſo, maneat,

nempe

nempe non ſe ſpectans, nec de ſe ipſe acſi id à ſe aliquid eſſet, diſponere tentans.

XIV. Si itaque Ego qui per Deum Cogitatio ſum Spontanea, maneam in nihilo quod eſt non-determinatio à me, ad me, per me, pro me, ſimque mihi ut qui ex me, ad me & per me nihil ſum, volo, opto, eligo, operor, &c. tunc non pecco. Sed ſi illud *nihil* abſit, id eſt ſi Ego, res ſponte cogitans, deficiam à nihilo, à non-determinatione à me, ad me, per me, &c. adſitque aliqua realitatis larva inanis, qua Ego, qui nihil ſum, mihi is videar qui à me aliquid ſim, ſciam, bene optem, velim, operer, tunc eo ipſo pecco. Unde patet peccatum, non Cogitationem ſpontaneam, ejuſve poſitionem actualem eſſe, ſed eſſe abſentiam nihili in mente debiti, ſive nihili privationem, ipſo nihilo longe imperfectiorem & deteriorem, etiamſi id vel Dei proxima imitatio interdum eſſe videatur.

CAPUT V.

1. *Difficultates notabiles ex præcedentibus ſeptem.* 2. 3. *An homo debeat ex ſe aliquid poſitivi agere?* 4. *Num ſtatus negativus faveat negligentiæ.* 5. 6. 7. *An Mens poſſit in illo manere? quantæ perfectiones eum ſequantur.* 8. *Num Menti inde occaſio gloriandi.* 8. 9. 10. *Admiſſo peccato an maneat indifferentia? Quæ cauſa ad ſublationem peccati. Primariæ ſpecies peccati, tres.* 11. 12. *De præſcientia & Regimine Dei circa peccata.* 13 *An Deus indifferentiam tollere potuerit, & cur non ſuſtulerit?*

I. HOc, inquam, modo omnia poſitiva ſoli Deo omnium Authori aſſeruntur, Menti vero nil eorum tribuitur quod ad Deum efficientem ſit referendum. Nam ſi mens quæ à ſe nihil eſt, ad ſe non eſt, neque ex ſeſe regenda eſt, ſit, maneatque, non à ſe, non ad ſe, non per ſe, tunc nihil ponit, ſe gerit ut nihil, & eatenus nihili, ſive ſui ipſius, quatenus à ſe nihil prorſus eſt, gerit imaginem. Hoc decet nihil. Eatenus nulla adeſt ipſi perfectio. Si vero illa peccat hæc non admittendo, vel potius non permittendo, tunc aliquid adhuc minus reale, ob quod etiam culpanda venit, perpetrat. Sed hic occurrunt nonnullæ difficultates, quas per modum quæſtionum proponemus, & reſolvere tentabimus.

II. (1) De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

II. (1) De prima mentio jam ſupra facta eſt ubi indifferentia poſitiva repulſa fuit, & aſſertum creaturam nil ex ſe ponere, adeoque peccatum non eſſe proprie ceſſationem creaturæ à bene operando. Quæri poteſt, an non homo debeat operari? nonne opera, & quidem bona, tenetur edere? Quam Deus hoc ſæpe ab homine poſtulat? Cur ergo id ſupra negatum eſt, etiam de homine Sancto & innocenti, imo de omnibus creaturis? Reſpondeo, rationes aſſerti tales fuiſſe ſuo loco allegatas, ut, ſi confidenter interdum loqui liceat, non putem eas ab ullo unquam infirmari poſſe. De Scriptura dico, eam, quamvis verbis utatur quæ proprie rerum poſitionem ſignificant, dicatque homines operari bona, imo à quibuſdam proximos ſuos ſalvari; non tamen ſe ipſam evertere, quæ ubique clamat omnia à Deo eſſe facta, ſine illo nihil; omnia ab eo, per eum & ad eum eſſe, & ejuſmodi quamplurima. Quare phraſes illas improprias eſſe dicimus, & intelligendas ſecundum eum loquendi modum, quo inſtrumento verbis tribuitur effectus qui ad cauſam efficientem eſt referendus. Deus ideas rerum ut voluit concepit, ſtatuit, illas extra ſe expreſſit per earum exiſtentiam, productionem, regimen: homini, qui ex illis eſt, dedit Deus ut quaſdam ex his imperfecte conciperet, vultque illo uti tanquam inſtrumento, quod placet ei ad quarumdam poſitionem intervenire: ita ut homo ſit reſpectu Dei quaſi infans aliquis ſpectans characteres à ſe non inventos, nec pictos, cujus manus à præceptore tanquam inſtrumentum, à ſe quidem ad hoc immotum & ineptum, aſſumeretur & dirigeretur ad rectam ſimilium ſcriptionem, verum ad quam nihil ex ſe contribueret, niſi forte quod quantum in ſe eſſet, injiceret remoram, dum ex ſemetipſo ductus phantaſticos vellet exarare. (quod nihili privativi inſtar ſe habet). Jam vero prout cum aſſereretur verbo ſcriptio illa infanti, ut ſolet, ſtultum eſſet tamen inde concludere infantis eſſe hoc opus; ita etiam male ex verbis Scripturæ concluditur, hominem poſitive, ut cauſa proprie efficiens, operari. Similes itaque locutiones in Deum ſunt refundendæ, quatenus is per hominem, qui ipſe ejus opus eſt, operatur.

III. Quod autem hæ loquendi formulæ hic à me adhibitæ non ſint, inde eſt, quod ſimpliciores & propriæ magis cum philoſophico diſcurſu convenire videantur, utpote à quo omnis ambiguitas, vel occaſio extraneos conceptus per tropicas formulas introducendi, exulare debet. Itaque hac de cauſa de ſolo Deo dictum eſt, eum operari & ponere aliquid reale; De homine vero, eum nihil à ſe eſſe in fieri, eſſe, operari, regi, in principio, medio, fine; vel, ſi ſit peccator, eum minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

adhuc eſſe. Poſitivum Deo, negativum homini, privativum peccatori tribuitur. Germanæ & propriæ locutiones: nam res ita genuine & ſimpliciter ſe habent. Quicquid reale eſt, fuit, eritque unquam in homine, aut eſt opus Dei, aut nihil. Quicquid de homine quæri & poſtulari poteſt in reſpectu ad cauſam efficientem, ad principium, ad ſcopum, quatenus id non eſt operatio Dei, ſed ut opus hominis conſiderari poteſt, eſt nihil. Et ut illud nihil ſit mere negativum, officium hominis eſt. Non poteſt quicquam nobilius à creatura poſci vel exſpectari quam nihil, quam negatio propriæ operationis, proprii ſcopi, proprii principii, & ſi quæ ejuſmodi. Quapropter (quod ſeorſim forſan videretur mire falſum) veriſſimum eſt, hominem à Deo non obligari ad poſitivum opus efficiendum, ſive, ad operandum poſitive: neque mandata Dei ſunt ejuſmodi obligationes ad hoc ut aliquid reale à creaturis ponatur. Cum enim concipi nequeat, hominem aliquid poſitivum à ſe, diſtincte à Deo, operari, quin ei hoc modo tribuatur quod Soli Deo, cujus Potentia, & conſequenter Natura, ſic negatur, proprium eſt; multo minus concipere datur, hominem à Deo ad hoc abſurdum, quod Divinæ Naturæ repugnat, obligari. Hinc omnia Dei mandata ad homines debent ultimo in negativa reſolvi, ut revera qualia ſunt percipiantur. Teneant ſe homines ut merum nihil, cætera operari Dei eſt. Sed & ex Decalogi inſpectione omnia fere negativa eſſe apparet, & id quod affirmativum videtur, quietem, ceſſationem, negationem operationis propriæ injungere. Quod Theologi de fœdere operum, cum homo nondum peccaſſet, loquantur, in quo fuerit poſſibile meritum, & quod gloriationem non excludat; ea patet non poſſe niſi negativo Senſu intelligi: nempe ut *τὸ operari* relatum ad hominem, ſit ſe ex ſe gerere ut nihil: quod à creatura ut opus ſuum requiritur. *mereri*, ſit, eſſe ex ſe per certum ſtudium in tali ſtatu negativo, quem ſequuntur remunerationes, ſive certa quædam dona, ſecundum Dei promiſſum. *gloriari* vero, ſit cogitare vere, ſe non deflexiſſe ab iſto ſtatu nihili cui merces eſt annexa, ſed in illo manſiſſe, nec ſe per peccatum reddidiſſe indignum effectu promiſſo. Alioqui in ſenſu poſitivo homo neque obligari poteſt ad operandum ex ſe, ut mox dictum; neque poſitive poteſt mereri, ut probatum eſt ubi de potentia Dei; nec denique habere potuit unde de poſitione ullius realitatis à ſe, poſſet gloriari: quod animadverſum eſt in cap. de Gloria Dei; & mox ad Quæſt. 4. oſtendetur, Impropriam in ſtatu nihili futuram fuiſſe gloriationem. Interim tamen homo faſtuoſo propriæ Potentiæ phantaſmate inſoleſcens, eo verbis provocari poteſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

teſt, ut, ſiquidem prætendat ſe ipſum regere, & multum poſſe, det hujus imaginariæ potentiæ ſpecimen faciendo bonum, vel etiam creando ſibi cor novum, unde appareat quantum revera poſſit præſtare.

IV. (2) Secundo quæri poteſt, An hoc non faveat hominum deſidiæ & negligentiæ? ſiquidem videatur inde poſſe deſumi occaſio nil curandi, nil amandi, nil agendi, ſeſe ad nihil applicandi, nullum conatum exprimendi, ſed omnia ita Deo permittendi ut otioſi ſpectent res vadere prout vadunt, manibus ſuis in ſinum reconditis. Reſpondeo, ſtatus hujuſce otioſi, qui objicitur, formam non eſſe nihil mere negativum, ſed eſſe potius nihili abſentiam, ſive præſentiam phantaſtici ſpectri ſui ipſius, proprii placiti, propriæ delectationis, eſſe reditum inanem ad ſe ipſum, acſi cujuſque blandum otium ſui ipſius ſcopus eſſet. Hoc vero non eſſe ſe gerere coram Deo ut merum nihil. Præterea inter operationes quibus Deus ſtatum privativum ex hominibus pellit, quaſque in illis poſt hunc expulſum, ſed modo pleniori & diviniori quam ante, efficit, ſunt curæ ipſæ, diligentia, conatus, amor, actiones, labores, iique efficaciſſimi. quæ omnia tantum abeſt ut à nihilo quod eſt in homine negativo tollantur, quin potius eo locus illis conceditur ampliſſimus & aptiſſimus, ut jam amplius dicetur.

V. (3) Quæritur tertio, Num Mens poſſit eſſe vel manere in iſto nihilo, in iſta non-determinatione? Ratio dubitandi eſt, quod cum illa ſit Cogitatio ſpontanea actu continuo poſita, non videatur eſſe poſſe ſine objecto ad quod feratur & determinetur quocunque modo, quemadmodum materia non poteſt eſſe ſine aliqua figura modoque poſitivo. Non poteſt forma Cogitationis actualis eſſe & manere nihil, præſertim ejus Cogitationis quæ ſit ad Dei imaginem, ejuſve repræſentativa. Quomodo igitur id à Mente conſtanter exigitur? Reſpondetur, non poſſe quidem Mentem abſolute & ſimpliciter in illo ſtatu eſſe, ut ſit & maneat ſine determinatione ad aliquod objectum cui applicetur, ut velit nihil, ut tendat in nihil, neque etiam id aſſertum eſt: Sed poſſe eam reſpectu ſui ipſius, quatenus illa à ſe nihil eſt, ſe prætermittere, non determinare, non ſpectare, non gerere ſe ut principium à quo, & ſecundum quod, & ob quod regi debeat. Quæ negationes ſui ſi adſint, in hoc ipſo momento Deus in illa operabitur Divinam determinationem, Divinum ſcopum, Divina motiva, Divina principia, (quæ omnium operationum Dei digniſſimæ ſunt, ſiquidem aliis tanquam media non ſubjiciantur, ſed dominentur in corde:) denique media, modi, omnia Deo placita, non deerunt. Negationem ſive prætermiſ-

miſſionem ſui ipſius ſequitur immediate poſitio Dei, atque certius, quam in natura ſpatium ab aliquo corpore deſertum ab alio ſtatim occupatur: neque enim & hic vacuum abſolutum dari poteſt. Mens ſe ipſa debite vacua ſimulque Divinis vacua operationibus nequit eſſe.

VI. Hæc ita eſſe experti teſtantur. Sed & in non expertis Deus ſat luminis ſive operationum ſuarum, quas univerſas nunquam retrahit, vel in peſſimis, reliquit, ex quibus de hacce veritate poſſint convinci. Interroget ſe ipſum quiſque, Quid, ſi nihil, ſive in ſe, ut notitias, voluntatem, affectus, & ſimilia, ſive in univerſitate rerum, objectum nullum, à ſe ipſo & ob ſe ipſum vellet, eligeret, optaret, averſaretur? Quid inquam fieret ſi ego huncce ad me reſpectum omitterem? Proculdubio ſiquidem à Deo ſponte cogitans conſervaret, nec, ut dictum, cogitatio mea omni objecto atque determinatione poſſet carere, neque etiam à me ad ullum quid determinarer, reſtaret ut Deus hoc in me operaretur. Quid vero, quove modo? Non certe quicquam contra ſe ipſum ſuumve placitum, ſed profecto ſecundum ſe. Itaque cum is à ſe non alienus ad ſe ipſum determinetur, ſe amet, ſeque, ſuumque placitum atque opus propter ſe ipſum approbet, in me etiam mei ad ſe determinationem, & ſui omniumque ſuorum propter ſe amorem atque approbationem operaretur: cumque unus ille ſit omnium principium, finis ſcopuſque, omnia quoque quæ in me ad ſe referret, & à ſui motivo inciperet. Hoc modo non relinqueret in me imaginem mei nihili ſolitariam, ſed ea tanquam loco uteretur quem ſuis operationibus, ipſum illum optime repræſentantibus, repleret; atque, ut graphice dicam, is eſſet in me ſe ipſum, ſuum placitum, ſuum opus contemplans, amans, volens, ſe ipſum orans, eſſet in me eligens, rejiciens, diſponens, agens, denique omnia eſſet. quod tamen reſpectu eſſentiæ ſuæ nolim ita intelligi quaſi ejus Natura eſſet in me ſubjectum quod hoſce modos in ſe admitteret: Sed is hæc eſſet operatione, effector eſſet; vel ſi cum ſcholis loquendum, hæc ille eſſet cauſaliter & efficienter, non vero ſubjective & eſſentialiter.

VII. Et tunc revera tantum abeſſet ut ob ſtatum mei nihili Divina imagine deſtituerer, quin hoc modo, cui divinæ junctæ ſunt operationes, illa in me eſſet maxime conſpicua. Etenim nonne ſi operetur ille in me diligentiam, curas, laboreſque ſanctiores, hoc ipſo ſuæ ipſius Activitatis adumbrationem ſiſtet? Nonne ſi patientiam, ex. gr. ſi in rebus adverſis tolerantiam atque hilarem acquieſcentiam efficiat, ſeſe quaſi imagine oſtendet felicem ſufficientemque, quippe qui ſic videatur

men-

menti, quamquam externis undique conquaſſatæ & omnibus deſtitutæ, & ſufficere & gaudium eſſe? Sapientem, cum ſine murmure mihi acquieſcentiam in ſe dabit? Viventem atque Spiritualem, cum in eo ſtatu præ cogitationibus, quas potenter ſuſtinebit, cætera materialia non videbitur adeo curare? Annon operando in me abſolutam omnium quæ in me eſſe poſſent ſibi ipſi ob ſe ipſum ſubmiſſionem, optime ejus abſolutum Dominium, ejus Bonitatem, Potentiam & Altitudinem ſic illuſtrat? Sed innumera ſunt, & ineffabilia quæ huc pertinent, quæque nec vidit oculus, nec audivit auris, nec mundanus animus eſt aſſecutus. Ea vero detexit Deus & operatus eſt in illis qui à ſe ipſis quicquam agere aut velle non prætenderunt, ut patuit in humanitate Filii Dei, & in ejus genuinis ſectatoribus. Hic ſtatus nihili præbet materiam cui forma veri Chriſtiani (raræ avis in terris) ſuperinducatur; menſque eo diſpoſita inſtar materiæ eſt, obſcuræ quidem & indigeſtæ eatenus, ſed in qua tamen futurum eſt ut dicatur potenter, fiat lux: vel potius illa ſpatium hoc inane & informe eſt, in quod novi mundi forma introducenda; & dum omnia reliquit, invenit illa clavem qua ad theſauros penetret cæteris occultatos. Hoc eſt *Nihil* illud, quod à Viris Sanctis in myſticis & Divinis ſuis contemplationibus eſt tantopere commendatum.

VIII. (4) At, (quæ quarta ſive quæſtio, ſive difficultas eſt) cum illud *Nihil* tantum habeat bonum ſecum annexum, cumque aſſertum ſit nihil illud à mente eſſe; nonne poſſit inde mens gloriari ſi illa à ſe in ſtatu nihili maneat, eumque quem tanta bona ſequuntur, præ ſtatu nihili privativi teneat? nonne dicere poſſet, ſe, ſi non peccet, eſſe cauſam cur non peccet? Reſpondeo primo, illa bona quæ ſtatum nihili negativi ſequuntur, non ſequi ex vi nihili, non eſſe vel ab ipſo nihilo, vel etiam à mente, ne quidem Angelica, poſita; ſed à Sola Dei liberalitate & placito ejus liberrimo, ut ex Dominio Dei videre licet, pendere, qui illa gratis à nullo externo motivo impulſus, diſtribuit quæ & quanta placet; ita ut quamvis omnes mentes inſtar SS. Angelorum manſiſſent reſpectu ſui in ejuſmodi ſtatu, non habuiſſent unquam unde de ullius vel minimæ realitatis poſitione potuiſſent gloriari. hoc æternum ab omni creatura abeſt. Secundo, velim notari, quod de indifferentia inter ſtatum nihili & ſtatum peccati dictum eſt, illud non fuiſſe aſſertum exſtare in Mente poſtquam ſe ſtatui peccaminoſo mancipavit, quaſi illa poſtquam pravitati ſe ſubjecit, poſſet ex ſe ab ea ſe liberare, & ad ſtatum negativum regredi, hoc eſt, ex ſtatu magis imperfecto minus imperfe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ctum ſiſtere, atque gloriari de diminutione mali ante poſiti. De hoc non adhuc dictum eſt. forſan quid ſit de eo ſentiendum aperietur in poſterum. Mens hactenus ſpectata eſt ut nondum pravo privativum eligendi actu corrupta. Tertio, *non peccare*, in Mente ita conſiderata, quod etiam in nihilo vel in materia videre licet, non eſt in ſe aliquid poſitivi. Mentem per ſe non peccare, nil aliud eſt quam dicere, Mentem quatenus eſt Dei opus, non eſſe peccati inſimulandam, ut etiam principio monitum eſt; eandemque quatenus à ſe nihil eſt, non eſſe quoque ream peccati: hoc eſt, opus Dei, & merum nihil, non eſſe peccatum, nec peccatum in ſe præciſe involvere. Quod incongruum non eſt. Denique abſurdum, contradictorium & impoſſibile eſt, Mentem in ſtatu nihili poſſe in ſe gloriari, proprie & in ſenſu poſitivo, nam non-gloriari in ſe eſt ipſe ſtatus nihili, & qui in ſe gloriari quærit eo ipſo ex illo ſtatu decidit, & ſe ad ſe ipſum determinat; qui vero in eo ſtatu manet, eo ipſo ſe non ſpectat, ſe prætermittit atque linquit. Sed quæſo, quæ gloriandi anſa, glorior in me quia ſum vel quia fui hactenus in ſtatu nihili! hoc eſt, quia nihil reſpectu mei, non modo ſubſtantiæ ſed & regiminis ſum, & hactenus fui ut decet τὸ nihil reſpectu ſui eſſe, ideo geram me ut dedecet τὸ nihil ſe gerere: quod idem eſt ac, gloriabor in me. Hæc certe ex permanentia in ſtatu negativo nequaquam pullulant.

IX. (5) Quinto, ex occaſione membri ſecundi reſponſionis proximæ quærere licet, non quæ de indifferentia mentis inter nihil negationis & privationis dicta ſunt, ita ſe habeant, ut Mens æque ſit indifferens poſt peccatum admiſſum quam ante? Cui reſponderi poteſt ex notitia illa communi, omne manere in ſtatu ſuo niſi à Pontentiori alio deturbetur, quam in omnibus advertere licet, imo & in ipſa commiſſione peccati. Nam quod hominem à ſtatu negativo dejecit in privativum, phantaſma aliquod fuit, ſpectrum ſui ipſius, proprii regiminis, quod potentius quid apparet quam merum nihil; non quod ſit, ſed quod appareat, nam in peccato omnia, quatenus id concernunt, ſunt apparentiæ abſurdæ, nil reale: ſi enim id revera potens fuiſſet, peccatum tunc, utpote poſitivæ cauſæ realis effectus, peccatum non eſſet. Sed cum ſtatus nihili negativi non ſit inane aliquod phantaſma, non ſpectrum falſum, aliter ſe habens aliter vero apparens, ejus reductionis in ſubjectum unde ille per peccatum abfuit, cauſa & ratio non debet eſſe phantaſtica, nec tantum potentior malo per apparentiam. Quodſi cauſa non detur, neque ſtatus negativus redire poteſt, neque adeo

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

poteſt illic indifferentia concipi. Quænam autem eſſet illa hujus reductionis cauſa? Indifferentia prior? Sublata eſt. Indifferentia determinatione, cum hæc ſit, tollitur; poſt illam, ut poſt actum, habitus ſequitur indifferentiam infirmans. Mens privativo modo determinans ſe, tollit ex ſe indifferentiam, adeſt determinatio peccaminoſa, hæc manet igitur id quod eſt, continuat, durat, roboratur in ſuo ſtatu & ſublatione indifferentiæ, niſi detur cauſa mutationis: cur enim ſine cauſa mutari ſupponeretur?

X. Sed jam quæret forte aliquis, quænam cauſa requiratur? Negativa, dicet forſan alius, adeoque quæ à creatura ſit. Quæ ergo illa? An ſtatus meri nihili? Is vero per peccatum à creatura peccante expulſus eſt. An Indifferentia? ea etiam expulſa, daturque à nihilo defectio ad privationem ejus, datur deflexio ab uno extremo & propenſio ad alterum: quod negotium non conficit, ſed contra. Quid igitur cauſſæ aſſignandum, ſiquidem præter recenſita nil ſit in creatura quod poſſit ſuſpicari ab ipſa eſſe? Certe patet hinc ad ſublationem privationis in ſubjecto quod permanet requiri realiſſimam cauſam operantem. Quid vero operantem? An ut nihil redeat operandum eſt poſitive? Imo, ut phantaſmata vana omnia ejiciantur, multis opus eſt intus & extus actibus particularibus, exercitiis, modis & formis diverſis incompletiſque: his enim & privatio, moduſque quo in mente viguit, evacuantur: & mens vacua ſic reducitur ad nihili ſtatum, quem, ut ad quæſtionem tertiam dictum eſt, ſequuntur operationes novæ, ſimpliciores, puriores, magis immediatæ, directæ, completæ, ſolidæ & uniformes. Poſſit igitur privationis ſublatio cum ſublatione nihili, quæ per poſitionem fit, comparari, ſimilemque poſtulare cauſam. Sumamus rem à principio. Ad ſtatûs nihili meri ſublationem datur cauſa: ergo & ad ſtatus privativi ſublationem. Status nihili tollitur duobus modis, uno bono, altero malo, hinc duo cauſarum genera: forte & idem de ſtatu privativo videbimus. Status nihili tollitur, ſed male, ab homine, ſua ipſius prava poſitione, quæ cauſa, niſi ex falſa apparentia, non eſt τῷ nihilo potentior, quin revera imperfectior eſt, & recte ad privationem nihili, ſive ad minus quàm nihil reducitur. Tollitur & ſtatus nihili, & quidem recte, à Deo, per poſitionem operationum ſuarum, dum non ſinit vel omnia manere nihil; vel in homine, (ut ad tertiam quæſtionem dictum eſt,) cum meri nihili ſolitariam gerere imaginem, ſed ſuam ei ſuperinducit. quæ Cauſa realiſſima eſt, maxime poſitiva, omnemque nihili extenſionem potentiæ immenſitate ſuperans. (ut de Potentia Dei ſuo

loco

loco vidimus.) Ita quoque de privativo ſtatu dicere licet. Prave tollitur, hoc eſt, non tollitur, ſed potius roboratur & reduplicatur, ſi creatura illum à ſe ipſa & per ſe ipſam tollere prætendat: ſic abſurde iterat phantaſma ſui ipſius, à ſe ipſa quæ jam ſemel ſuæ impotentiæ, & mali quod in ſui amplexu, convicta eſt, ad ſe ipſam ſe convertit, ſibique potentiæ idolum immenſum, ultra limites nihili efficax, in ſe effingit: qui ſtatus priore pejor, fere eſt inſanabilis & deſperatus, ad quem crediderim dari in peccatore indifferentiam novam, ita ut, quia hic ſtatus non eſt idem cum illo qui ſimpliciter privativus eſt, ſed omnino eſt alius naturæ deterioris, etiam ſit indifferens peccator ad hoc ut ei ſatis ſit ſtatus ſuus priori peccaminoſus, vel ad hunc deteriorem amplectendum. Quemadmodum, ut hoc ex occaſione addam, poſtquam in hunc deteriorem lapſus eſt, iterum indifferens videtur eſſe concipiendus vel ad ſubſiſtendum in hoc ipſo in quo ſe gerere prætendit acſi eſſet pluſquam Creator, nempe & Ereptor à malo; vel ad deficiendum ad ſtatum peccati alterius naturæ, in quo convictus, illuminatus, doctuſque eatenus à Deo, ut ſciat ſe jam duplici crimine teneri, neque ſe ipſum, ſed Deum eſſe Creatorem, & Liberatorem à malo, nihilominus Deum ſciens ſponteque prætermittat & ſinat; ſui ipſius vero idolum, quod conſcit à ſe nihil, & nihilo deterius, nil facere vel ſervare potens, amplectatur. quod genus peccati & ultimum & immedicabile habetur: neque enim concipere datur Deum unquam, ulloque modo, magis à Mente abeſſe poſſe, quam iſto. Quod autem ut ante primum peccatum, quod rejicit Deum ut Creatorem, ſic & ante ſecundæ peccati ſpeciei ſtatum, qui eſt in Deum Liberatorem, atque tertiæ, in Deum Illuminatorem, indifferentia ſuo cuique ſtatui conveniens poſita ſit; ejus rationes ad ſimilitudinem earum quæ in prima ſpecie peccati recenſitæ ſunt, deducendas, & à difficultatibus, quæ prioribus fere correſpondent, vindicandas, relinquimus. Id enim hæc percipientibus operoſum non eſt. Sed nec erat hujus inſtituti de hiſce agere, tametſi quoniam hic in mentem inciderunt, ea non recuſaverim tanquam incidentia illico reponere, addito, negata indifferentia inter peccati naturam ſtatumque ex his tribus primum & ſecundum, vel inter ſecundum & tertium, inde ſequi radices peccati ultimæ naturæ eſſe in peccatoribus omnibus, ſive eos potentia commiſiſſe peccatum ultimum, hoc eſt, pro iis eſſe habendos qui in illud incidiſſent, niſi Deus quod futurum erat, & cujus jam exſtabat principium, impediiſſet, remediumque admoviſſet: quomodo id peccatum naturæ principiique ſui reſpectu non eſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

eſſet, quale tamen eſſe agnoſcitur, immedicabile. Quam profunde igitur, & horrende, ut eo unde digreſſi ſumus, redeamus, ex regreſſu ſui ad ſe ipſum gradatim evenit cadere! Quare, omiſſo cujuſque ad ſe recurſu, ut recte è medio ſtatus privativus ſive peccaminoſus tollatur, ſiſtenda cauſa, quæ, ſiquidem malum ſit pejus quam nihil, ſit, ſi ſic loqui liceat, pluſquam realiſſima, ultra vagos vaſtoſque nihili limites tranſcendens, vincens & implens pluſquam τὸ minus nihilo; placitum extraordinarium, ut ſic dicam, & novi generis; operatio pluſquam ordinarie efficax, pluſquam potens expellere ſimplex nihilum, pluſquam Creatrix, bona, liberalis; in qua non jam ut ante potentia, ſed virtus potentiæ roboris; non liberalitas, ſed theſaurus immenſus divitiarum; non bonitas, ſed ingens miſericordia deprædicentur. Hæc illa eſt efficax & victrix Gratia, Creatio nova & ſecunda priori magis ſtupenda, quæ à ſtatu nihilo minori reducit ad ſtatum, qualem diximus, nihili meri ſive negativi, nam hac (quæ depoſitio veteris hominis) tranſeundum eſt; & ab illo ad omnis realitatis excellentiam (indutionem hominis Novi) quam Deus pro placito ſuo operatur. Nonne hiſce ex Dei gratia ſuum intus in mente invenire eſt teſtimonium? An autem cæteri in quibus iſta omnia non ſic operatur Deus, reducantur tamen omnes per Deum ad eum indifferentiæ ſtatum, ut ipſis de novo per aliquam temporis periodum integrum relinquatur ſe ipſos amplecti vel non amplecti? non eſt hujus loci inquirere. Sed & id aſſerere non infert ullam abſurditatem, nihil enim ſic tribuitur homini, nil detrahitur Deo, cui omnis mali diminutio & repreſſio adſcribitur: quin potius, id aptum eſt Dei miſericordiam commendare. Hinc non eſt quod quis offendatur quibuſdam loquendi formulis, quibus nonnulli vere probi, gloriæque Dei (cui omnia referunt) ſtudioſi, nonnunquam utuntur; v. g. homines habere adhucdum liberum arbitrium, libertatem eligendi vitam aut mortem, Deum aut Diabolum, ſalutem aut damnationem, imo, faciendi bonum vel malum: quibus (quanquam iis ſuperbi abuti poſſint) recte intelligere eſt, hominem non tantum eſſe ſemper non-coactum in iſtis, ſed & Deum homini ſervare eum ſtatum in quo ei liceat ſe gerere aut modo privativo (quod eſt amplecti mortem, &c.) aut negativo modo, quem ſequitur operatio vitalis & ſalutaris Dei. Et hoc reſpectu putandus eſt homo indifferens ſeu liber dici ad operandum bonum, nempe non immediate, quaſi bonum ab homine poni poſſet; at bene indifferens ad id (ſtatum negativum) cujus præſentiam ſequitur operatio boni quæ à Deo eſt & fit. Quo ſenſu etiam bene capi poſſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

quæ ſupra vidimus à Scriptura hominibus tribui, quaſi ipſi bona operarentur.

XI. (6) Sed & adhuc difficultas, quam ſexto ponimus loco, reſolvenda proponi poteſt. Si ante peccatum, imo ante quemlibet ex tribus ſpeciebus peccati ſtatum, creatura ſit indifferens eo modo qui dictus eſt, ita ut in quocunque ex iſtis illa poſtmodum ſit, ejus ratio & cauſa in illa ſit, non in Deo; quomodo Deus certo prænoſcet peccatum? Aut ejus notitia non dependebit ab indifferentiæ mentis incerto habitu? aut vero, Nonne operationes quas ſi peccatum non fuiſſet, operatus eſſet, eatenus dependebunt à creatura, ut poſſint per illam impediri? Quomodo denique circa hæc competet certum Deo regimen? Reſpondeo, Caveat Cogitatio creata ne in his ultra Sphæram ſuam ſe tentet efferre, atque ſic peccet. Hæreamus hactenus demonſtratis. Si quædam accedant quæ non capiamus, memores ſimus ſortis Cognitionis noſtræ. Difficultas ex eo maxime accedit, quod peccati notitiam inſtar notitiæ realium entium conſiderare velint. Cæterum hæc concluſa teneantur. Cum omnia eſſent abſolutiſſimum nihil, reſpectu & eſſentiæ & ſubſtantiæ, & exiſtentiæ; dependet à ſolo Dei placito indifferenti, ut eſſent & efficerentur quæ & quot vellet & voluit. Cum omnia vel aliqua ſunt in nihilo determinationis, dependet à ſolo Dei placito, ut in illis operetur quæ & quanta, & quo modo vult. Cum omnia ſunt in ſtatu nihili privativi, ſive peccati, dependet à Solo Dei placito, ut in quibus vult quæ & quanta & quomodo vult, operetur. Itaque notitia quam habet Deus de harum realitatum eſſentia, exiſtentia, & modis, eſt ab illo ſolo, idque independenter ab omni creatura. Ulterius: Operatio Divina peccato oppoſita, generalius ſpectata ſine determinatione graduum, &c. eatenus à me pendet, ut ſi illa in me non ſit, ego ſim cauſa ejus abſentiæ. Hæc non eſt proprie dependentia operationis, quemadmodum non dependet à me lux Solis, quamvis claudens oculos ea me deſtitui cauſſer. Pergamus. Quod detur peccati idea, notio, atque exiſtentia, cauſa omnino Deus non eſt. Deus quocunque modo noſcat peccatum, in minima ſuæ cognitionis realitate à nullo, neque etiam à tempore, dependet. Privationes ſive peccata ita Deo prævidentur (quocunque illud fiat modo) ut præviſio hæc non ſit cauſa cur peccata exiſtant vel ſint, ſive, non efficiat illa, utpote quæ poſitivam cauſam non requirunt. Hæc omnia ſuis in locis demonſtrata ſunt, & ſufficiunt. Sed inquies, quomodo illa ſimul cum notitia Dei de peccato conciliabis? aut vero, quomodo putas Deum noſſe peccatum & prænoſſe? Difficultas eſt de

primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

primo quoque ex tribus ſpeciebus recenſitis peccato, non de illis quæ prima admiſſa ſequuntur, quæque primis præſuppoſitis prænoſci, facile concipiuntur. At de primis quid? Dico, poſtquam diu cogitavi, huc & illuc oculos conjeci, redeundum eſſe ad hanc ingenuam confeſſionem, neſcio, nec poſſum ſcire, nec debeo ſcire, neque adeo amplius opto ſcire. ([a]) Admirabilis ſcientia tua ſuperat me, & ita excelſa eſt, ut ad eam attingere non poſſim, ait divinus Vir. Et exclamat alius, ([b]) Divinam cognitionem ita eſſe profundam, ut ejus viæ inveniri nequeant. Nonne hactenus evidenter concluſa atque perſpecta conſcientiam ſufficienter hac in re tranquillare valent? Num opus eſt ad quietem animi mei ut ſciam quomodo ſe habeat cognitio in Deo? Hæc igitur temeraria relinquimus, contenti clare agnitis.

(a) Pſalm. 139.
(b) Epiſt. D. Paul. Rom. cap. 11.

XII. De Divino regimine & providentia circa ea quæ uno ex præcipuis admiſſo ſpecialiora ſequuntur peccata, vel potius circa peccati diverſas apparentias & facies, res facile concipitur. Peccati apparentias aut facies, aut veſtes, aut ſigna appello, modos particulares, & plerumque extus ſe prodentes, quibus manifeſtatur quod Mens à ſtatu nihili ſui ad inane idolum deflexit. quod una oſtendit abſurde verſando circa metalla vel opes, altera circa carnalia, aliave, quæ interdum maxima, imo maxime ſpiritualia putantur, quæque unius peccati intus præſentis & durantis, unius ſtatus privativi qui in Mente eſt, malim diverſas appellare veſtes & apparentias, quam ſpecies aut naturas. Jam ad peccatum ipſum quod attinet, Deus, ſi proprie loquendum, illud non regit, etenim nihil poſitivi in Deo eſt quod ad peccatum, ad non-ens, proprie terminetur; ſed ſubjectum peccati, Cogitationem Spontaneam, item corpus, ejus modos, motus, corpora quæ circum illud hoc vel modo, tempore, & cætera, quæ ex ſe peccata non ſunt, atque realitates ſunt, à Deo ex liberrimo placito, ut de omni realitate demonſtratum eſt, ponuntur & reguntur. & hinc Mens peccatrix illis juncta & implicata ſuum peccatum, in ſe intus conceptum & jam factum, diverſe, pro diverſitate innumera rerum circumſtantium apparere facit, unde etiam diverſa id nomina nanciſcitur, v. g. homicidium, furtum, avaritia, luxuries, &c. prout per diverſa media apparet mentem à nihilo ſuo debito deflexiſſe, ſeque ut ſui Dominam, principium, ſcopum, abſurde ſpectare, & regere velle. Iſta vero particularia mittimus. Sufficiat hic advertiſſe, quam certo Deus, qui ſuum placitum certiſſime novit, hancce etiam ſecundum illius reales operationes diverſitatem accidentem prævideat; & quam ſancte præſideat ille tanquam Rector iſti diverſitati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſecundum abſcondita Sapientiæ & Juſtitiæ ſuæ judicia variandæ: ſiquidem prout plus vel minus realitatis hoc vel illo modo, tempore, circumſtantia operari vult, appareat peccatum per hanc aut per illam viam, ejuſve apparentia per aliam reprimatur, vel, prout placet illi, plane tollatur. Sic via hominis, etiam peccantis, (media per quæ peccatum ſuum vadat, prodeat, appareat, unde diverſæ vitiorum denominationes) non eſt ejus; nec paſſus ſui (actus apparentiæ, quoties hoc vel illo modo appareat,) etiam ſui non ſunt, ut divinum ait oraculum. Quod ſi quis peccando putet ſe Dei regimini poſſe ſubduci, quia (ut de indifferentia poſitiva dicebatur) id ſibi ſentire videtur, fallitur omnino; eique præter opinionem nihilominus ſubjicietur, imo Deum, ejuſque attributa, (quod nolebat peccans) repræſentabit nolens, etſi alio modo, ad eundem tamen finem ſummum & bonum. Nam nihil poteſt à Deo evadere & elabi: Impoſſibile eſt creaturam ſeſe à Dei Potentia ſubducere, & independentem facere: manet igitur, quicquid ei videatur, totaliter ſub ejus regimine. Quia vero quicquid à Deo regitur, id bene eatenus regitur & fit; hinc Deus ex iſtis bonum elicit, omniaque in finem bonum, ſibique glorioſum & convenientem, non obſtante peccato illis permixto convertit. Tenebræ ſunt ipſi Lux, vel Lucis ejus pulchritudinem commendant. Et facile eſt attendenti divina attributa omnia ex inſpectione peccati ſuo modo, eoque vere admirabili, illuſtrare.

XIII. Quod ſi quis ultimo quærat, Annon Deus potuiſſet indifferentiam illam negativam ex Mente tollere, ita ut hæc ſemper ſe reſpectu ſui ut nihil habuiſſet? & cur eam non ſuſtulerit? Reſponſum habeat, potuiſſe quidem, ſed non decere τὸ nihil, vel ens ſtultum, obmurmurare Enti ſapientiſſimo; non fuiſſe Deum obligatum ut eam tolleret; ut neque etiam illa mala eſt, ſed ejus non-rectus uſus, ad quem Deus nullam dedit occaſionem: quin contra, monuit Mentem ex creatione, ex conſervatione, ex Idea Dei, ex ſui ipſius forma limitata, ad alium tendente, ab alio exiſtente, quod ea ex ſe ipſa reſpectuque ſui ſit nihil omni modo & tempore. Imo, qui ſcit ſe poſſe deficere, is minus occaſionis habet ſeſe habendi ut non-nihil, magiſque impellitur ad nihili ſui agnitionem: ut dicendum ſit, peccare fuiſſe difficilius quam non peccare: hoc quippe leve, facile, ad quod non-agere, non-operari à ſe, quod nihilo naturale eſt, ſufficiebat; illud durum, ad id vana conatuum ſpectra, violenta, & tamen caſſa naturæ nihili, ut ſic dicam, transgreſſio. quæ omnia neque bene poſſunt comprehendi neque exprimi, & hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

hinc peccato abſurditas ingens & inexcuſabilitas accedit. Hinc etiam peccatum per dolorem, laborem, pondus grave, parturire & parere inania, & ſimiles loquendi formulas, ſæpe notatur; ubi ſtatus ei oppoſitus per ſomnum, quietem, jugum leve, onus facile, deſignatur. Sunt & plura alia, quæ de peccato dicta, ex ejus idea hactenus expoſita poſſunt ſatis apte illuſtrari; nec alienum erit ſi eorum nonnulla ſequenti capite proponantur.

CAPUT VI.

Peccati proprietates ſive denominationes nonnullæ exponuntur.
1. *Quod ſit injuſtum.* 2. *Negatio Dei.* 3. *Privatio.* 4. *Adhærentia ſibi ipſi, appropriatio, propria voluntas, &c.* 5. *Superbia.* 6. *Peccator ut reputandus.*

I. PAtet ex dictis, Primo, Cur peccatum dicatur *injuſtum* & indecens. Nam ſive ego me ſpectem ut ſum opus Dei, abſurdum eſt ut me habeam pro non-opere Dei, vel pro opere mei, quod tamen fit, dum à me non-nihil eſſe volo, & à me ipſo regi; Sive ego me ſpectem quatenus opus mei ipſius ſum, hoc eſt, quatenus nihil omnino ſum, itidem injuſtum eſt ut non geram me erga me tanquam nihil.

II. Secundo, patet quomodo peccatum ſit *negatio Dei.* Deus omnium Rector, ſcopus, principium, ſolus aliquid à ſe, unus & idem eſt: & ſic repræſentatur per formam Mentis meæ, quatenus hæc per illum eſt limitata, ad illum tendit, ab illo eſt poſita. At dum non maneo in nihilo decenti, ſed me tento limitare vel non limitare per me, ut mihi, qui nihil ſum, videtur; tunc Deum Rectorem tollo; & cum me, qui nihil, pro ſcopo habeo, tollo Deum Scopum; denique cum tanquam à me agere prætendo, nego in me Deum Principium: hoc eſt, improbe nego Deum. Hinc licet advertere quanta ſint in nobis peccato infecta. Omnis actus corporis vel mentis hanc vel futuram vitam ſpectans, unde abeſt Deus Rector, Finis, Principium, peccato commaculatus eſt. Facultas ſive corporis, ſive Mentis, bona eſt, objectum bonum, actus bonus, ſed negatio Dei, non-relatio ad illum per poſitionem abſurdam mei qui nihil ſum, mala eſt. Exempli gratia: facultas & actio gaudendi, bonæ ſunt, ſcientia vel divitiæ materiales, etiam bonæ; ſed ſi de illis gaudeo ſine Deo, id eſt, ob me ipſum, quoniam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

hoc mihi gratum videtur, idque forte me ipſum mihi aliiſve commendando inſervire puto, non autem quoniam hoc per Deum ita accidit & diſpenſatum eſt, & Deum repræſentat, ei inſervire impendique debet; peccatum in iſta abſentia Dei, cujus vices inane phantaſiæ propriæ idolum ſuſtinere ſibi videtur, includitur. Hæc eſt negatio Dei quam omnibus peccatoribus ineſſe ait Divinus Pſaltes: Stultus dicit in corde ſuo, non eſt Deus: item, in omnibus ejus cogitationibus non Deus eſt. Quod de explicita & reflexa Dei exiſtentiæ negatione interpretari ſtrictum nimis eſſet. Adverte ex hac occaſione quid vero ſenſu ſit Deum, Dei nomen, (Chriſtum quoque) affirmare, confiteri, profiteri: nempe, eum Solum Principium, Finem, Rectorem omnium vere, intus & extus, habere.

III. Videre eſt tertio, quomodo Peccatum ſit *privatio*. Eſt privatio ſive abſentia indebita iſtius ſtatus nihili in quo debebam permanere. Eſt & privatio ſeu abſentia indebita operationis Dei in me. Non quod Deus in me operari debuerit vel ad id obligatus fuerit: Sed cum ejus ex liberalitate operatio abſit mea culpa, abſentia hoc reſpectu indebita dicitur, & recte indebita, quia ea abſentia pugnat cum forma mentis meæ, eamque quantum in ſe eſt tollit & negat. Forma quam Mens à Deo recepit, eſt, ut vidi, (1) Limitari aut etiam augeri,& variari ſecundum Dei placitum, ſive poni & exerceri ab illo in ſtatibus diverſis, modo plus, modo minus realitatis habentibus. (2) Ad illum tendere, (3) ab illo plane pendere: Ego vero peccans ei repugno, cum me habeam ut non per Deum, non ad illum, non ab illo: adeoque in me peccante eſt mei ipſius, quatenus opus Dei ſum, meæ formæ, vel ſaltem ejus complementi dignioris, privatio. Hinc Mens peccatrix eſt revera monſtrum informe ſive abſque forma.

IV. Quarto, eluceſcit inde quam energetice peccatum dicatur *adhærentia ſibi ipſi, ſibi placere, propria voluntas, appropriatio, furtum*, &c. quorum nil verbo adhærere ſibi ſignificantius eſt. Nam his formulis notatur ſpectrum illud inane quod negati Dei & expulſæ nihili debitæ præſentiæ vices gerit. Nempe cum Mens peccat, ſe non prætermittit, ſe ipſam non habet & tenet ut decet id quod à ſe ipſo nihil eſt; ſed ſe ponit acſi aliquid à ſe, ad ſe & per ſe eſſet, continuanſque hoc tenore, quicquid habet facultatum & actuum iſta ſui larva inficit. quod proprie eſt actu & habitu adhærere ſibi. Imo vero, cum ſe conſiderat ut opus Dei, & conſervandum opus, ſi ſe ſui conſervandi cauſa ſpectet, adhibeatque omnia, & ſæpe quidem ex placito, tanquam media conſervationis ſuæ, ut ſi ego
ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ad me venio, ſiſto me meæ durationis Judicem & directorem, peto à me (ut à principio) quæ optima & mihi placita vivendi ratio? eligo eam quæ mentem & corpus honore, copia, gratoque ſenſu demulcent, quæque à probris, inopia, doloribus, removeantur; ſtatuo ſcientiæ ſeu cognitionis, amoris, odii, triſtitiæ, gaudii, aliarumque facultatum & paſſionum qualia mihi, non autem qualia Deo, ejus placito, diſpenſatricique providentiæ, videntur objecta; tunc mea Mens adhæret ſibi ipſi, ſeque ſibi ipſi vendicat, & quaſi ſuum ipſius opus eſſet à ſe & ob ſe curandum atque regendum per media quæ tanquam ſua uſurpat, ſe propriam, ſe ſui juris, ſibique habet, furtumque adeo committit. Atque hoc à peccato ut explicitum eſt, venit: nempe ſe abſurde ponit Mens pro directrice fine & principio, cum ſit nihil horum reſpectu. Sed & interdum accidit ut nobis videamur adhærere Deo, cum miſerrime ſumus noſtri mancipia. Nam ſi ſpiritualibus bonis, notitiis, meditationibus, precibus, ipſique Dei amori atque placito ita dedar, ut ſic commodum mei in hac futuraque vita intendam allectus ſenſu iſtorum grato, vel timore incommodorum oppoſitorum perculſus; tunc non tam Deo quam mihi adhæreo: illi ut medio quidem, mihi vero ut fini cujus gratia medium curatur & expetitur affigor: hoc eſt, Deo adhærere volo quia mihi prius adhæreſco magiſque adhæreſcere cupio; me talem habeo cujus gratia Deus & omnia cætera exiſtant. Sic adhibetur Deus tanquam ſcala & gradus qui ſubjiciuntur ut ad faſtigium commodi proprii fiat aſcenſus. Sic is peccator qui reſpectu rerum omnium non eſt tantus quantus eſt capillus ad humanum corpus, abſurdius agit quam ſi omnia corporis ex unius capilli commodo menſurarentur, perinde quaſi corpus factum fuiſſet ut capillus unus nutriretur; menſque corpori illi eſſet juncta ut pilus is bene & curaretur & gubernaretur. Cavendum eſt autem ne quis ſibi adhæreat mox ut principio, mox ut medio, mox ut fini, aut tribus iſtis modis, aut ſolum uni, altero ex his ad Deum relato. Si velim quædam bona ob Deum & ad illum ſolum, & tamen ſpectem me, meas reſolutiones, promiſſiones, induſtriam, habitus, ut principium agens; tunc amplectens Deum finem mihi adhæreo ut principio. Si adhærens Deo ut principio, ut ille ex vi ſua faciat ea quæ me delectent, tunc Deum pro principio habens adhæreo mihi ut ſcopo. Denique ſi Deum finem & principium intuens velim ea quæ is in me ob ſe facturus eſt, fieri ſecundum meam ratiocinationem, phantaſiam, vias; tunc mihi ut medio adhæreo, tolloque, ut mox dixi, Deum jam finem, jam principium, jam medium, per adhærentiam amplexumque

vaniſſi-

vaniſſimi idoli mei ipſius. Quamvis autem & in adhærentia rebus aliis peccatum conſiſtere videatur, ut cum homo ſibi non fidens bona vel apparentia vel vera non putat ſe poſſe conſequi ſine aliorum ſtudio, induſtria, opere, favore, perinde quaſi ſine illis impotens eſſet Deus; attamen quia hæc ex propria cujuſque phantaſia vim illam ſuam mutuantur, refunduntur in adhærentiam cujuſque ſuam ſibi ipſi. Omne quod eſt in Creaturæ ſtatu, conſervatione, actione, regimine, cujus ratio à creatura reddenda allegatur *Ego*, ego volo, mihi placet, & ejuſmodi, non vero, nec vere Dei placitum, peccaminoſum eſt. Iſtud *Ego*, cui adhæretur, peſſima poſitio eſt Idoli Zelotypiæ.

V. Quinto, clarum eſt & ex his recte peccatum *Superbiæ* nomine deſignari, ſiquidem hæc nihil aliud ſit quam plus de ſe ſentire atque æquum eſt, veritatem excedere in opinione ſui ipſius de ſe aut regimine ſui: quod à peccante fit dum nihilum ſuum deſerens, ſibi non-nihil à ſe eſſe videtur, aut ſui ipſius inſpectione, aut cum aliis comparatione, atque dum ſe gerit tanquam eſſet aliquid magni. Quomodo etiam, ut viſum eſt, negatur & pellitur Deus ut ejus locum peccans quaſi dignior eſſet, occupet. Recurſus Mentis ad Deum ut ad medium quoad ſcopum, quem Mens peccans ſui ipſius commodum ſtatuit, perveniatur, cum ponat Deum Mente inferiorem, jure ut deteſtanda ſuperbia habendus eſt. Reputa hinc quid ſit vera humilitas, quanta ejus ſit neceſſitas, & quam vere omnem illa virtutem includere dicatur. vid: Geuling: Ethic:

VI. Denique hinc ſcitur quod peccator ſe non modo ut nihil debeat reputare, ſe omittere, prætermittere, abnegare: ſed etiam ſe odio habere, ſibi indignari, ſe deteſtari, à ſe horrere, ſibi contrariari & inimicus eſſe cum luctu & dolore. Nam ſi in ſtatu inculpato manſiſſet, tunc quidem ſe ut nihil ſpectare ſimpliciter debuiſſet, nec dubium eſt quin priori hoc modo puræ Angelorum Mentes ſe gerant, ſeque ipſas, utpote quæ per ſe merum nihil ſunt, nilque ex ſe omnino habent, etiam ut nihil ſpectantes, nil quoque de ſe prorſus prætendant. At vero id quod à ſe pejus nihilo eſt, nempe peccatorem, à quo non modo nil boni, nil quo ſe Deo gratum exhibeat proficiſci poteſt; ſed etiam à quo quicquid eſt, magis nihilo rejectaneum eſt, qui ut talis nil à ſe proprii habet niſi quod nihilo eſt deterius & Deo injurioſius magiſque inimicum; talem, inquam, decet ut minus nihilo tractari, hoc eſt, ſumma averſatione, ſummiſque, qua talis eſt, querelis, proſequi, & tam abominandum cenſeri, quam ejus oppoſitum, quod eo tollebatur, Deus videlicet cum ejus placito, amari atque optari debet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

CAPUT ULTIMUM.

1. 2. 3. 4. *Pauca de extenſione vel repreſſione peccati in actionibus & in radice.* 5. 6. *De diſcrimine inter peccata proborum & improborum.* 7. *De certitudine ſui ſtatus.* 8. *Concluſio omnium.*

I. VIdere eſt, tum ex hactenus deductis, cum ex aliis quæ poſſent quidem, at quæ non neceſſe eſt allegari, peccati ideam, prout expoſita eſt, maxime inſervire ut de eo recte judicetur & noſcat quiſque quouſque vel ab illo liber eſt, vel illi mancipatus. Fallitur vulgus de illo ſecundum externum, apparentias, imo actiones ſplendidiores, quæ quoſvis, etiam maxime ſtupidos, feriunt atque commovent, judicia ſua componens, quaſi peccati natura in corticibus hiſce conſiſteret. Ea vita ut proba decantatur quæ in oculis hominum nil probitatem (hoc eſt, mores eorum, judicia quæ de bono, quæque ſæpe peſſima) offendens oſtentat: At prout magis minuſve ea extus producit quæ ab illis deſciſcunt, ea quoque magis minuſve mala cenſetur. Neque modo alius de alio ita cenſet, ſed &, quod pejus eſt, quiſque de ſe ipſo. Quod quid aliud eſt quam turpiter ſe ipſum decipere? Ad radices uſque cogitationum intimas principiaque Entis & nihili deſcendendum eſt in conſpectu Entis ſummi, & tunc demum quid inter probum & improbum, peccatum majus minuſve interſit diſcriminis, clarum fiet. Tunc forte nonnulli, aliorum ſuaque opinione juſtiſſimi probiſſimique, ſeſe continuo peccantes eſſe eo modo agnoſcere poſſent: Sed quotuſquiſque eſt qui ſtudeat ut ſua ſibi turpitudo nota ſit & perſpecta?

II. Sunt quorum peccatum eſt quid interrupte durans & permanens, à quibus continuo abeſt debitum ſuum nihil, abeſt omiſſio ſui cujusque ut exiſtentis, non-ſcopi, non-principii, non-Domini; abeſt conſequenter Deus omnia, Deus Scopus, Deus Principium atque Dominus; adeſt ſui ipſius cujuſque acſi aliquid eſſet, caſſa umbra, eaque in omnibus actionibus, propoſitis, votis, amore, electione, cæteriſque ejuſmodi: qui ſi ſuum nihil interdum patiantur intervenire, admittendo ſe nihil eſſe vel poſſe à ſe, vel mereri, ſimiliaque, ſic intendunt ut idolo ſuo aliquid acquirant à Deo vel ab hominibus, atque ut illud hacce veluti humilitatis umbra, conſpicatius reddant: Deum quoque, undique circumſtantem & ingredi paratum, intereſſe forte permittant, at

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cum ut medium, ut ſervum, ut executorem ſuæ libidinis, non autem, (qualem prærogativam ſuo phantaſmati ſervant) ut omnium Principium, Directorem, finemque unum. Talium peccata non ita ſunt enumeranda quaſi eſſent actus interrupti, huc illucve ſparſim & ex interrupto per eorum vitam diſſeminati, quemadmodum externa quædam irregularia interdum perpetrant: Sed tota eorum vita unum, idque continuum peccatum eſt, idve involvit, ſiquidem una debiti abſentia, indebiti præſentia, continuo durent. Ergo quicquid ejuſmodi Mentes agant vel omittant, apparenter probe vel apparenter improbe, (perinde enim eſt in hac diſquiſitione) peccant. Earum ignorantia, notitia, amor, ſenſus, paſſiones, propoſita, non quidem materialiter mala ſunt, ſed malo ſunt contaminata, quippe quæ extra reſpectum ad Deum ſint, & ex rationibus atque motivis alienis, iiſque diverſis, prout ea ſibi quiſque diverſimode finxit ex variis occaſionibus: quæ tamen omnia in unam peccati ideam facile eſt reſolvere. Itaque, ſive Deum tales ignorent, peccant, ex adhærentia negligentiæ ſuæ; ſeu eum etiam noſcant, peccant, notitiam ejus injuſte acquirendo & detinendo, vel quia curioſi, vel quia docti, aut Sancti, aut Deo familiares, eique quaſi à ſecretis haberi à ſe vel ab aliis volunt. Peccant non precantes, nam deſeritur Deus; peccant precantes, hoc eſt, concupiſcentias ſuas coram Deo effundentes, ut is cum illis conſentiat, eaſque impleat. Peccant temperantia atque ſobrietate utendo, quo nempe ſui idolum, ad quod omnia referunt, diutius duret, vel ut ſobrium celebretur; Sed & intemperantia peccant, voluptatem pro vitæ agendæ Conſultatrice & Rectrice eligentes. Peccant eleemoſynas erogando, nam ſe ipſos ſpectantes, Deum ad ſua commoda ſic flectere arbitrantur, ejuſve judicia in eos debita donariis corrumpere prætentant; etiam avaritia & cordis duritie eos peccare non eſt dubium, & obſcurum. Seu operentur, ſeu otientur, peccant; ab illo nihilum ſui, totumque Dei, abſunt; adeſt huic ſuæ mollitiei poſitio. Sontes puniunt, fures, homicidas, Atheos, blaſphemos? nil minus peccant. Sui ipſius, ſuarum commoditatum proprius amor, ne illis etiam noceatur; item cupiditas ut ſibi aliiſque tanquam Zelo Divino ferventes videantur, eos regit: Sin impunitos dimittunt, ſceleri conſentientes ejus rei quoque evadunt. Quid ultra dicam, niſi cum Sacris, nil boni illis ineſſe, malam arborem fructus bonos ferre non poſſe, eos ad omne bonum opus ineptos, nihilque puri in impuris eſſe? Quocunque ſe vertant, quacunque veſte, apparentia, etiam ſanctiſſima & Angelica, tegantur, peccati fontem ferunt quaquaverſum rivulos derivantem, quibus omnia, omnia prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

prorſus quæ in ipſis, non ex interrupto, ſed uno tractu continuo inficiuntur. Totus ejuſmodi vitæ decurſus, quæ ad Deum ut decet non refertur, Deum quantum in ſe eſt, tollit; nihilque debite Deum fatetur niſi vel indirecte, ut ſtatus nihili debitus, vel directe, ut omne reale quod in creatura eſt, confiteatur in re ipſa Deum eſſe ſolum omnia à ſe, ad ſe, & per ſe operantem. Adhibere continuo bonum opuſque alienum ſine Authore & poſſeſſore ſuo, inconſulto illo, atque ad illum quantum fieri poteſt tollendum, continuus hoſtilitatis actus eſt: quod facit peccator, mente, corpore, tempore, creaturiſque plurimis utens, etiamſi eo modo qui homines extrinſecus non offendat: nec datur ab illo liberari, & in amicitiam cum Ente Summo redire niſi per ſui ipſius cujuſque peccatoris odium, conditamque dolore diſplicentiam, atque etiam duraturi æternum nihili, in quo coram Deo nos eſſe decet, reſtitutionem: ſiquidem horum indebita abſentia, peccati principia, fomenta, & incrementa ſint; præſentia vero, area operationum Dei.

III. Nolim tamen concludi, omnes qui pro vere dolentibus, ſeque abnegantibus habendi ſint, eos demum eſſe qui prorſus non amplius peccant, adeoque neminem aliquatenus peccato obnoxium extra ſtatum peccati eſſe. Sed, inquies, cur hoc non eſſet? Cur ex uno Mentis actu quo illa primo ad peccatum ſe contulit, ſecuta ſunt talis continuatio habituſque peccati, ut mens inepta inde ſit facta ad oppoſitum, atque pure peccatrix, ſine ulla juſtitiæ mixtura ſit conſtituta; neque eodem modo ex uno odii ſui, ſuæ abnegationis, divinæque operationis actu (ſi vere is adeſt) reddatur ita inepta ad peccandum, ut peccatum plane non amplius intermiſceatur, ſed mera juſtitia? Nonne videtur, niſi hoc ita ſit, bonum eſſe impotentius & imperfectius malo? Atqui ſi in ſtatu abnegationis rediret peccatum, nonne eo ipſo, ut poſt primum peccatum factum eſt, rediret ſtatus habitualis iniquitatis meræ? Rediret certe, ut hoc hic antecedenter reſpondeam, niſi Deus potenti ſua gratia illud impediret. Sed de hiſce omnibus dico, non ita de malo ac de mali eradicatione & de boni poſitione, eſſe judicandum: Nam malum non debet ſuſtentari poſitive ut duret, ſed ſemel admiſſum, perpetuo, per ſe, ſine ulla cauſa poſitiva, ſine Deo, durat mere & conſtanter, modo plane ſibi ſinatur, (quod non eſt in ipſo perfectio ulla, ſed imperfectio ingens.) Sed non ita eſt de eradicatione mali & de poſitione boni, quæ cauſam quammaxime poſitivam requirunt; nam inceptæ à potentiſſima cauſa, ſi per eam non continuentur, ceſſant; & ſemel poſitæ, non ſeſe ſuſtentant, ſed continuo ab alio reproduci debent, à Deo nempe, qui ex placito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

agens, regulas, modum, menſuram ſuis operationibus in initio & continuatione ſtatuit, ita ut nil impediat, quominus velit aliquid incipere & augere interruptim & gradatim, & nihilominus id vere conſtanterque agere, & ad conſummationem tandem perducere: privationem non ſtatim primo momento ejicere, ſublimiaque operari; Sed prius, & nonnunquam diu, per infirmia craſſaque incipere, quæ craſſiora quibus inerat peccatum aggrediantur, impugnent, & paulatim vincant; tum ſenſim ſublimiora fortioraque ponere, quæ in robuſtiora mali prælientur, donec tandem victoria obtenta, id pace Divina fruatur quod in Mente à parte Divina ſtat. Hinc in primis, imo & in mediis mentium reſtituendarum reparationis periodis pauſæ, hiatus olim implendi, infirmitates poſtmodum ſanandæ, à Deo, & quidem ſapientiſſimis de cauſis, ad noſtri agnitionem, ad hoc ut magis nobis diffidamus, nos ut nihil, ut minus nihilo abnegemus, ad cautelam, ſtimulum ad preces, ad humilitatem, aliorum compaſſionem, &c. denique ad ejus gloriam, relinquuntur. Quare non eſt quod ea Mens quæ mali odio Deique amore tangitur, cum non videt in ſe tantam operationum Dei abundantiam, ſed infirmitates animadvertit, animum plane deſpondeat, multoque minus in Deum murmuret, aut cum eo expoſtulet: quin decet nos, dolere quidem quod noſtra culpa adſint mala, deſintque bona, quæ, niſi peccaſſemus, nobis fuiſſent data: at ſi reſpiciamus ad Deum juſte ſic de gratia ſua peccatori non debita diſponentem, judicia ejus de nobis cum ſilentio, acquieſcentia & adoratione revereri. Et certe in hoc ipſo latet maxima ſui abnegatio, atque Dei operatio.

IV. Omnino, quicquid ſit de reliquiis peccati in illis quos Deus aſſumit reparandos, non permittit ille fundum Mentis intimum & ultimum, ut ſic dicam, à malo tangi; nec conſcientiam cum intelligentia, niſi maxime extraordinarie, idque nec directe, commaculari; neque majorem vitæ partem, habituſque, eo ligari & teneri. Præſidet in mentis intimis ſui ipſius (peccatoris aſſumpti) odium, utut debili, tamen ſincero modo, adeſt nihilum ſui, reflexio ad hæc frequenter iterata, unde habitus gignantur; adſunt & quamplurimæ aliæ Dei operationes, notitiæ, amor, quibus Deus Principium, medium, ſcopus omnium, in mente ſit. At cum Mentis natura, qualem hic ſtatuit Deus, non patiatur ut ſemper directe ad unum objectum, puta Deum, fiat actualis & expreſſa reflexio, (quis enim vel in rebus unde abeſt peccatum requirat hanc continuo adeſſe, ſiquidem intentio vel habitus referendi ea ad Deum, in quibus ob cogitationis limites de Deo actu non cogitatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſufficiat?) Cum etiam Mentis cogitationes interdum corpus neceſſario detineat, cum denique noluerit Deus ſimul & ſemel omnem ignorantiam, omnem mali habitus plicam, ex mente profligare, omneque bonum ſtatim operari, hinc illi in mente interdum languores atque defectus, quibus tamen ita admirabiliter utitur optimus Deus, ut inſerviant tanquam murus, ut ne peccatum ad fundum Mentis inſanabiliter penetret. Cogita quæſo, Mentis ampliſſimam celerrimamque cogitandi facultatem, qua illa vel ſemper, vel ſæpe, ad Deum reflectere poſſit; libertatem, qua à corpore nullo invita detineatur; ſcientiam, qua ignorantia non obnubiletur; plenam ſpontaneitatem, quæ præcedentibus pravorum habituum plicis, variiſque & quaſi invitis impulſionibus, non alliciatur; quod hæc, ubi peccatum ſuperaccidit, illis profuerint qui ea habuerunt, niſi quod omnia totaliter & profunde devaſtata inſanabile ſubjectum reddiderint: ut patet in Mentibus Angelicis; quæ cum hiſce prærogativis eſſent præditæ, peccatum, ſed non delendum, admiſerunt? At ſi peccatum accidat ubi limites cogitandi ſtricti ſunt, ubi corpus cogitationem neceſſario detinet, ita ut eo tempore de Deo nequeat cogitare, tunc hiſce impeditum eſt ne ex intima Mentis petulantia oblivioni deſtinatus ſit Deus, neve ex liberrima electione & libidine terrena præ illo admiſſa ſint: Si, ubi ignorantia ſupereſt, cavetur hoc modo ne intelligentia & conſcientia funditus malo penetrentur, quod fieret, ſi clara ſemper adeſſet notitia; denique ſi peccetur ubi malorum præteritorum horumque habituum plicæ, impetum in mentem præter voluntatem & ſæpe cum gemitu hæc patientem faciunt, præpeditur ne voluntatis purus intimuſque conſenſus violetur ex mere ſpontaneo lubitu malum amplexandi. Atque ſic Intelligentiæ, Voluntatis, Mentiſque adeo intima ita ſervantur, ut peccatum accedens, in ea quæ magis externa ſunt impingat, vimque ſuam, ut Serpens in calcem, exerat, imo exſpiret, interioribus ſecretius reconditis. Sic admirandus Deus tenebras circa tabernaculum ſuum, Mentem in qua maneat, diſponit, iiſque ad ejus cuſtodiam utitur. Ita ſunt ejus viæ admirabiliter benignæ, ut ubi ſæpe putamus debitum fere eſſe querelæ locum, gratiæ ei agendæ ſint tantæ ut captum noſtrum excedant. Interim hoc nollem accipi quaſi ad peccatum palliandum, eive patrocinandum eſſent dicta. Nemo non tenet Diabolica peccata mere humanis eſſe atrociora; & inter humana, ea quæ ſcienter, mere, ſponte, & nullo impulſu violento, præponderare illis quæ ſecus fiunt; perfectiorumque lapſus graviores & fere immedicabiles eſſe. Quod hic obiter illuſtrare, intentum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

V. Neque eſt quod improbi ſeſe cum probis jungi putent, eo quod utrique in nonnullis convenire dicantur. Doctus & indoctus ſæpe eouſque conveniunt, ut uterque de ſcientiis interdum non cogitet, uterque circa aliquid ſimile occupetur, aliquid ſimile agat, imo uterque eodem errore inficiatur, ut cum uterque intuens Solem, extemplo eam de illo admittit cogitationem quæ illum ſiſtit acſi non eſſet major quam apparet. At ſi ad intimam uſque mentis, habituum, actuumque ordinariorum & præcipuorum diſpoſitionem veniatur, quanta inter utrumque differentia! Ita etiam, imo & magis, differunt probi, qui interdum in actu, & improbi qui ſemper in ſtatu peccaminoſo ſunt, eorum quoque inter ſeſe peccata. Eſt lapſus juſti in ſubjecto, in Mente, cujus intimum, principium, habitus, propoſita, & maximus vitæ agendæ modus, bona atque Divina ſunt. Deinde in eo non perſeverat, ſed mens ab eo ſtatim deflectit ad Deum, haud ſecus ac acus magnete tacta, quæ violento impedimento à directione ſua detorta & humi detenta, retento nihilominus in ſe viæ ſuæ principio, ſtatim atque ſibi in libero aëre redditur & erigitur, polum ſuum continuo reſpicit. Denique indies diminuitur, donec ad perfectionis eam menſuram, qua hic frui per divinam gratiam licet, attingat. Eſt peccator reſipiſcens quaſi infans qui inobedientiam ſuam, deſertionemque paternæ voluntatis ſerio abominatus, affectus proprios non amplius ſequi paratus, ex amore Patris tenerrimo domum redit, laboremque à Patre aſſignatum deſudat; at quia ex præterita deſidia membra habet minus agilia & aſſueta labori quam ſi nunquam exiiſſet, fuiſſetque paſſus ſe à Patre exercitari, hinc in labore reſumendo lente initio procedit, pauſatur, multa errata admittit, ſunt tamen ea non in deſtruendo ſed in conſtruendo opere Paterno; non ſtudio, ſed invite aut incogitanter; non ſemper, ſed ex intervallo, ſed quam minime poteſt, ſed indies corrigitur, donec tandem ad perfectionem evadat operationis Paternæ. Cæteri per plateas civitatis diſcurſitant, voluntarie ignorantes & otioſi, aut etiam iis dediti quæ ſunt Domino odioſa.

VI. Ex his patet quid de juſtorum peccatis eorumque apparentiis ſit cogitandum; quibus ſi ſibi adulando abutantur improbi Dei neglectores, ſui vero curatores, quid demum eſt quo abuti non poſſint? Quod attinet ad operationes Divinas in quibus ſui magis magiſque exercentur donec perficiantur, eas docebit ipſe Deus, operabiturque in illis. Atque ut de eorum corporum regimine verbum fiat, extra dubium eſt Deum ſic corpus per Mentem recturum, ut hæc per illud à Deo non alienetur; cumque proximi (ut de modo erga illos agendi non taceatur) non poſſint cogi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

cogitationes operationeſque Divinas in ſancta tali mente inſpicere, ut eis ducantur ad Deum, efficiet Deus ut Sancta Mens has illis faciat certis ſignis in corpore apparere, ita diſponendo de lingua, deque membris omnibus, de externis bonis, de vita externa, ut illi nil ibi conſpicati quod non tendat ad Deum ſolum per prætermiſſionem omnium quæ ipſe non ſunt, excitentur ad ſimilis vitæ ſtudium, cujus modus & forma Deo placens proſtat in illa humanitate quam Deus ipſe ſibi conjunctiſſime univit, in Θεανθρώπῳ Jeſu Chriſto, qui vitam vixit ſimplicem, humilem, patientem, vim neſcientem, non mollem, non ſplendidam, quæ adhæſionem creaturis, rebus terreſtribus, ſenſibus, voluptatibus, paſſionibus, honori gloriæque mundi, prudentiæ ſeculi, artificiis & ſubtilitatibus diſcurſuum & ſcientiarum mundanarum; omnes formas viles & terreſtres cogitationum, & ſimilia quæcunque in quibus ſolent ſe quærere homines, quæque ſtatum abnegationis neceſſarium removent, conculcavit; ut diſceret homo ſe in omnibus deſerere, nullis hærere, ſui ſcopus & motivum non eſſe, ut Divina forma pro Dei placito in illo, quamvis eo modo qui ſæpe informis, vilis, amarus, ingratus, apparet, reſtituatur. Qua vivendi ratione, aut ſi mavis, Religione, nulla magis vere evidenterque rationalis eſt.

VII. Interim, quæ noſtra eſt cæcitas, fatendum difficile eſſe non falli, non dicam in judicando in genere & abſtracte, ut hic, de ſtatu peccati, nihili, operationumque Dei; ſed in ſui cujuſque & aliorum ſubjectiva agnitione. Nonnulli interdum de ſe putant ſibi male eſſe, cum bene eſt; interdum bene, cum peſſime ſe habent. De aliis invidia, aut complacentia, vel morum conformitas, judicia pervertit. Quomodo igitur an peccatum, an vero operatio Dei in me, an in aliis, ſit recte certoque cognovero? Multi putant ſe peccato mortuos, ſe ſui abnegatores, ſe regenitos, ſe divinarum operationum plenos eſſe, & tamen falluntur. Præter ipſius Divinæ veritatis experientiam particularem, nil certi eſt. Etiam in naturalibus quamplurimi ſe doctiſſimos eſſe reputant, qui præter nugas nil poſſident. Quemadmodum nemo ſcit intime quid ſit veritas naturalis, quid ſit clara & diſtincta perceptio, niſi is qui revera illam poſſidet, etenim is demum certiſſimus eſt illam eſſe quam poſſidet, ſeque illam poſſidere, alios non ita diſpoſitos illa privari, (quanquam & errantes perſuaſiſſimi ſint ſuos errores eſſe veritatem, ſuos conceptus eſſe claros & diſtinctos) veritas enim modo aliquo qui errori inimitabilis eſt, mentem afficit, & radices cogitationis tangit, quo error non poteſt attingere, etſi non experti id non notent, vel etiam id ſe experiri putent; Sic ſolus ille qui veritatem ſupernaturalium Dei operationum expertus eſt & recepit, ſcit

vere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

vere quid illa ſit, & teſtari poteſt cum certitudine ſe non falli, & ſcit ſuum teſtimonium eſſe verum, Deumque eſſe in ſe ſingulari modo operantem: alteri vero id non experto, qui tamen putat eadem de ſe, error ſuus per perceptionem veritatis oppoſitæ non poteſt ab homine oſtendi; nam nemo ſic alterius intima commovere & afficere poteſt uti quidem ipſe à Deo afficitur. Et præterea, genus operationis Dei certiſſimum tale eſt ut Deus ſine ullo medio mentem afficiat eo modo qui ſibi propriiſſimus eſt & diverſiſſimus ab illis omnibus in quibus media intercedunt, quare hoc non poteſt ab ullo alteri oſtendi, demonſtrari, neque nominari, hoc eſt, verbis idea ejus excitari, ſiquidem omne medium reſpuat, aut non eſſet operatio Dei immediata cujus præſentiam ſiſtere Solius Dei meri, ut ſic dicam, & per ſe, ſine aliis, eſſet. Interim quemadmodum ſciens aliquando à ſcientia non afficitur actu; ſic ſæpe latent operationes Divinæ ſine directo ſenſu, & putantur abeſſe, unde Sanctiſſimorum querelæ lamentabiles, & tamen adſunt proxime veriſſimeque. Sed in hoc ultimo caſu, optimum eſt, non adhærere ſenſui operationum, nec ipſis quidem operationibus Dei quatenus eæ ad nos ſpectant, verum nil eligere, nil optare, velle, non dulcia, amara, magna, parva, ſpectabilia, deſpecta, ſcientiam, ignorantiam, latere, patere, mirabilia facere, vel non facere, ea videre aut ſecus; ſed abſolute, ſine conditione aut reſpectu ad nos, indeterminate, ſeſe Divino placito offerre, & peroptare ut illud, qualecunque Deo viſum ſit, fiat in nobis, de nobis, & à nobis ſive nobis conſentientibus. nam poſtea Deus ſuas diviniſſimas operationes ſimul cum illo manifeſtabit, tutiſſimeque eæ admittentur & cognoſcentur: at ſine hoc periculum eſt ne optimi quique ſuos pro illis amplectantur ſequanturque affectus. Si autem quæſtio ſit judicandi de aliorum ſtatu, id ab illis recte fieri non poteſt qui in malo ſunt. Multitudo quamdiu carnalis manet ea judicat quorum oppoſitum tenendum eſt: nam & ipſi Sophiſtæ, ubi quæſtio eſt de rebus facilioribus, nec concupiſcentiis hominum adverſantibus, dum ineptas nugas per tot ſecula hucuſque proponunt, coram turba, cæteris expulſis, triumphant. Quid igitur ubi de rebus altioris indaginis agetur?

VIII. Quanquam ut de hoc rerum ſtatu aliquid dicatur, operam dedit mundus, ne ſi lucem divinam per ſuos agnoſcere non licet, ſuæ tamen tenebræ, quas vel omnium manibus palpandas præbet, ignorentur, ut jam ſine difficultate animadverti poſſit mundum, opus hæreditatemque Dei, alienatum eſſe à Deo ſuo, & in rebellione obfirmatum maxime Atheum deveniſſe, in malo demerſum jacere, vanitati, quæ jam in regulas tranſiit, & pro morum probitate, honeſtate, & gloriandi materia habetur,

tur, totum ſubjici. Non attenderunt ad notitias communes in mentibus ſuis deſcriptas, & monita per Chriſtum Dominum ſuſq; deque habuerunt, & pejus quam ante fecerunt: Eum tanquam Patronum & Protectorem majoris nequitiæ, tanquam venerit ut qui daret materiam loquendi, concionandi, opinandi, adhibuerunt: ejus verba & teſſeras ita aſſumpſerunt, ut ſub illis ei rebellantes, ſibi ipſis vero ſervientes, ſe à judicio Dei eſſe tutos perſuadere ſibi poſſint. Sui Ductores atque Doctores præter opiniones, ſectas, diviſiones, diſputationes, ſcientias de theoria, ceremonias, externa, politico faſtu & affectu expoſita, nil aliud remedii plerumque obtruſerunt: paſſionem paſſione ejecerunt. Eos qui tanquam divino affinitatis nexu juncti, ſe fratres Chriſtianos appellavere, quique à Chriſto ſe redemptos profeſſi, ad ejus nutum & mandatum, quodcunque eſſet, utut eis duriſſimum & abſurdiſſimum appareret, corpus, Mentem, vitam, bona, quæ non ſuæ, ſed Domini diſpoſitionis erant, profundere debuiſſent, eos, inquam, ne cæteras iniquitates commemorem, præ aliis, nonobſtantibus Domini ſui in hocce patientiæ ſuæ regno prohibitionibus, mandatis, dogmatibus, parabolis, ſacramentis, vexillo amoris, precum formula, diſpoſitione teſtamenti ultima, ſuo denique exemplo, videre licuit ob terrenas quiſquilias in ſe ſævire, & quem Patrem communem vocabant, reclamare, quo ipſis de animo, de gladiis, de furore proſpiceret, ut animoſe omnia cæde ſociorum ſuorum implerent, & Patri eo ampliores canerent gratias, quo plures jugulaſſent, & quo perfectius & profundius divina Charitas in eorum cordibus eſſet exſtincta: Et hæc hactenus, & etiamnum ſe ita habent, probanturque ab omnibus, ab illis etiam qui ſunt, ſi credere fas eſt, luminaria mundi. O tempora! quo genuinus evanuit Chriſtianiſmus, ut ne quidem Ethniciſmo moderatiori ſuperſit locus? Sed quid exſpectandum, quamdiu, (quod fons mali eſt) quiſque putat ſe habere jus de ſe deque rebus aliis, vel omnibus, vel quibuſdam, diſponendi ad placitum ſuum, & ita quidem ut multi ſibi imaginentur ſe id juris habere à Deo vel à natura? Quid autem eſt Deum in Authorem peccati efficere, niſi hoc ſit? Scilicet Deus proprium hominis Idolum ejuſque cultum & regulas, ut id agat, & de ſe aliiſque diſponat ex principio ſui placiti, & ad ſe, & ob ſe, quia ei placet, ſtatuerit, & effecerit! Et hæc diverſimode mixta & tranſlata, legitima fuerint Societatis humanæ, (ſi cæcum aliquem ſequi licet) fundamenta! Imo certe Babylonicæ Civitatis, quæ una jam fere ita ubique obtinet, ut in illa à bonis ſerviatur, & quibuſcunque impiis, parvis & magnis, idola ſua laudantibus; adminiſtrentur in vaſis Domini, (quorum uſus diſcriminis ſigna inter pios impioſque eſſe de-

 beret

beret,) ea, qui inebriandis ipſis magis magiſque inſerviunt: tanta eſt ſervitutis calamitas: ut niſi cito veneris, ô Reparator omnium Deus, in quem unum oculi tuorum ſunt defixi, opera tua extremam ruinam videantur paſſura. Atque utinam, uti equidem promiſiſti, ô Deus verax, mox operaturus adſis, ut deletis noſtris ſceleribus, reductis nobis per odium noſtri ad nihili ſtatum debitum in nobis efficias, cæteris omnibus tanquam quiſquiliis dimiſſis, unum Tui, ut in Sancta humanitate ſpectandum Te præbuiſti, ſtudium; noſque tanquam infantulos qui omnia deinceps ignorare velimus ut tibi uni committamur, aſſumas in diſcipulos tui Spiritus ab illo docendos quæ reſervaſti amantibus Te; quo ſic expulſo vano noſtri phantaſmate tu ſolus in omnia regnes, omnia poſſideas, impleas, operum tuorum perfectione ſis omnia in omnibus. Domine, velis quoque pro beneplacito tuo quicquid hic boni eſt (nam ſi quid eſt, à te totum eſt) benigne acceptare; & quicquid mali in his eſt commiſſum, etſi quid te non decens ſit dictum, non imputare; & omnia ad laudem & gloriam Nominis tui promovendam adhibere: non quod putem quod tu verbis ejuſmodi arte, pro hodierna conſuetudine, nec ſine tædio ita compoſitis, egeas, & ſcis me non intendere ut homines inde affectent artificialem de te ſcientiam atque notitiam. Sed ſi quid boni venire poſſit ex Philoſophandi, ut inter homines vocatur, ſtudio, veriore & ſinceriore, id intendebam tibi, Deus, offerre in Sacrificium, ut ſi qui ex iis qui ſapere in ſtudiis prætendentes ſæpe ſtulteſcunt, inſpiciant cogitationes ad te aſcendere, ii relictis verborum, apparentiarum & imperfectionum quæ hic ſunt cineribus, pelle, imo & excrementis & fumo; ſequendo vero, ſi quis eſt ſenſus verſus ſuperiora, vigorem, oculos & cor ſic convertant ad te unum, Domine, qui per media, utut imperfecta ſint, nos ad te, ſic voluiſti, deducis; quique neque metalla, quanquam ex origine impuritatibus permixta, neque ea ſpolia quæ in Ægypto vanitati ſubjecta erant, ad tabernaculi Tui conſtructionem recuſaſti.

Rom. cap. XI. ℣. 36. *Ab ipſo, & per ipſum, & ad ipſum ſunt omnia. Ipſi Gloria in æternum. Amen.*

Si Rationi tuæ magis inniteris vel Induſtriæ, quam virtuti ſubjectivæ Jeſu Chriſti, raro & tarde eris homo illuminatus. Kempis Lib. I. cap. XIV.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

INDEX CAPITUM.

INTRODUCTIO.

§. 1. *Rei præcipuæ tractandæ dignitas & difficultas.* 2. *Media diverſa.* 3. *Quorum poſteriora hujus ſunt loci.* 4. *Res excludendæ.* 5. *Admittendæ.* 6. *Partitio operis in libros quatuor.* Pag. 1.

Liber I.

In quo obſtacula removentur quæ impediunt conceptus Rerum Spiritualium.

Cap. I. §. 1. *De notitia rerum ſpiritualium ſententiæ quinque.* 2. *Refellitur prima.* 3. 4. 5. *Repulſis hujus aſſertionis cauſis tribus.* 4

II. §. 1. *Secunda ſententia quæ eſt partim Hobbii.* 2. *refellitur ex ſuis hypotheſibus.* 3. *& ex rei veritate.* 4. *Ejus cauſæ effectiſque plurimis ut occurrendum.* 7

III. §. 1. *Tertiæ opinionis de notitia Spiritualium per ſenſus acquirenda, ejuſque ſequelarum abſurditas.* 2. *Senſus non ſunt efficiens vel exemplaris cauſa notitiæ.* 3. *nec occaſio neceſſaria.* 4. *Eorum hac in re uſus, & incommodum.* 10

IV. §. 1. 2. *Quarta opinio, quæ eſt Imaginationis duplici nomine ſeſe omnibus conceptibus immiſcentis, & omnia, etiam Divina, conſpurcantis.* 3. *Conſuetudini imaginandi an ſecundum Medit. Carteſii obviam iri poſſit?* 4. 5. 6. *Deducuntur inde imperfectiones imaginationis, & perfectiones purioris cognitionis.* 7. *Imaginabilia paucis remota.* 14

V. §. 1. *Imaginationis quæ in rebus Spiritualibus miſcetur fulcra quatuor.* 2. *Exponitur primum,* Quod nuſpiam eſt, neque eſt. 3---8. *Deſtruitur multis, & contrarium ejus evincitur.* 18

VI. §. 1. *Secundum Imaginationis in rebus Spiritualibus mixtæ, fulcrum, videlicet, Obſcura phraſis quod,* Deus creaturis etiam corporeis ſit præſens ratione eſſentiæ. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Quid de ea ex proprietate vocum ſit ſentiendum? exemptis ſcrupulis quatuor.* 25

VII. §. 1. 2. 3. *Tertium & quartum Imaginationis fulcrum corruunt. Mens corpori præſens eſt abſque extenſione, eoque moto non movetur ipſa.* 36

Liber II.

Ubi de Mente Increata & creata, earumque imperfectionibus, & hujus imperfectionibus in genere agitur.

Cap. I. §. 1. *Omnibus corporeis ſepoſitis,* 2. *ſupereſt cogitatio utrique Menti tribuenda.* 3. *In illa una eſt eſſentia & natura Mentis creatæ.* 4. *Proponuntur difficultates ſex, in poſterum reſolvendæ.* 40

II. §. 1. *Inter res omnes Cogitatio eſt quammaxime realis.* 2. *una eſt, fixa & perſiſtens.* 3. *Eſt principium omnium quæ in Mente ſunt.* 43

III. §. 1. 2. 3. 4. *Cogitatio eſt Mentis ipſius Subſtantia, natura, eſſentia.* 5. 6. *Eaque eſt ab omni Mente inſeparabilis.* 46

IV. §. 1---13. *Demonſtratur Cogitationem ſeu Mentem, & Corpus, quammaxime diſtingui.* 14---17. *Corpus nullum poſſe cogitare, etſi ex Mente & Corpore unum Compoſitum fiat.* 18. *uſus horum.* 50

V. §. 1. 2. 3. *In Deo eſt aliquid analogum nobiſcum, idque eſt Cogitatio.* 4. *Refellitur Hobbius negans nos aliquid quod in Deo ſit percipere.* 5. 6. *Demonſtratur Eſſentiam Dei in Cogitatione, verbis ſpecialioribus deinceps exprimenda, conſiſtere.* 62

VI. §. 1. 2. *Prima inter Cogitationem creatam & increatam differentia, cum Utriuſque differentia & ſequelis nonnullis.* 3. 4. *Secunda itidem proponitur.* 5. 6. *Tertia. ſed omnes generalius.* 67

VII. §. 1. *Viæ tres noſcendi Dei perfectiones.* 2. *Sola cauſalitatis demonſtrativa eſt.* 3. *Probatur ipſam eſſe in via eminentiæ,* &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

& novum de Dei exiſtentia argumentum proponitur. 4. 5.6. 7. *Via negationis aut nulla eſt, aut ad cauſalem referenda.* 8. *Proprietates perfectionum Dei eſſentialium.* 73

VIII. §.1.2.3.4.5. *Cautelæ quinque de modo cognoſcendi perfectiones Mentis creatæ.* 6. 7. *Ubi non ſint quærendæ.* 8. *Ubi ſint.* 9. 10. 11. 12. *Earum limites & complementum.* 13. *quod probatur.* 14. *Certiores notæ de earum exiſtentia.* 15. *De imperfectionibus unde judicandum.* 79

LIBER III.

In quo de Deo & de Mente creata ſive anima ſpecialius tractatur.

CAP. I. §. 1. *Quomodo de Dei attributis ſpecialius ſit tractandum.* 2. *Conſiderationes nonnullæ de Cogitatione creata ex quibus occaſio agendi de Deo deſumetur.* 3. *Attributa Dei ex his conſideranda.* 88

II. Vita. §. A. 1. *vita Animæ naturalis.* 91

§. D. 2. *Vita Dei fundamentum Attributorum.* 3. *Jurare per Vitam Animæ vel Dei.* 4. *vitæ mentis creatæ inimica. mortua. bona vita.* ibid.

III. Spiritualitas. §. A 1. *Spiritualitas.* 2. *Spiritualis vita.* 93

§. D. 3. 4. *Mera Cogitatio Dei ſpiritualitas.* 94

IV. Sufficientia. §. A. 1. 2. *Quæſtiones de exiſtentia rerum. Ratio. Cauſa. Cauſa efficiens. eſſe à ſe poſitive.* 3. *De re poſitiva quæritur abſurde, an ſit à ſe negative, & an ſit cauſa ſui efficiens?* 4. *Mens humana non eſt à ſe poſitive.* 5. *Neque ulla alia res niſi ſit perfectiſſima.* ibid.

§. D. 6. 7. *Deum eſſe à ſe poſitive, quæ ejus Sufficientia eſt. Cauſæ duæ à Metaphyſicis omiſſæ.* 8. *Sufficientia Dei ut in Literis ſacris expreſſa.* 99

V. Activitas. §. A. 1. *Facultates Mentis plures.* 2. *An in mala mente ſint facultates ad bonum?* 3. *Facultates obſunt Activitati meræ. Memoria Spiritualis. Habitus.* 101

§. D. 4. *Dei natura & placitum nil aliunde recipere poſſunt. Activitas Dei ut ab Impaſſibilitate diſtincte concipitur.* 102

VI. Incomprehenſibilitas. §. A. 1. *Anima incomprehenſibilis. Incomprehenſibilitas abſoluta, ſive objectiva & ſubjectiva ſimul, magna imperfectio. Sed ſtabilis nec culpanda, culpanda oppoſita curioſitas.* 103

§. D. 2. *Deus Incomprehenſibilis.* 3. 4. *Non poteſt complete ſive adæquate repræſentari per rem diverſæ ab illo naturæ: neque etiam ulla res.* 5. *Incomprehenſibilitatis Dei uſus.* 104

VII. Intelligentia. §. A. 1. 2. 3. *Mens intelligit ſe primum, ſed confuſe, nec diſtincte, niſi Deum prius noſcat.* 106

§. D. 4. *Intelligentia Dei de ſe, primo, complete, eſt ipſemet ille, in illo ſolo, de illo ſolo.* 5. *Scientiæ ſimplicis Intelligentiæ objectum ſolus Deus, non res creabiles nec poſſibiles.* 108

VIII. Unitas. §. A. 1. *Anima ex natura ſua non eſt unica ſed multiplicabilis.* 2. *demonſtratur.* 3. *Maxima Mentium inter ſeſe unitas. Ea non impedit quin ſint plures numero Mentes.* 4. *Sequelæ notabiles de principio individuationis & multiplicitatis. Individuum perfectiſſimum tantum unicum numero eſſe poteſt. Ab individuorum cognitione eſt incipiendum. Scientia eſt de individuis.* 109

§. D. 5. *Conceptus plurium Deorum fictio abſurda & contradictoria.* 5.6.7.8. *Demonſtrationes de Dei unitate.* 8. 9. *Polytheiſmus. Atheiſmus. Deiſmus. Trinitas. Unitas.* 112

IX. Altitudo. §. A. 1. 3. *Mens quibuſdam rebus ſuperior, quibuſdam inferior.* 2. *Ejus dejectio ſumma cum ſubjicitur corpuſculo quod ad cætera proportionem puncto minorem habet.* 115

§. D. 4. 5. *Deus eſt abſolutiſſime ſummus.* 6. *Atheorum abſurda ratiocinatio.* 7.8.9. *Exploditur. Infinitum eſt quomodo nec excludit nec includit cætera entia.* 10. *Ob-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

10. *Obmurmuratio, ſed repulſa & deinceps magis repellenda.* 117

X. Dominium, *ſive* Authoritas, *vel* jus abſolutum *in omnia.* 121

§. A. 1. 2. *Mens etſi quibuſdam ſuperior, non habet jus in ullas veritates, nullaſque ponit.* ibid.

§. D. 3. *Metaphyſica de tranſcendentalibus falſa.* 4. 5. *Omnes rerum ideæ, naturæ, veritates, non ſunt tales ex natura ſua, ſive ex ſe ipſis, ſed ex Dei placito; quod antecedens liberrimum, & ad illas indifferens conſiderari debet, ſtatutæ.* 6. 7. 8. *Demonſtratur ex natura & attributis Dei.* 9. *Eæ nihilominus menti ſunt innatæ.* 10---15. *Difficultates. Ex conſideratione Dei quinque ortæ reſolvuntur.* 16. *Veritates & eſſentiæ rerum ut ſint immutabiles & æternæ aut ſecus.* 17. *Nulla quæ in rebus veritas fluit proprie ex natura Dei.* 18. 19. 20. 21. *Conſiderationes ex quibus omnes difficultates à reſpectu rerum ortæ poſſunt diſſolvi.* 22. 23. *Concluditur evidenti hujus doctrinæ expoſitione.* 24. *Horum utilitas.* 123

XI. Bonitas. §. A. 1. *Mens ex ſe ſterilis, cæteris nil veritatis realitatiſque communicat.* 138

§. D. 2. 3. *Bonitas Dei fons omnium. Traducitur male ſi aliquid ei ſubducatur.* 4. *Bonitas eſſentialis Dei.* 5. *Quomodo ſi nil præter Deum eſſet, Deus bonus eſſet.* ibid.

XII. Felicitas. §. A. 1. *Felicitatis obſtacula. Acquieſcentia & Felicitas, ut differant.* 140

§. D. 2. *Felicitas Deo Eſſentialis, cæteris incommunicabilis. Felicitas Mentis creatæ. via ad illam.* 3. *Felicitati Dei nil poteſt addi; eæ mentis creatæ aliquid.* 141

XIII. Potentia. §. A. 1. 2. *Cogitationis creatæ vi, nil extra illam exiſtens poni, quamquam cum ea quædam exiſtant.* 3. *Non ita de Cogitatione ſumma.* 142

§. D. 4. 5. 6. *Res vi voluntatis Divinæ poni demonſtratur.* 7. *Potentia Dei triplex conſideratio.* 8. Una, *Potentia abſoluta, de qua nil determinandum.* 9. Altera *in reſpectu ad rerum eſſentiam. de hac quatuor Propoſitiones.* 10. *Prima.* 11. *Secunda.* 12. *Tertia.* 13. 14. *Quarta. ubi obiter de Potentia Dei in Myſterio Tranſſubſtantiationis.* 15. Ultima *Divinæ Potentiæ conſideratio. Omnia exiſtere quia Deus vult.* 16. *Quæ exiſtunt in maximis & minimis, in ſubſtantiis & modis, ab illo effici.* 143

§. 17. *De Potentia Dei quæſtiones.* Prima, *De modo ponendi res.* 18. 19. Secunda. *Res poni ſub conditionibus, nec media phyſica vel moralia excludi.* 20. *De miraculis.* 21. 22. 23. *De iis Phyſicæ ſpectatis. Ea, (neque ob myſterium Tranſſubſtantiationis) non evertere naturam, ejuſve leges.* 24. *De iis ad cultum Dei relatis Propoſitiones Quatuor.* 25. *Quæſtio* Tertia, *de rerum Neceſſitate & Contingentia.* 26. Quarta, *quid Creatio, Conſervatio, Concurſus prævius, ſimultaneus?* 27. *Difficultates. De libertate.* 28. *De compenſatione, laude, exiſtimatione creaturarum.* 29. *De petitione, gratiarum actione, &c.* 30. *Deus omnia; ab aliis nil ſperandum vel metuendum.* 158

XIV. Cognitio ſeu Scientia. §. A. 1. 2. 3. *De cognitione Mentis creatæ. Cur non ad omnes res extenditur.* 4. *Cognitionis adæquatio & anguſtia.* 5. *Ignorantia. Obſcuritas. Error. Ratiocinatio. Incertitudo. Opinio. Evidentia. Certitudo. Scientia.* 6. *Nil de eo quod in hac vita cognitioni noſtræ accidet, determinandum.* 172

§. D. 7. 8. 9. *Cognitio Dei libera, independens, univerſalis, particularis, adæquata, certa, infallibilis, immutabilis.* 10. *Quibus rebus cognitio noſtra potiſſimum ſit applicanda?* 178

XV. Sapientia. §. A. 1. *Animæ Sapientia unde? ejus imperfectio.* 2. *Dignior, firmior, certior Sapientia.* 181

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

§.D.3. *Sapientia Dei.* 4. *Ejus perfectiones.* 5. *Quædam meliora, ſed non ſapientius fieri potuiſſent.* 6. *Duo extrema vitanda.* 7. *Prius.* 8. *Poſterius. Conſilia & fines Dei non ſcrutanda.* 9. *Nulli Dei in quibuſcunque fines inquirendi, præter placitum ejus.* 182

XVI. Æternitas. §. A. 1. *Ex variabilitate mentis occaſiones ad ſequentia.* 2. *Temporis natura, menſura. Succeſſio. prolongatio. effluxus.* 3. *Mens ſubtrahenda tempori ad adumbrationem Æternitatis.* 187

§.D.4. *Dei Æternitas demonſtratur.* 5. *Ejus Idea. Boëthii definitio non exacta.* 6. *Æternitas non coëxiſtit tempori, nec hoc illi.* 7. *Eſſentiæ rerum non ſunt proprie æternæ.* 8. *Res in Æternitate factæ non ſunt.* 9. *Si mundus non haberet initium exiſtentiæ, non tamen eſſet æternus. Demonſtratur habere initium.* 10. *Figmentorum circa Æternitatem & præſentiam Dei, origines & deſtructio.* 190

XVII. Conſtantia. §. A. 1.2. *Unde Mentis inconſtantia, ejuſque remedium.* 197

§. D. 3. *Deus eſt conſtantiſſimus in natura ſua & placito.* 4. *Non obſtante rerum inconſtantia.* 5. *De promiſſis, votis, aliiſque mediis quibus homines prætendunt ſeſe conſtantes reddere.* 198

XVIII. Simplicitas. §. A. 1. *Mentis diviſio & compoſitio.* 2. *quo ſimplicior certo ſenſu, eo confuſior.* 3. *Nunquam abſolute ſimplex futura.* 200

§. D. 4. *Simplicitas Divina, quæ? demonſtratur.* 5. *Difficultates tres.* 6. *Cur nullum aliud Simplicitatis exemplum ſit.* 7. *Quæ diſtinctio inter attributa Dei ſit. Ea ſimplicitati non obſtat.* 8. *Neque diverſitas decretorum.* 9. *Ut illa adumbretur in materialibus & in Mentibus.* 202

XIX. Libertas. §. A. 1. *Mentis Libertas in quibus.* 2. 3. *Spontaneitatis. Impetuum gradus unde? Cautela. Motus Deo addictus. Ea à Deo ponitur, nec minuitur ob ejus Potentiam.* 4. *Datur Indifferentia.* 5. *Nec obſtant difficultates.* 6. *An Libertatis creatæ Idea æqualis Divinæ vel minor ea ſit dicenda?* 206

§. D. 7. *In Deo eſſe Libertatem non-indifferentem.* 8. *Eſſe & indifferentem, quæ poſitiva & ſolius Dei prærogativa.* 210

XX. Impaſſibilitas. §. A. 1. *Paſſiones Animæ in genere. multæ.* 2. *Mirabilis Dei de hiſce diſpenſatio.* 3. 4. *Senſationes non tendunt in falſum.* 4. *Ex ſolis ſenſationibus regere corpus, brutum eſt.* 212

§. D. 5. *Deus nil in ſe patitur. Ejus Senſus perfectiſſimus.* 216

XXI. Juſtitia. §. A. 1. *Imperfectiones voluntariæ, injuſtæ.* 2. *Juſtitia in homine.* 3. *Injuſtitia, adductis aliquot exemplis.* 4. *Eæ hominem, non vero Deum attingunt.* 217

§. D. 5. *In Dei natura, placito, opere, injuſtitia eſt.* 6. *Ea ultra vindictam mali extendenda.* 7. *Juſtitia vindicativa ut Deo eſſentialis. ut poſtulat ſatisfactionem.* 8. *Nempe ut peccator ſit æternum miſer.* 9. *Vel ex amore Dei ſumme doleat.* 10. *Quod interventum ſubjecti præſtantiſſimi & innocentiſſimi requiſivit.* 11. *Conſcientia hiſce ſuffragatur quoad jus. veritas facti ex revelatione & experientia depromenda.* 219

XXII. Veracitas. §. A. 1. *Mendacii, fraudis, perfidiæ, &c. injuſtitia.* 223

§. D. 2. *Veracitas Dei in promiſſis.* 3. *Promiſſa verbalia & naturalia.* 224

XXIII. Sanctitas. §. A. 1. *Animæ impuritas & Sanctitas.* 225

§. D. 2. 3. 4. *Dei Sanctitas quæ? demonſtratur. Declaratur in creaturis viis oppoſitis. Ad juſtitiam referenda.* 226

XXIV. Infinitas. §. A. 1. *Mens augmenti capax eſt limitata, non habito reſpectu ad ſpatia.* 227

§. D. 2. *Deus poſitive infinitus.* 3. *Non ſpatii extenſione, ſed Cogitationis perfectione.* 4. *Infinitum ſufficienter concipitur.* 5. *De repræſentatione Infiniti.* 6. *Quæ requirit Deum exiſtentem.* ibid.

XXV. Immortalitas. §. A. 1. *Anima, ſi Deus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

ſi Deus vellet, ad nihil devenire poſſet. 2. *Ex quibus demonſtranda ſit Animæ immortalitas.* 3. *Mortis ſignificationes generaliores. Anima non moritur ut corpus.* 4. *Ea quadruplici ſenſu mortalis, imo mortua dici poteſt.* 5. *De modis mentis an ceſſaturi? De ſubſtantia Mentis quæſtio præcipua, Num Deo placuerit eam tantum durare donec corpus diſſolvatur?* 6. *Id ſine revelatione ſolvi poteſt.* 7. *Corporis Menti uniti diſſolutio non infert Mentis annihilationem.* 8. *Nodus præcipuus de Animæ Immortalitate. Solvitur eadem de cauſa qua allegatur.* 9. *Animæ immortalitatis Demonſtrationes primariæ ex Dei attributis.* 10. *Ex Juſtitia.* 11. *Ex Conſtantia.* 12. *Ex Sapientia.* 13. *Ex vindicativa Juſtitia.* 14. *Ex Sanctitate.* 15. 16. *Ex veracitate.* 17. 18. 19. 20. *De ſtatu Animarum poſt mortem.* 231

§. D. 21. *Deus eſt immortalis ſenſu nobiliori quam ſit Anima, ſibique ſoli proprio.* 244

XXVI. Gloria. §. A. 1. *Gloriæ Mentis de ſe occaſio nulla eſt.* 2. *Probatur id ex vano Mentis de ſe phantaſmate.* 3. *Ex conſideratione operantis Dei.* 4. *Ex conſideratione operis ipſius in genere.* 5. *Ex conſideratione operis quatenus id eſt Cogitans.* 245

§. D. 6. *Gloria Deo Eſſentialis.* 7. *Gloria relativa ejus in creaturis. Gloria quomodo datur Deo. Deus cur glorificandus & laudandus?* 247

XXVII. §. 1. *Reflexio ad præcedentia.* 2. *Attributorum Divinorum diſtributio generalior.* 3. *Specialior.* 4. *Via facilior ad ea cognoſcenda.* 5. 6. *Hic non hærendum, ſed ad notitiam infuſam tendendum.* 7. *Remoto obſtaculo, nempe Malo, de quo poſtea tractabitur.* 248

LIBER IV.

De Malo ſive Peccato.

CAP. I. §. 1.—6. *De iis quæ ad ſequentia ſunt prænotanda.* 253

II. §. 1. *Generaliſſima Notio peccati.* 2--6. *A peccato generalius ſubducuntur quæ ad illud non ſpectant, Deus, Dei placitum, Dei opus ut à Deo eſt: Abſolutum nihil, nihil exiſtentiæ, & nihil admixtum realitati, quatenus hoc à Deo eſt.* 7. *Non quatenus ab homine.* 255

III. §. 1. 2. 3. 4. *Specialius quod à peccato ſubducendum* (1) *in corpore.* 5. (2) *in ſenſibus & paſſionibus.* 6. 7. 8. (3) *Mentis materiale & formale, error, facultates, habitus, actus, ignorantia, notitia, ſpontaneitas, ut ad illud ſe habeant? Non eſt explicita Dei rejectio.* 9. *Peccati ſpecialior deſignatio.* 10. *Ad illud reflexio non requiritur.* 259

IV. §. 1. *De Libertate notiones clariores.* 2. 3. 4. *De indifferentia, eam dari.* 5. *ea eſt multiplex.* 6--12. *In creatura non eſt poſitiva, ſed negativa. demonſtratur; repulſis contrarii probationibus.* 13. *Ejus termini duo.* 14. *Peccati ſpecialiſſima deſignatio.* 265

V. §. 1. *Difficultates notabiles ex præcedentibus ſeptem.* 2. 3. *An homo debeat ex ſe aliquid poſitivi agere?* 4 *Num ſtatus negativus faveat negligentiæ?* 5. 6. 7. *An Mens poſſit in illo manere? quantæ perfectiones eum ſequantur?* 8. *Num inde Menti occaſio gloriandi?* 8. 9. 10. *Admiſſo peccato an maneat indifferentia? Quæ cauſa ad ſublationem peccati? Primariæ ſpecies peccati tres.* 11. 12. *De præſcientia Dei & Regimine circa peccata.* 13. *An Deus indifferentiam tollere potuerit? & cur non ſuſtulerit?* 272

VI. *Proprietates peccati, ſive denominationes nonnullæ exponuntur.* 1. *Quod ſit Injuſtum.* 2. Negatio Dei. 3. *Privatio.* 4. *Adhærentia ſibi ipſi, appropriatio, propria voluntas, &c.* 5. *Superbia.* 6. *Peccator ut reputandus.* 285

VII. §. 1. 2. 3. 4. *Pauca de extenſione vel repreſſione peccati in actionibus & in radice.* 5. 6. *De diſcrimine inter peccata proborum & improborum.* 7. *De certitudine ſui ſtatus.* 8. *Concluſio.* 289

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Operarum errata quibus pervertitur ſenſus ſic emendate leges.

Epiſt. dedic. pag. alt. l. 22. eâ tangamur. Lib. p. 2. l. 21. eum. p. 32. l. ult. creaturis. p. 36. l. 25. noſcentibus. p. 61. l. 22. judicetur. p. 63. l. 36. efferri. p. 64. l. 2. *poſt* cum *adde* Deum. p. 66. l. 37. reſtringatur. p. 89. l. 13. (¹) Me. p. 97. l. 20. conciperer. p. 98. l. 29. facit. p. 99. l. 15. cur. & l. 19. quâ. p. 103. l. 4. ea. p. 111. l. 17. noſcatur. p. 125. l. 1. monuere. p. 127. l. 30. *pro* ita, *lege* eâ quam ita. p. 129. l. 10. ſcit. p. 150. l. 28. *poſt* eſt, *adde* quæ. p. 152. l. 28. *pro* ideam, *lege* idem. p. 173. l. 19. ipſa. p. 174. l. 22. natura. p. 180. l. 36. *pro* cui, *lege* cur. p. 188. l. 11. *pro* (;) *pone* (,). & l. 22. ſtadii. p. 214. l. 4. cum funiculi in. p. 215. l. 37. nos. p. 222. l. 24. atque. p. 230. l. 12. alioqui. p. 236. l. 19. ligatur. p. 238. l. 2. adducimur. p. 239. l. 25. conſtantiſſimo. p. 240. l. 23. dilatum. p. 243. l. 33. monela (*ſeu monitio*). p. 251. l. 15. intelligenti. p. 274. l. 28. ſtadium. p. 280. l. 11. prior. p. 293. l. 12. quid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 33